

1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

BIBLIOTHECA REFORMATA. VOLUMEN IV.

D. GYSBERTI VOETII

SELECTARUM

DISPUTATIONUM

FASCICULUS

RECOGNOVIT ET PRAEFATUS EST

D. ABR. KUYPER.

AMSTELODAMI, MDCCCLXXX
Sumptibus Societatis pro edenda Bibliothec
Apud JOANNEM ADAMUM

BIBLIOTHECA REFORMATA.


VOLUMEN QUARTUM.

D. GYSBERTI VOETII

SELECTARUM DISPUTATIONUM FASCICULUS

RECOGNOVIT ET PRAEFATUS EST

D. ABR. KUYPER.



AMSTELODAMI, MDCCCLXXXVII.
Sumptibus Societatis pro edenda Bibliotheca Reformata.
Apud JOANNEM ADAMUM WORMSER.

General

PRAEFATIO.

L. S.

§ 1. *Post* Francisci Junii *opusculorum volumen, quo ante hos sex annos* Bibliothecam Reformatam *nostram aperui, nunc iam in quarto eiusdem Tomo, ne dogmaticae disciplinae vox diutius quam par est in nostra collectione sileret, Gysberti Voetii nonnullas e selectis, quas a. MDCXLVIII in lucem emisit, disputationibus, selectas iterum edere mihi proposui.*

Gysbertus Voetius (*cuius nomen perperam externi, quasi vocalis* o *a vocali* e *dirimenda esset*, Voëtius *pronuntiare solent, qui tamen apud nostrates numquam aliter quam* Vutius, *a* pede *nomine ducto, et audivit et audit* [1]) *quamquam inter dogmatices reformatae auctores facile princeps et primum occupans locum, ipse tamen nullum systema doctrinae Christianae, omnibus locis absolutum, meditatus est, composuit, edidit unquam. Cuius rei ipse has dedit rationes: „Ratio hic nulla alia fuit, quam quod actum agere noluerim et utilissimos libros, quos studiosi nostri familiariter terere solent, e manibus ipsorum excutere, substitutis nostris non-nostris, inde descriptis et nomine nostro insignitis* [2]).” *Alumnis suis commendare solitus* 1°. Fr. Gomari, Theses Theologicas; 2°. Synopsin Professorum Leidensium, *quam Clar. Bavinck nuper nova editione ornavit;* 3°. Mackovii Collegium Disputationum; 4°. Amesii Medullam *et* Casus conscientiae; 5°. Clutonis Ideam; 6°. Ursini *Commentarium in Cat. Heid.; quem procuravit Paraeus;* 7°. *à* Diestii Melleficium catecheticum; 8°. Tileni syntagma; *ut et provectioribus* Joan. Calvini Institutiones; *ipse nonnisi locos selectos, prouti res id flagitabat, publico in disputationibus academicis examini submittebat. Hinc factum, ut Voetii* nomen *ad nostrum usque tempus magnam quidem in dogmaticis apud omnes fere Theologos et laudem et auctoritatem habuerit*, scripta, *quae in disciplina dogmatica elucubravit, nemini fere ante oculos versentur et nonnisi rarissime legantur. Citantur plerumque ex iis quae iam olim ab aliis citata erant. Siquid e Voetii documentis evolvatur, ad eius* Politiam ecclesiasticam *aut ad opuscula, quae concinnavit polemica et ascetica, studiosi advolant*, dogmatica *vero magni dogmatici scripta incredibili oblivione latent; eatenus ut in Belgio nostro, ubi et diu et clare olim studium dogmaticum floruit, et nunc etiam ecclesiae cum ministris tum fidelibus opera Marckii, Maestrichtii, Brakelii, Comrii no-*
Bra-

---

[1]) Quod Germani *Fuss* appellant, nostrates *Voet* pronuntiant, in qua voce *oe* diphthongus est, idem apud Belgas sonans atque *u* apud Germanos, *ou* apud Gallos et *ou* in pronomine *you* apud Anglos.

[2]) Cf. Praef. in Tom. 1. *select. Disp.* p. 3*.

tissima sunt, vix ullum invenias theologum, cui thesaurus Voetii nostri tritus sit; e fidelibus certe nullum.

§ 2. *Ne igitur in tam mala fortuna prorsus magni Theologi nomen prorsus evanesceret, duo facienda esse constitui, quibus dogmatica Voetii studia ingrata eriperentur ex oblivione: Primum e praestantissimis disputationibus, quae nostro quoque saeculo maximi videbantur momenti, recudendas curavi XII; praeterea in hac praefatione tabulam exhibebo titulos omnium exhibentem disputationum, quae quinque Voetii Operis voluminibus continentur. Sic editae rursus disputationes gustum dabunt exquisiti ingenii, quo polluit Voetius, acrimoniae; et syllabus titulorum geminatum praebebit catalogum, ut quisque statim videat, quid apud Voetium carpere queat, quid quaereret frustra.*

Disputationes, quas prelo submisi, hae sunt:

1. De ratione humana in Rebus Fidei.
2. Quousque sese extendat S. Scripturae auctoritas.
3. De Jure et Justitia Dei.
4. De Necessitate et Utilitate Dogmatis S.S. Trinitatis.
5. An Christus qua Mediator sit adorandus.
6. De propagatione peccati originalis.
7. Problemata de merito Christi.
8. De Persona Christi Mediatoris.
9. De statu electorum ante conversionem.
10. De regeneratione.
11. De Sabbato.
12. De Lege et Euangelio.

quarum disputationum seriem accuratius conspectus in fine voluminis indicabit; hoc loco eas enumeravi tantum, ut electionis ratio facilius pateret. Agmen ducit disputatio de quaestione encyclopaedica. Tunc ad principium Theologiae transeo quod latet in S. Scripturae auctoritate. Sic via strata ad locum de Deo. Hic inseri debuisset disputatio „de propagatione peccati originalis", quam male sextam posuit typographus. A peccato ad Mediatorem paratus transitus. Tunc a Salvatore ad Salvatos devenio. Postremo loco disputationes posui quae vitam magis spectant Christianam. [1])

§ 3. *Sunt hae depromptae ex opere, quod Voetius ipse a. MDCXLVIII hoc titulo, quinque voluminibus comprehensum, edere coepit:* GYSBERTI VOETII, Theologiae in Acad. Ultraiectina Professoris, selectarum Disputationum Theologicarum pars prima. Ultraiecti. Apud Joannem à Waesberge. *Primum volumen D. Andreae Riveto inscripsit, et auxit* praefatione ad lectorem, *quae triginta septem paginas explet et qua errores Cartesii et Maresii obiter perstrinxit. Praefationem excepit imago Voetii anno LIX aetatis depicta, cui hoc Annae Mariae à Schurmanno subscriptum tetrastichon:*

En

---

[1]) Paginarum editionis principis incisiones lineola perpendicula in textu ubique interposita ultro indicat. Vitia typographica passim emendata non enumerabo; quodsi alicuius saltem pretii emendationes repetere cupis, aspice: *praetendi* pro *presciendi* p. 46, r. 12, ab inf.; *originali* pro *inhaerente nali* p. 152 r. 51 ab inf. *illam personam* p. 33, r. 13 ab inf loco *inepersonam*; *hominum* loco *hominem* p. 163, r. 24 ab inf.; *ac* pro *à* ibidem, cet.

En Tibi Voetiadae (*sic*) placida sub imagine vultus
  Divinum ingenium linea quaeque notat.
Si maiora cupis: viva est virtutis imago
  Quam vita et scriptis exprimit ipse suis.

Huius voluminis disputationes paginarum numerum 1170 *excedunt; locupletibus indicibus rerum, locorum S. Scripturae auctorum ornatae sunt.*

Volumen secundum *sub eodem prorsus titulo a. MDCLV prodiit. Misit hoc volumen cum epistola, quam dedicatoriam dicunt, D. Joh. Godtsch. à Schurman, et Dominae Annae Mariae à Schurman, virgini celeberrimae. Praefatio non adest. Paginarum numerus est plus quam* 1140. *Adjuncta est suo titulo* Narratio rei admirabilis ad Posonium gestae de spiritu quodam, *quam subsequitur rerum, locorum auctorum conspectus alphabeticus.*

Volumen tertium *quattuor annis postea, a. MDCLIX, exiit, et honoris causa inscriptum est nominibus cl. virorum quibus tunc temporis in facultate collegis utebatur. Hombekii, Essenii, Netheni. Brevis post epistolam dedicatoriam sequitur praefatio. Paginas habet* 1418, *et auctum est catalogis rerum et auctorum ut supra.*

Volumen quartum *a. MDCLXVII in lucem emissum est apud bibliopolas Joannem Janssonium à Waesberge et Viduam Elizaei Weyerstraet; additum est in titulo:* „in qua praecipue tractantur selectae materiae et quaestiones ad secundam Decalogi Tabulam spectantes, cui accedit syllabus quaestionum ad totum Decalogum: *Consecratum est, ut ipse sese exprimit, „Viris Plur. Ven. a Lodensteyn, Teelinck, Van Velden et Gentman, suis aliquando in ministerio collegis". Paginarum numerum* 841 *complet. In fine indicibus locupletissimis splendet.*

Volumen quintum *demum hoc titulo ornatum est:* G. Voetii, Theologiae in Acad. Ultraiect. profess. selectarum Disputationum pars quinta, in qua praecipue tractantur quaestiones ad primam Theologiae partem spectantes. Accedunt dissertatio epistolica de termino vitae et exercitatio de prognosticis cometarum, antehac seorsim editae. Ultraiecti ex officinâ Antonii Smytegelt, Bibl. a. MDCLXIX. *Inscripta est haec pars dominis plur. ven. D. van Hengel, Gualt. van Nellesteyn. Herm. van Halen et Corn. van der Vliet, V. D. M. in eccl. Ultraiectina. Habet paginas* 765, *et cum accedentibus epistolis* 1012. *Indices ad calcem adiecti.*

Unde apparet, ambitum totius huius operis complecti paginarum numerum plus quam sex millia, *typis artioribus expressarum, quibus plus quam* trecentae *disputationes absolvuntur.*

§ 4. *Disputationum series in volumine* primo *sic se paginis adiectis habet, quinquaginta quinque disputationes exhibens:*

		Pag
1.	De Ratione Humana in Rebus Fidei	1
2.	De Theologia Scholastica	12
3.	De Quaestione hac: quousque se extendat Auctoritas Scripturae	29
4.	De insolibilibus [ut vocant] Scripturae	47
5.	De Symbolo Apostolico	64
6—7.	De Patribus, seu Antiquae Ecclesiae Doctoribus, partes II	74, 87
8.	Novus Scepticismus Lojoliticus circa Principia fidei Christianae	108
9—12.	De Atheismo, partes IV	114, 135, 149, 166

13. De

Pag.
13. De Unica et Simplicissima Dei Essentia.................................... 226
14. De Scientia Dei.. 246
15—18. De Conditionata seu Media in Dei Scientia, partes IV....... 264, 273, 285, 309
19. De Jure et Justitia Dei.. 339
20—21. Eiusdem Appendicis, partes I, II................................... 364, 379
22—25. De Potentia Dei, partes IV................................ 402, 410, 422
26. Praescriptiones et Antidota Generalia pro Christianismo adversus Socianos.. 434
27. Francisci Gomari Diatribe de Christo Αὐτοθεῷ cum notis.................. 442
28—29. De Necessitate et Utilitate Dogmatis de S.S. Trinitate II.......... .... 466, 489
30. De Quaestione hac an Christus qua Mediator sit Adorandus.............. 520
31. Eiusdem Appendicis pars prima.. 536
32—41. De Creatione, partes X............ 552, 571, 597, 617, 635, 652, 699, 726, 754, 775
42—44. Eiusdem Appendices III.. 808, 831, 851
45. Eiusdem App. quarta continens quaedam corollaria.......................... 869
46. De Hierarchia coelesti et Angelis Tutelaribus.................................. 882
47—48. De Natura et Operatione Daemonium, partis II......................... 906, 933
49. De Spectris... 985
50—51. De Energumenis, partes II 1018, 1036
52. De Peccati Usibus per Accidens... 1059
53. De Propagatione Peccati Originalis.. 1078
54. Methodus respondendi Excerptis et Calumniis de Deo Autore peccati..... 1118
55. Paralipomena quaedam.. 1137

§ 5. *Volumen* secundum *disputationes octoginta continet, sic fere cum paginarum annotatione dispertitas:*

Pag.
1—2. De Tempore Nativitatis Christi, partes II.................................. 1, 13
3. Ad Genes. 49 vers 10 de Adventu Messiae 51
4—5. De Judaismo, partes II 77, 93
6. De Generali Conversione Judaeorum (Rom. 11, 25—27).................. 124
7. Eiusdem Appendix.. 143
8. An et qualem Fidem habuerit Christus et quomodo usus sit Sacramentis. 155
9. De Agonia et Desertione Christi (Luc. 22, 41—45; Matth. 27, 46).......... 164
10. Eiusdem Appendix de Sudore Sanguineo... 172
11. Eiusdem Appendicula de Descensu ad Inferos................................... 188
12. De Perfosso Latere Christi ad Joh. 19, 34—37................................. 195
13. Eiusdem Auctarium de perfosso Latere Christi.................................. 218
14—18. Problematum de merito Christi partes V.............. 228, 238, 255, 268, 277
19—20. De Indulgentiis I, II... 286, 291
21—23. De Persona Christi Mediatoris partes III...................... 204, 313, 324
24. Eiusdem appendix Aliquot Quaestionum... 341
25—26. De Explicatione Praedicationum et Formularum Restrictivarum in Theologia, partes II.. 362, 383
27. De Statu Electorum ante Conversionem... 402
28. Eiusdem Appendix Quaestionum de Surdis et Amentibus...................... 424
29—30. De Regeneratione, partes II....................................... 432, 447
31. Eiusdem Appendix de secundo Conversionis momento.......................... 465
32. De Simplicitate et Hypocrisi.. 468
33. De Praxi Fidei.. 496
34. De Articulis et Erroribus Fundamentalibus 511
35. De Praejudiciis verae Religionis.. 539
36. De Plantatoribus Ecclesiarum... 552
37. Eiusdem Appendix de { Aedificatoribus Templorum / Erectoribus Collegiorum / Fundatoribus Redituum }.... 573
38—40. De Gentilismo et Vocatione Gentium, I, II, III.................. 579, 601, 621
41. De Muhammedismo.. 659
42. Inventarium Ecclesiae Romanae seu Papatus.................................... 684

43. No-

Pag.
43. Notitia Critica Papatus 687
44. De Translatione Papatus a Petro ad Papam 698
45. Methodus Elidendi praesumtam Successionem, Antiquitatem et Catholicismum Papatus 706
46. Eiusdem Appendicula de Methodo demonstrandi novitatem Papatus 724
47—49. Vis Veritatis in ipso Papatu Erumpentis, pro Assertione fundamentalis Christianismi, de salute per solam Dei Misericordiam in Christo I, II, III 726, 742, 756
50. Quaestio de Fide Papistarum, salutari an damnabili 776
51—52. Inventarium Controversiarum, de Temporali potestate Papae, I, II.... 791, 807
53. Quaestio an sedes Romana compatibilis sit cum Politiis Reformatis 827
54. Eiusdem Appendix aliquot Problematum 856
55. De Donatione Constantini. 868
56. Quaestio historico-theologica de Translatione Imperii a Graecis ad Francos 882
57. De Signis prima, de Naturae Miraculis, Ostensis et Prodigiis 902
58. Eiusdem pars altera 922
59. Eiusdem Appendix de Panico Terrore 936
60. Eiusdem Secunda, quae est de Signis Temporum et Praesagiis mortis 943
61. Eiusdem Tertiae, quae est de Miraculis, prima, ... 964
62. Eiusdem Secunda 979
63. Eiusdem Appendix, de Fide Miraculorum 984
64. Eiusdem Tertia 993
65. Eiusdem Quarta 1012
66. Eiusdem Appendix de Puella Aurelianensi 1031
67. Eiusdem Quarta, quae est, de Prophetia 1036
68. Eiusdem Index Materiarum et Catalogus aliquot Prophetiarum et Prophetarum 1055
69. Eiusdem Quinta, quae est de Charismatis 1086
70. Eiusdem Sexta, quae est de Probatione Spirituum 1100
71. Eiusdem pars Altera 1133
72. Narratio Rei admirabilis ad Posonium gestae de Spiritu quodam 1141
73—74. Exercitatio ad Thomae Part. I. Qu. 12. art. 1. de Visione Dei per Essentiam, I, II 1193, 1203
75—76. Exercitatio ad Thomae I. II. Art. 4. de Beatitudinis Subjecto et Actu formali, I. II. 1217, 1228
77. De Papistarum Purgatorio 1240
78. Ad Apoc. 20, 4—6, de Regno Millenario 1248
79. Appendix ad Disp. de Regno Millenario 1266
80. Addenda 1272

§ 6. ***In Volumine*** tertio ***disputationum series una centenarium numerum excedit hocce paginarum ordine subsequentium***:

Pag.
1—6. De Theologia Practica. I—VI 1, 11, 21, 31, 42, 51
7. De Praecisitate ad Illustrationem Quaest. Cathechetiear. XCIV, CXIII, CXV, 59
8. De Amore Dei 79
9. De Superstitione 91
10. Additamenta quaedam 126
11. Appendix Historico-Theologica de Sternutatione 132
12—16. Ad Disputationem de Superstitione, ubi de Genuflexione ad nomen Jesu et ad Mensam seu Altare, partes V 139, 163, 179, 201, 214
17. De Cabala 226
18. De Idololatria Indirecta et Participata 234
19. Eiusdem pars secunda 245
20. Appendicula de Precatione ad Orientem 269
21. Eiusdem pars Tertia 278
22. Appendix 317
23. Quaestio proposita a Classe Gorinchemensi Facultati Theologicae Ultrajectinae 358

24. Al-

Pag.
24. Albaspinaei Notae et Observationes in Can. II, III, IV, XI, LV, LVI, LIX. Concilii Eliberini 368
25—27. De Canonizatione Sanctorum, pars I—III 386, 393, 400
28—31. De Patronatibus, Tutelis et Praefecturis Sanctorum, partes III et partis tertiae Sectio altera 415, 426, 436, 456
32. De Divis seu Sanctis quibusdam Chimaericis prima, quae est de Ursula, etc. 472
33. Eiusdem Primae pars secunda 482
34. Eiusdem Primae pars Tertia 492
35. Indicium Sanctorum Chimaericorum 503
36. Eiusdem Pars Tertia 509
37. Appendix ad Disputationes de Superstitione et Idololatria 532
38—41. De Magia. (pars altera; duae appendices) 539, 562, 612, 623
42—44. De Ignorantia, pars I-III 632, 642, 652
45—46. De Docta Ignorantia. pars I—II 668, 681
47—54. De Errore et Haeresi, pars I—VIII 692, 703, 713, 722, 736, 750, 768, 791
55. Notitia Latentis et Serpentis Haeresios Antitrinitariae 809
56—57. De Fide, Conscientia, Theologia Dubitante 825
Eiusdem Pars Secunda 834
58. Appendix de Dubitatione Philosophica 847
59. Quaestio Status Inficialis de Adoratione Imaginum in Papatu 870
60—62. De Staurolatria sive Cultu et Abusu Crucis, I, II, III .... 884—906
63. Mantisa ad Disputationes de Staurolatria et Idololatria indirecta 931
64. De Agnis Dei 934
65. De Pseudo—Mortificationibus Papatus 946
66. De Processionibus 960
67. De Peregrinationibus Compostellanis 987
68. Appendicula prima de Peregrinationibus Hierosolymitanis 999
69. Appendicula secunda de Reliquiis 1002
70. Appendicula Tertia de Peregrinationibus ad Sanguinem Boxtelensem 1003
71. De pseudo-precationibus, Rosariis, Litaniis, Horis canonicis et Officiis Ecclesiae Romanae 1013
72. De Globulis Precatoriis 1023
73. De Pseudo-precationibus etc. Pars secunda 1037
74. De Litaniis 1049
75. De Pseudo-Precationibus, etc. Pars tertia 1056
76. Appendix de Officio, seu Horis Canonicis B. Mariae 1068
77. De Benedictionibus, Consecrationibus et Sacramentalibus 1076
78. Appendix aliquot Problematum 1090
79—81. De Juramento Religionis I-III 1100, 1113. 1123
82—83. De Exorcismo I, II 1135, 1150
84. Appendix de Exorcismo Infantum Baptizandorum 1173
85. Appendix Secunda 1188
86. De Sortis aliisque Divini Nominis Abusibus 1194
87. De Provocatione ad Judicium Dei 1201
88. De Verbis et Factis Otiosis 1215
92.[1] Appendicula de Poculis Salutis et boni Ominis 1219
93—94. De Sabbatho et Festis 1227, 52
95. Appendix de Gentilium Kalendis Januariis, Natalitiis, Feriis Civilibus 1281
96. Appendix de Festis et quasi Festis extra Papatum observatis 1314
97. Appendicula de Computo Ecclesiastico, et Gregoriana Kalendarii Correctione 1346
98. De Jubileo 1354
99. Appendicula de Jubileo Jesuitico 1381
100. De Quadragesima et Bacchanalibus 1383
101. Addenda 1397

§ 7. ***Volumen*** quartum ***tibi exhibet disputationes quinquaginta unam, quae sic fere sese excipiunt:***

Pag.
1. De Argumentis Theologicis ab Absurdo Consequenti 1

2—4. De

[1]) Numeri 89, 90 et 91 omissi sunt.

Pag.
2—4. De Lege et Euangelio. I. II. III.. 17, 30, 47
5—6. De Foro Poli et Soli. I. II.. 62, 75
7—8. De Judiciis Dei. I. II.. 91, 102
9. De Dilectione Proximi.. 118
10—13. De Exemplo Bono, eiusdemque Imitatione, et Opposito Scandulo I—IV.. 124, 132, 141, 147
14—15. De Officiis Charitatis erga proximum peccantem I. II.. 157, 167
16—17. De Caeca Obedientia Papistarum. I. II.. 182, 194
18. De Magistratu Politico.. 206
19. De Jure Regio Hebraeorum.. 211
20. Disquisitio de Autore Vindiciarum contra Tyrannos.. 231
21. De Homicidio et Laesione sui ipsius, nec non Spontanea Flagellatione... 244
1. Appendix ad Problemata.. 270
2. Appendix de propriae Navis Incendio.. (256?), 281
22. De Peste, seu Pestis Antidoto Spirituali.. 292
23. *De Excelcis Mundi*, ad VII Decalogi Praeceptum, prima quae est de Choreis, 325
24. Eiusdem disp. secunda de Comoediis.. 356
25. Eiusdem pars altera.. 367
26. Eiusdem disp. tertia, quae est de Abusibus in Victu et Conviviis.. 385
27. Eiusdem disp. quarta, quae est de Luxu et Vanitate in Vestibus, Domibus et Suppellectile.. 403
28. Eiusdem pars posterior.. 417
29. Eiusdem disp. quinta, quae est de Ornatu Faciei et Capillorum.. 429
30—31. Eiusdem pars II, III.. 444, 453
Appendix ad Excelsa Mundi.. 462
32. De Ebrietate.. 493
De Sanitatibus seu Poculis boni ominis.. 500
Appendix ad disp. de Ebrietate.. 503
33—36. De Simonia, pars I—IV.. 515, 523, 533, 540
Appendix ad disp. de Simonia.. 551
37—38. De Usuris, I. V.. 555, 567
De Trapezitis.. 575
39. De Pseudographemate Usurario.. 590
40. De Restitutione.. 608
Appendix aliquot Quaestionum Specialium.. 616
41. Aliquot Problemata ad IX. Decalogi praeceptum, de Mendacio, Simulatione et dissimulatione, pars prima.. 631
42. Eiusdem pars secunda, de Dolo, Aequivocatione, mentali Restrictione..... 640
Appendix Affinium quarundam quaestionum.. 653
43. Eiusdem pars tertia, de Falso.. 661
44. Eiusdem partis tertiae, de Falso, Sectio altera.. 681
Appendix aliquot quaestionum.. 695
45—46. De Calumnia, Obtrectatione et Convitio, pars Prima et Secunda....... 702, 715
47. Disquisitio ad Thomae 1. 2. quaest. 68, 69, 70 de Donis, Beatitudinibus et Fructibus Spiritus.. 729
48. Explicatio Ecclesiast. IX. v. 11.. 739
49. Disputatio continens Positiones aliquot Miscellaneas.. 745
50. Syllabus Quaestionum ad totum Decalogum.. 763
51. Addenda.. 825

§ 8. ***Tomus Quintus denique natura sua paullulum a praecedentibus differt, quippe exhibens non tam longe lateque distractas disputationes, quam potius quaestionum concinne conscriptarum catalogum, ad quas brevi respondetur. Undeviginti absolvunt capita.***

I. Problemata de Sacra Scriptura.

Pag.
1. An sit articulus fidei seu de fide et necessario credendum, Scripturam esse verbum Dei.. 1

2. An

Pag.
2. An inscriptiones seu tituli librorum Scripturae sint authentici............ 2
3. An accentus textus originalis Hebraici et Graeci sint authentici; an vero arbitrio humano et autoritate grammaticâ ac fallibili postea additi...... 3
4. An lectiones marginales sint authenticae, aeque ac ipsa verba textus..... 4
5. An Reformati rejiciant omnes traditiones........................ 8
6. An intelligentia Scripturae etiam non conversis seu irregenitis contingat. 9
7. An Interpretatio alicuius loci Scripturae possit esse analoga fidei, quae tamen non sit analoga textui........................ 9
8. Unde sit et dependeat autoritas Scripturae........................ 12
9. Theologia Christiana an pure Scripturaria et consequenter Christiani orthodoxi, praesertim theologi ab eâ contra distincte ad adversarios aut contemtores Scripturae possint dici Scripturarii........................ 18
10. Quae sit expedita methodus confutandi Pontificias traditiones, quas Scripturae adaequant, imo et praeferunt; ut homines doceant e Scripturarum membranis et tenebris (sic eas appellant Costerus, et Corn. Jansenius Theologus Lovaniensis, in Spongiâ) ad traditiones confugere............ 20
11. An Reformati, an vero Pontificii, habeant authenticam Bibliorum editionem ?22
12. An Scriptores N. T. nisi sint (saltem in multis, aut in plerisque) non linguâ genuinâ Graecorum, sed aut impurâ ac barbarâ, aut peculiari, dictâ hellenisticâ? 26
13. An Matthei Euangelium ab ipso Hebraice scriptum sit 28
14. An Marci Euangelium latine scriptum sit........................ 30
15. An ulla translatio Scripturae in se sit authentica: an orientales hodiernis occidentalibus praestantiores et utiliores sint atque adeo maioris autoritatis apud nos esse deoeat........................ 33
16. An ad apparatum versionis et explicationis V. et N. T. et consequenter ad solidam eruditionem Theologicam aliquid conferat cognitio Rabbinismi 35
17. Quid de Pentateucho Samaritanorum, qui nunc cum Bibliis Regiis Parisiensibus editus est, statuendum sit........................ 36
18. An supplementa sententiarum aut phraseωn versionibus ab interpreta infarcienda sint........................ 36
19. An nemo maiorem eruditionem et apparatum linguarum ad translationem Scripturae attulerit post Hieronymum quam Hieronymus.............. 37
20. An interpretationibus Scripturae orthodoxorum (quam scripta exstant) an vero recentiorum, magis fidendum; non quidem absolute, sed hypothetice; non ut normae, sed ut Prophetiis; manudictionibus, quousque et quatenus Scripturis analoga sunt........................ 38
21. Quid de suppletivis (ita loquar) interpretationibus sentiendum............ 39
22. Quid statuendum de interpretationibus allegoriis........................ 40
23. Quid de interpretationibus cabalisticis statuendum 42
24. Quid statuendum de typis in Scripturâ, explicatis applicatis, item de numero 666. Apoc. 13, An non species sint cabalae, et nobis artem cabalisticam circa alios quoscunque Scripturae textus et fidei mysteria, ut et moralia exercendi licentiam concedunt........................ 43
25. Quid censendum de veterum Rabbinorum 13 modis exponendi pentateuchum, collectis per R. Ismael, et latine editis atque expositis per Philippum de Aquino, Paris apud Joh. Laguehay anno 1629.............. 44
26. An et quomodo judicium decisionis super controversis interpretationibus et dogmatis theologicis, à theologis nostris soli Deo, seu Spiritu sancto; et alibi aut ab aliis S. Scripturae; et rursum a libia non paucis, Ecclesiae seu Concilio in his terris tribuitur........................ 44

II. PROBLEMATA DE DEO.

a. De Deo.

Pag.
1 An liceat ex p(r)ofesso instructis argumentorum classibus contra Atheos demonstrare deitatem........................ 48
2. An omnes homines, ob naturae corruptionem dici possunt athei, quam dici non convertuntur........................ 49
3. An omnis haeresis desinat in atheismum........................ 50

4. An

Pag.
4. An Deus sit a nobis nominabilis............ An omnia Dei nomina sint synonyma............ An aliqua nomina de Deo et creatura univoce dicantur............ Utrum nomina illa analoga per prius de Deo an de creaturis dicantur. 50
5. An hoc nomen Deus sit incommunicabile............ 51
6. An recte dicatur, sicuti in lingua Hebraica, sic etiam in aliis plerisque linguis nomen Dei esse quadriliterum............ 51
7. Quae sit nominis Jehovah appellatio, institutio, etymologia, significatio, translatio, synonyma, derivata, scriptio, pronuntiatio, usus seu potentia et potestas............ 51
8. An nomen plurale Elohim demonstret Trinitratem personarum............ 57
9. An recte dicatur, Pater, Filius, Spiritus Sanctus sunt tres Elohim............ 57
10. An nomen elohim competet soli Deo............ 58
11. Cur Proverb. 1 vers. 20 et 9. 1. nomen sapientiae plurali numero usurpetur constructum cum verbo singulari............ 58

b. De attributis in genere.

Pag.
1. An attributa Dei, in illo sint virtualiter seu eminenter, an vero formaliter 59
2. An attributa possint de essentia et de se mutuo praedicari in abstracto... 59
3. An attributa ab essentia et inter se distinguantur, non tantum ratione ratiocinante, sed et sententia ratiocinatâ, et quali............ 59
4. An attributa divina possint distingui ratione, sine respectu ad creaturas realiter distinctas............ 60
5. An aliud sit in Deo res et essentia, et aliud virtus eius et proprietas...... 61
6. An essentia, existentia, substantia, spiritus sint attributa Dei............ 62
7. An adoratio recte dicatur essentiale Dei attributum............ 62
8. Quomodo ergo ex adoratione orthodoxi solide probarunt Deitatem Filii et Spiritus Sancti............ 62
9. An quaecunque praedicata essentialiter dicuntur de subiectis suis, illorum definitio subiectis tribuatur............ 62

c. De attributis in specie primi generis.

Pag.
1. An Deo tribuatur unitas, et qualis............ 63
2. An solus Deus sit ens necessarium............ 64
3. An Deus universaliter sit perfectus, quasi omnium in se perfectionem habens 64
4. An creaturae possint esse Deo similes............ 64
5. An aliquis in hac vita viderit Deum............ 64
6. An Deum cognoscamus per propriam speciem intelligibilem, an vero per species creaturarum............ 64
7. An intellectus creatus indigeat lumine gloriae ad videndum Deum........ 64
(8) 9. Unde proveniat, qu d una visio sit perfectior alterâ............ 65
Utrum esse ubique sit solius Dei............ 65
(Immensitas Dei) An Deus essentialiter seu essentia sua sit ubique, an vero tantum in coelo, et virtute atque operatione ubique............ 66
(De reliquis attributis primi generis) I. An Deus, Deique actiones subjaceant tempori, sive physice sive metaphisice............ 84
2. An Deus ita possit videri visione mentali ut comprehendatur eius essentia 85
3. An aliquis in hac vita Deum viderit............ 85

De attributis in specie secundi generis.

Pag.
1. An Dei scientia seu intelligere Dei sit ipse Deus seu ipsa Dei essentia.... 85
2. An Deus possit plura intelligere, quam intelligit 85
3. An Deus cognoscat futura contingentia ex reali ipsorum praesentia....... 86
4. An Deus cognoscat universalia per abstractionem praeficionis............ 85
5. An Deus certo aliquo ordine cognoscat............ 86
6. Quomodo Deus uno actu cognoscat veritates affirmativas simul et negativas, et propositiones contradictorias............ 86

7. An

		Pag.
7.	An Deus cognoscat res quia ita sunt, an vero sint quia Deus novit	86
8.	An Deus unum velit propter aliud	87
9.	An omnis voluntas Dei impleatur	87
10.	An voluntas recte distinguatur in antecedentem et consequentem	88
11.	Quali voluntate iuste quis possit velle quod non vult Deus	88
12.	An praecepta Dei aliquando ab eiusdem voluntate differant	88
13.	An Deus velit se ut finem, creaturas ut media	88
14.	An Deus aliquod injustum umquam velit. Et an Deus peccata fieri a nobis revera velit	89
15.	An praescientiam Dei nullatenus in dubium vocet Vorstius, dum negat certitudinem divinae praescientiae a decreto absoluto et efficaci pendere.	89
16.	Utrum voluntas Dei sit causa rerum	91
17.	Utrum velle Dei sit causa prima rerum, an vero scientia eius	91
18.	An voluntas, scientia et potentia Dei sint aequalia. Et an Deus sit omnivolens, sicut omniscius et omnipotens	91

		Pag.
1.	An omne jus et juris decretum, seu jussio Dei sit ipse Deus	92
2.	An analogia utriusque justitiae tum commutativae, tum distributivae Deo tribui possit	93
3.	An justitia Dei veritas dici possit	94
4.	An et quomodo quis possit recte provocare a throno justitiae ad thronum misericordiae; et a justitiâ Dei ad justitiam	94
5.	An nostrum jus naturale idem sit cum naturali illo, quod scholastici describunt: quod sit illud, cuius obligatio oritur ex naturâ Dei et inde se diffundit in praeceptum? Et, an jus divinum naturale idem sit cum lege aeterna scholasticis ita dictâ	94
	De distinctione juris necessarii et naturalis quod Deo tale est, a jure naturali et immutabili, quod homini tale est	99
	(Posse Deum praecipere ac jure permittere hominibus contrarium eius, quod injungitur aut prohibetur, si non omnibus saltem quibusdam decalogi praeceptis)	100
	(Henricus Altingius)	108—113

(De *Potentia* Dei).

1.	An in Deo proprie sit potentia activa	113
2.	An Deus possit facere, quae non facit, vel praetermittere quae facit	115
3.	An Deus possit ea, quae fecit, meliora facere	115
4.	Utrum judicandum aliquod possibile aut impossibile secundum causas inferiores; an secundum causam superiorem	115
5.	An Deus possit ex malo bonum facere	115
6.	Utrum hoc falsum sit, Deus potest peccare, si vult	116
7.	An potentia Dei distinguatur ab ipsius voluntate	119
8.	An per absolutam Dei potentiam plures mundi produci possint	119
	De praesentia seu ubietate Dei ante mundi creationem	132
	Notae et Exercitationes ad Thomae part. 1. qu. 27. 44, *de Personis Divinis.*	136—147

III. PROBLEMATA DE CREATIONE.

		Pag.
1.	An creatio passive sumta aliquid sit in creatura	148
2.	An Deus potuerit plura et quaeque in suo genere meliora facere quam fecit	151
3.	An monstra a Deo creata	151
4.	An et quomodo differat creatio ab aeterna generatione	151
5.	An opus creationis sit opus naturae an voluntatis	151
6.	An homo, quia factus est ex limo terrae, non sit creatus, cum creatio sit productio rei ex nihilo	152
7.	Quam proprie et quo usu terminorum distinctio illa Basilii, lib. de Spir. S, c. 16 adhibeatur: In horum autem creatione cogita, mihi principalem	

rerum

Pag.

rerum causam ipsum Patrem: opificem Filium: perfectricem Spiritum S. Quare voluntate quidem Patris, ministratorii Spir. existunt: operatione vero Filii, ad esse producuntur: Spiritus autem praesentiâ, perficiuntur. 152
8. An per spiritum Dei, qui ferebatur super aquas, recte intelligatur creatus angelus, aut ventus vehemens.......... 152
9. An creatio sit ipse Deus creans.......... 152
10. Quantum annorum ab illo principio ad hunc annum Christi currentem — 1640 — effluxerit.......... 153
11. An Deus creaverit tenebras.......... 154
12. An creatio et creatura sint realiter distincta.......... 154
13. An miracula Dei, ut justificatio, regeneratio, illuminatio et quaecunque supernaturalia, sint creatio.......... 154
14. An septimus dies a Deo fuerit creatus.......... 155
15. An mundus sit perfectus.......... 155
16. An mundus sit in loco.......... 155
17. An mundus per peccatum essentialiter, an vero tantum accidentaliter mutatus sit.......... 155
18. An ratione naturali probari queat, mundum esse in tempore creatum..... 155
19. An et quae sit ista vanitas, cui creatus mundus subiectus dicitur.......... 156
20. An mundus sit corruptibilis.......... 156
21. An coelum et terra simul sint creata.......... 157
22. An Deus immediate moveat primum mobile.......... 157
23. An omnia corpora sublunaria, an vero tantum terra et aqua synecdochice nomine terrae primo die creatae intelligenda sint.......... 157
24. An dentur quattuor elementa.......... 158
25. Utrum plus terrae sit an aquae.......... 159
26. An sciri possit an sit terrae medium, et ubi sit.......... 159
27. An terra possit dici consenescere.......... 160
28. Qui, unde, quales isti ignes, quorum scriptura meminit, nempe in nube, in columnâ, in monte Sinai, in eversione Sodomae, ignis devorans holocaustum, et Nadab atque Abihu, item sacrificium Salomonis, ignis ex voto Eliae bis descendens et devorans milites, currus Eliae, in apparitione illa 2 Reg. 6 v. 17, in fornace Babylonico, in miraculis Antichristi Apoc. 13 v. 13, in fine mundi, in inferno.......... 161
29. Ignium et incendiorum in montibus Aethnae, Vesuvii, Haeclae, et alibi ignium subterraneorum, atque inde thermarum, quae causae.......... 161
30. An lux ex nihilo, an ex materia fuerit creata.......... 161
31. An detur materia prima Aristotelica, eaque a Deo sit creata.......... 161
32. An materia haec sit ingenerabilis et incorruptibilis.......... 162
33. Quae sit origo formarum materialium.......... 162
34. An formae coelorum et elementorum in prima creatione dici possint productae de potentiâ materiae.......... 162
35. An forma et materia habeat propriam subsistentiam.......... 163
36. An dentur privationes non tantum substantiarum et accidentium absolutorum, sed et relationum, immo et privationum.......... 163
37. An meteora secundo die fuerint producta.......... 166
38. Quomodo interpretandum sit אד Genes. 2 v. 6.......... 166
39. An ignoretur ortus et via ventorum, ut locis Scripturae innui videntur... 167
40. An igitur ille, qui Sodomam perdidit, fuerit praester.......... 167
41. Quomodo absque influentiis coelestibus exstiterint vapores.......... 172
42. An venti animo intemperiem quandam adferant.......... 173
43. Quomodo facta fuerit congregatio aquarum in locum unum.......... 173
44. An nubes conditae secundo die magnam partem aquarum abstulerint..... 174
(45.)46. Quomodo aquae dicantur collectae in unum locum, cum sint flumina, fontes, lacus, paludes, astuaria, immo pontus Euxinus, qui cum oceano non conjungitur.......... 176
47. An ideo, quia flumina quamvis a magno receptaculo distincta in mare se exonerant vel apertis vel occultis meatibus.......... 176
48. An quantitas terrae, si comparetur cum caelo, tam exilis sit, ut possit dici esse punctum, et instar punti.......... 176

49. An

Pag.
49. An aqua initio creationis decuplo amplior fuerit terrâ.................... 176
50. An globus terrae accurate mensurari possit.............................. 176
51. Quomodo mensurari possit... 176
52. An tota terra sit habitabilis.. 177
53. Quae pars novi orbis primum habitari coeperit.......................... 177
54. An Ophir, quo navigatio Salomonis fuit instituta, sit Peru.............. 177
51b. An aqua sit frigidissima.. 180
52b. An in loco suo gravis sit... 180
53b. An per se sit sphaericae figurae...................................... 180
54b. An alat... 180
55. An et quomodo peculiariter illi dominentur influentiae lunares........... 180
56. Quae sit causa aestus marini.. 180
57. An pontus Euxinus sit mare.. 180
58. An mare oriatur ex fluminibus, aut vaporibus resolutis................... 180
59. An omne diluvium sit a Deo.. 180
60. An conversio terrae Sodomae in mare mortuum fuerit diluvium; quomodo facta; an miraculosa.. 181
61. An intumescentia et motus maris Jonaei fuerit naturalis.................. 181
62. Quid de lacu Pyreneo, et altero in monte fracto prope Lucernam Helvetiorum — quem Pilati montem vocant — statuendum, in quos siquis lepidem dejiciat, continue tempestates, tonitrua, grandines dicuntur exoriri...... 181
63. An quotidie, per decursum trium quatuorve saeculorum, terrâ plus lucretur de aquâ, an vero contra... 181
64. An plantae sint animatae et sensitivae.................................. 181
65. An non repugnet ordini creationis, si dicatur speciem unam rerum in aliam, per hominum industriam transmutari posse, e. gr. viliora metalla in aurum 183
66. An Paradisus tertio an vero sexto die sit creatus........................ 186
67. An homo factus fuerit in Paradiso....................................... 186
68. Quae fuerint flumina Paradisi... 186
69. An paradiso decor superstes fuerit usque ad diluvium; et hominibus fuerit frequentatus; saltem cognitus.. 187
70. Cur paradisus post diluvium nunquam repertus fuerit...................... 188
71. An stellae sint partes densiores sui orbis et consequenter eiusdem materiae 188
72. An numerus earum minuatur aut augeatur.................................. 188
73. An et quomodo stellae numerari queant................................... 188
74. An sex earum differentiae, quod ad magnitudinem recte assignentur........ 189
75. An stellae de caelo cadant, aut in coelo exstinguantur, aut lumen suum cohibeant.. 189
76. An stellae ex nihilo sint conditae....................................... 189
77. An quarto die sint productae, quod ad accidentia, an vero etiam quod ad substantiam; ita ut partibus hic coeli densioribus dedent novas formas substantiales, figuram rotundam, lucem et motum.......................... 189
78. Quae fuerit stella Magorum, Matth. 2.....................................
79. Cur luna appelletur luminare magnum Gen. 1. 16 cum sit minor omnibus stellis, excepto Mercurio.. 189
80. An influxus et mixturae, amicitiae atque inimicitiae stellarum etc. saltem non inclinant (si non necessitant) voluntates humanas.................. 190
81. Quando tempus sit creatum... 190
82. An prognostica tempestatum, et similia naturalia ex astris praedici possint 190
83. An per indicium astrorum res futuras investigare sit peccatum............ 190
84. Cum duplex anni distinctio, eiusdemque duplex initium et finis sub V. T. observatum fuerit, utra sit melior et vetustior............................ 190
85. An tempus sit res quaedam praecisa ab omni operatione intellectus....... 190
86. An tempus re differat a motu.. 190
87. An intra sex dies omnis generis brutae, etiam venenata, noxia et infecta sint creata.. 191
88. An bruta sint in cibum data a prima rerum creatione..................... 194
89. Ex qua materia pisces et aves producta.................................. 198
90. An Deus pisces et aves creaverit ex nihilo.............................. 198
91. An quid de aquilae juventâ credendum.................................... 202

92. An

Pag.
92. An tunc — sexto scil. die — producti sint muli, leopardi, lynces 203
93. An producta sint animalia quae generantur ex putri materiâ 204
94. An sit monoceros, seu unicornu, qualis vulgo describi solet 204
95. An ante lapsum fuerit naturalis antipathia inter hominem et serpentes ... 204
96. Quid intelligatur per corpus illud πνευματικόν I Cor. 15 et quomodo homo dicatur futurus ἰσάγγελος Matth. 22, 30 204
97. An generationis Gigantum proxima causa, ubi parentes non Gigantes sit calor et vis plastica, ex parte parentum etc 205
98. An omnes pro ratione corporis, viribus et robore excellant 205
99. An sint gentes seu nationes integrae; an vero familiae tantum et quasi Gentes; an tantum singularia et rariora naturae miracula 205
100. Unde est quod aut omnes, aut plerique fuerint homines violenti et truculenti 205
101. An hodie tam effoeta dici debeat natura, ut in iisdem regionibus minus quam solet, tam vastas corporum moles producet 206
102. An Pygmei sint homines; et an sint homines dicti Arimaspi, Cynocephali, Sciapodes et similes apud Plinium, aliosque Historicos 206
103. An dentur homines marini utriusque sexus
Cur corpus humanum magis subjectum morbis et defectibus quam aliorum animalium 208
104. An melancholia, lycanthropia, mania, phrenesis etc. sint morbi animi an vero corporis 209
105. An dentur distinctae formae singularum corporis partium 209
106. An toto nutritionis decursu idem numero corpus perseveret 209
107. An et quomodo anima dependeat a corpore 209
108. An anima humana sit aliquid subsistans 209
109. An anima sit tota in toto, et tota in qualibet parte 217
110. An et quomodo dici possit esse in corde tamquam in sede sua 218
111. An etiam facultates, seu potentiae animae sint in singulis partibus corporis 219
112. An anima possit resolvi 219
113. An homo intelligat, an vero anima 219
114. Utrum anima perficiat corpus mediante corporeitate, an vero inmediate ... 219
115. An sit anima intellectiva immersa materiae 219
116. An anima localiter moveatur 220
117. An et quomodo seipsam moveat 220
118. Quomodo anima movet corpus per medium 220
119. Quomodo animae per habitudinem ad corpora individuantur 220
120. Quomodo anima habeat totalitatem essentiae 220
121. Quomodo anima intellectiva ad alias formas materiales se habeat 221
122. Quomodo anima humana ad aequalitatem superiorum possit pervenire 221
123. An anima sit rasa tabula, ut vult Aristoteles, an vero discentiae sint reminiscentiae, ut Plato 222
124. An in homine sit alia forma praeter animam intellectivam 223
125. An anima uniatur tali corpori mediantibus aliquibus dispositionibus accidentalibus 223
126. An omnes potentiae animae maneant in anima a corpore separata 223
127. Utrum appetitus inferior et superior sint realiter diversae potentiae 224
128. Utrum in appetitu superiore et inferiore possit esse peccatum 224
129. An mens natura sua infinita sit 224
130. Quomodo anima se esse, per se ipsam cognoscat 224
131. Quomodo intellectus cognoscat actum proprium 224
132. An anima humana in statu praesentis vitae in notitiam Angelorum pervenire possit per cognitionem materialem 224
133. An species intelligibiles effluant in intellectum humanum ab aliquibus formis separatis 225
134. Utrum synteresis sit potentia an habitus 225
135. An sit potentia specialis ab aliis distincta 225
136. Utrum synteresis in aliquo exstinguatur 225
137. An appetitus possit esse non entium 225
138. An appetitus sensitivus recte in ἐπιθυμίαν et θυμὸν seu in concupiscibilem et ira-

Pag.
et irascibilem dividatur; ut in diversas potentias........................ 225
139. An irascibilis et concupiscibilis obediant rationi................................ 226
140. Quomodo appetitus sensitivus moveat voluntatem........................ 226
141. An intellectus excellentior sit voluntate.. 226
142. An voluntas differat a concupiscentia.. 227
143. An voluntas differat a permissione.. 227
144. An voluntas sit intellectus extensus.. 228
144b. An volitio et nolitio sint actiones solius hominis propriae.............. 229
145. An voluntas moveat intellectum... 229
146. An habeat se ad utrumque oppositum libere.................................... 229
147. An voluntas possit eligere minus bonum... 230
148. An voluntas aliquando quid velit sub corditione et velleitas sit voluntas.. 231
149. An qui vult finem, semper etiam velit media ordinata ad finem.......... 231
150. An voluntas non appetat media nisi propter finem............................ 231
151. An voluntas moveatur naturaliter... 233
152. An determinetur ab ultimo judicio practico...................................... 233
153. An voluntas in actibus suis imperatis possit pati violentiam............... 136

IV. Problemata de Angelis.

Pag.
1. An Angeli lumine naturali solide probari possint............................ 241
2. An Angelus sit creatus ante corporalem creaturam........................... 244
3. An Angeli sint creati in coelo empyreo... 245
4. An aliqui in aëre, an in coelo stellato, an in mundo inferiori creati sint.. 245
5. An a platonicis recte definiantur animalia....................................... 245
6. An angelis competat quantitas spiritualis et intellectualis.................. 246
7. An suâ essentiâ sint locales, an illocales, et an sint in loco............... 252
8. An localiter moveantur et quomodo.. 252
9. Possintne moveri motu continuo an non continuo.............................. 253
10. An moveantur in tempore an in instanti... 253
11. An plures angeli possint esse in eodem loco.................................... 254
12. An omnes Angeli differant specie.. 261
13. An angeli sint simplices, an vero compositi, et quomodo..................... 261
14. An sint immortales et incorruptibiles... 261
15. An sint mutabiles vel immutabiles.. 262
16. An in angelis idem sint suppositum et natura.................................. 262
17. An angeli numero excedant materialia... 262
18. An proprie sit ratione praeditus... 264
19. An in angelis sit intellectus agens et possibilis................................ 264
20. An angeli intelligant tantum per species connaturales, an etiam per species a rebus acceptas.. 266
21. An intellectus angeli aliquando sit in potentia, aliquando in actu......... 266
22. An intelligant discurrendo et componendo ac dividendo....................... 266
23. Quomodo cognoscant seipsos et alios angelos.................................... 266
24. An angelorum cognitio sit in defectibilis... 266
25. Quomodo intelligendum sit, quod natura unius angeli non impedit aliorum cognitionem, propter eorum affinitatem et propinquitatem............... 266
26. An cognitio angeli possit dici matutina et vespertina.......................... 266
27. An hae duae cognitiones sint eaedem an diversae.............................. 267
28. An angeli per sua naturalia cognoscant Deum.................................... 267
29. An angeli cognoscant futura.. 267
30. An cognoscant cogitationes cordis.. 267
31. An cognoscant mysteria gratiae... 267
32. Quomodo Angelus habuerit liberum arbitrium ad bonum et ad malum.... 268
33. An in angelis sit facultas irascibilis et concupiscibilis....................... 268
34. An in iis sit dilectio naturalis... 268
35. An angelus naturali dilectione Deum plus diligat quam seipsum........... 268
(36), 37. An angelus possit edere vera miracula.................................... 268
38. An possit morbos lethales curare.. 268

39. An

Pag.
39. An possint immutare imaginationem hominis.... 268
40. An corpora ab angelis assumta sint vera ac solida, an vero apparentia... 268
41. An unus angelus alteri loquatur 268
41b. An et quomodo angelus loquatur Deo.... 269
42. An localis distantia in locutione angelicâ operetur aliquid.... 269
43. Quae, unde et quomodo corpora assumant, quae efformant, et quomodo distinguantur ab aliis corporibus.... 269
44. An motus angeli possit esse continuus.... 269
45. An sint creati in gratiâ sanctificante.... 269
46. An cum gratiâ acceperint etiam fidem supernaturalem.... 269
47. Quomodo angeli indiguerint gratiâ, ut converterentur ad Deum 270
48. Quae sit causa perseverantiae ipsorum.... 270
49. An et quomodo angeli sint praedestinati ad gloriam.... 270
50. An meruerint suam beatitudinem.... 270
51. An simul fuerint Viatores et Comprehensores.... 270

V. QUAESTIO AN CHRISTUS ELECTIS DE SALVANDIS SPECIALEM GRATIAM REGENERATIONIS ET FIDEI SIT MERITUS.... 270

VI. PROBLEMATA DE JUSTIFICATIONE.

Pag.
I. 1. An voces imputandi et justificandi sint synonymae.... 279
2. An vox imputandi notet gratiosam aestimationem.... 279
3. An imputatio sit justificatio, aut eius forma; seu an justificatio formaliter consistat in imputatione justitiae Christi.... 279
4. An accurate et proprie dicatur, justificationis partes esse duas, remissionem peccatorum et imputationem justitiae Christi; et justificationem in duobus illis consistere.... 280
5. An decretum justificationis, partem aut momentum aliquod faciat in ipsa justificatione.... 281
6. An dicendum sit justificationem esse actionem instantaneam, individuam, simul totam ac perfectam, sine successione, et sine graduum intensione; et hac ratione a sanctificatione destingui.... 281
7. An, siquidem instantanea simul tota et perfecta sit justificatio et remissio peccatorum, consequenter dicendum sit, etiam peccata futura remitti.... 282
II. 1. An fides praecipiatur decalogo.... 283
2. An fides sit actus transiens, an habitus, seu dispositio inhaerens et permanens.... 287
3. Sitne habitus infusus an acquisitus.... 288
4. An sit habitus unus simplex; an vero compositus, aut ex pluribus aggregatus. 288
III. Pergit in examine argumentorum de fidei subjecto et actu formali.... 293
IV. 1. An quaestiones de libero arbitrio, de justificatione, de modo recipiendi Christum in sacramento, sint Philosophicae.... 301
2. An dogma de justificatione hominis peccatoris ex solis scriptis Evangelicis et Apostolicis, non item Propheticis petendum sit.... 303
3. An Patres in V. T. per Christum ut Mediatorem atque adeo et per ipsius passionem et meritum justificati et salvati sint.... 303
4. An fideles sub V. T. habuerint remissionem peccatorum; et remissio illic facta vere fuerit, et recte dici potuerit remissio.... 306

VII. DISPUTATIO THEOLOGICA AD ROM. IV : 3.... 331
VIII. DISPUTATIO THEOLOGICA AD PSALM. CIII : 3.... 339
IX. DISPUTATIONES ALIQUOT DE ECCLESIA.... 383
X. DISPUTATIO DE COMMUNIONE SANCTORUM.... 387
XI. DIATRIBE DE HOMINE SPIRITUALI.

Pag.
1. Quid sit homo spiritualis.... 409
2. Quid sit diiudicare omnia.... 409
3. Quid sit a nemine diiudicare.... 411
[I.] 4. An tantum saeculo Apostolico, an et sequentibus saeculis fuerint, et hoc praesenti sint homines spirituales.... 417
[II.] 5. An qui vere est spiritualis, de seipso hoc certo cognoscere possit et debeat. 417
III. 6

Pag.
[III.] 6. An etiam spiritum illum eiusque fructus in se, fidelis coram aliis sive ultro, sive rogatus unquam profiteri possit 417
[IV.] 7. An fideles de genuinâ spiritualitate alterius certo cognoscere et judicare possint ac teneantur: aeque ac de suâ propria 418
[V.] 8. An alicui legenti, pronuntianti, alleganti Scripturam κατὰ τὸ ῥητὸν aut sensum eius, dicere liceat: Audite quid Spiritus hoc dicat 419

XII. DISPUTATIO DE IUDICE ET NORMA FIDEI.

Pag.
Quaestio I. Quis sit judex fidei seu religionis 420
cum qua fere coincidit quaestio: Quis sit interpres Scripturae 423
Quaestio II. Quae sit norma fidei seu religionis 425
cum qua fere incidit quaestio: Quae sit norma interpretationis Scripturae. 425
Appendix ad Disputationem praecedentem 429

XIII. PROTEUS ROMANUS.

Pag.
1. An Reformati peculiaribus aut specialibus rationibus probare queant, notas seu gnorismata Ecclesiae paenes se solos esse, et se solos salvificam Religionem habere 437
2. An Reformati solide probare queant, quare Calvini interpretationes Scripturae, Catechismum, doctrinam de coenâ etc. potius recipiant quam Lutheri; Et an supra alios probare queant Religionem suam esse magis certam et infallibilem; adhaec an eaedem illae probationes ab aliis (dissentientibus sc.) allegari nequeant 438
3. An minister Reformatus vel unico argumento, quod apud intelligentem et prudentem locum inveniat, probare possit se a Deo prae aliis, Lutheranis sc. et Anabaptistis missum et mandatum accepisse Ecclesiam Reformandi, Evangelium praedicandi, sacramenta administrandi, disciplinam exercendi, et genuinum sensum Scripturae melius proponendi quam Lutherani etc. 439

CARDINALIS HOSIUS 444
XIV. PAPISSA JOHANNA 445
XV. DISPUTATIO DE MODIS COGNOSCENDI DEUM.

Pag.
Pars Prima 455
„ Secunda 462
„ Tertia 470
„ Quarta 477
„ Quinta 484
„ Sexta 491
Appendicula ad Dispp. de Modis cognoscendi Deum 501

XVI. DISPUTATIO THEOLOGICA AD GEN. XIV VERS. XVIII DE SACRIFICIO MELCHIZEDEKI.
XVII. PROBLEMATA DE STATU ANIMAE POST MORTEM.

Pag.
1. An anima nec mortalis, nec immortalis simpliciter 533
2. Quomodo anima possit dici aliquo modo mori, seu homo secundum animam mori 534
3. An certior sit animarum immortalitas quam angelorum 534
4. An anima separata sit persona 534
5. An anima, ut separatae, naturale sit sine corpore operari 535
6. An anima separata possit eosdem specie actus producere quos producebat conjuncta 535
7. An species atque habitus in intellectu et voluntate animae conjunctae residentes, eandem a corpore separatam comitentur 535
Quali specie intellectus animae reparatae res cognoscat 536
9. An anima intelligendi actum exerceat sine ullo discursu; an vero potius multarum conceptionum nexum aggregatum 536
10. An et quomodo anima separata sit substantia imperfecta 536
11. An anima separata propter separationem suam a corpore tristetur 536

12. An

Pag.
12. An separatio a corpore, animae sit naturalis 536
13. An omnis separatio sit violenta 536
14. An anima per separationem mutetur privative 537
15. An anima separata a corpore aliquid de substantiâ propriâ amittat 537
16. An nulli loco sit addicta 537
17. Quot sint loca seu receptacula animarum separatarum 537
Quaestio historico-theologica DE ANIMA TRAJANI ex Inferno liberata ... 538

XVIII. Quaestiones de Gestibus Precantium.

Pag.
Quaestio 1. An externi gestus sint adhibendi 550
Quaestio 2. Qui ac quales sint adhibendi 552

XIX. Disputationes Theologicae de Selectis Quibusdam Problematis.

Pag.
I) Primum categorema: Deum ante mundi creationem alicubi fuisse 574
Secundum „ De Spatiis imaginariis 576
Tertium „ Quod mundi unitas per rationem naturalem non possit demonstrari 581
II) Quartum „ Quaedam attributa inesse Deo quasi in esse secundo, id est — uti de suo hoc glossema addit accusator — accidentaliter 583
Quintum „ Res a Deo non cognosci, quod ita sint, sed ita esse quod eas noverit 584
Sextum „ Deum futura contingentiâ nec in suis ideis, nec etiam in causis ipsorum, nec immediate in seipsis cognoscere 586
Septimum „ Christum post resurrectionem revera non edisse ... 589
Octavum „ Licet omne individuum sit incommunicabile unum numero et singulare, posse tamen esse tribus commune 592
III) Nonum „ Peccatum originale esse plenam et omnimodam imaginis divinae privationem 595
Decimum „ Nihil nisi ineptum praeter purum Dei beneplacitum adferri posse, cur hominibus gratia facta sit, Diabolis non 600
Undecimum „ Deum posse aliquem reprobare absque ullâ praevisione peccati, et ante omne decretum peccati permissivum 601
Duodecimum „ Objectum electionis ad salutem non esse hominem lapsum et miserum 602
IV) Decimum (tertium) quartum categorema: Non liquere cur Diabolus Serpentem potius adhibuerit quam ovem vel asinum. ad tentationem 607
Decimum quintum categorema: Omnia praecepta moralia, quae ad decalogum pertinent, non esse juris divini naturalis, nec talia censenda axiomata practica omnia quae lumine naturali innotescunt 608
Decimum sextum categorema: Christum qua mediatorem non esse adorandum 609
Decimum septimum categorema: Bene electos dici justificatos antequam nati sint 610
Decimum octavum categorema: Infantes excommunicatorum non esse baptizandos 611
Decimum nonum categorema: Deum universalia qua talia non cognoscere 615
V) Vigesimum categorema: Quod nego illud certissimum ac verissimum axioma, quod homo potest sine mendacio cognoscere, id Deus potest 618
Vigesimum primum categorema: Per peccatum nullam potentiam primam vel secundam homini periisse 621

Cate-

Pag.

Categorema XXII: Peccatum posse remitti per solam condonationem Dei, nullâ factâ reali mutatione in peccatore 622
Categorema XXIII: Generationem non esse causam per se et proprie dictam sive principalem sive instrumentalem, sed esse causam per accidens, hoc est, proprie antecedens, ad quod necessario necessitate consequentiae sequitur peccatum originale seu esse medium sive causam sine quâ non traduceretur, aut in ullo existeret..... 624
Categorema XXIV: Vocabulum corporis latiori significatione non posse Deo tribui, si nempe corpus accipiatur pro verâ rei substantiâ mero phantasmati ac nudo accidenti oppositâ 628
VI) Categorema XXV: Quod quodlibetice disputandum susceperim de expositiis infantibus baptizandis 630
Categorema XXVI: Judicium contradictionis in rebus ad fidem spectantibus ex lumine rationis peti non posse 631
Categorema XXVII: Patrem semper ac continuo generare filium 632
Categorema XXVIII: Verbum est in dicto Christi „hoc est corpus meum", non esse tropice intelligendum 633
Categorema XXIX: Dicta amicorum Jobi thetica non esse authentica... 634
VII) Categorema XXX: Posse dari creaturam, quae sit ubique. Quod ex Becano Jesuitâ desumtum apprime inservit sustinendae transsubstantiationi et consubstantiationi 640

(De Problematis ad Posteriorem Theologiae Partem Spectantibus).

Categorema XXXI: Magistratum posse bonâ conscientiâ res totâ suâ naturâ turpes majoris mali vitandi gratiâ permittere 645
Categorema XXXII: Quod in versatili meâ Theologiâ haec omnia licent bona conscientia, et tam facile quis possit juxta illius rescripta esse foedifragus ac perjurus, quam atrocissima quaeque in alium conjecta convitia excudare a phrasi Scripturae, quae Deum ipsum leoni, lupo et furi confert 648
VIII) Categorema XXXIII: Pilos et ungues ad cutem usque praescindendos: comam ad cutem usque eradendam 651
Categorema XXXIV: Quod omnia templa structurae Pontificiae respuam et velim eversa 652
Categorema XXXV: Abstinendum esse ab auctoribus Ethnicis utraque linguâ imprimis poëtis, comicis et satyricis in Academiâ et Scholâ Triviali explicandis 654
Categorema XXXVI: Osculo matronam advenientem excipere, aut simili ritu ei valedicere non esse licitum 654
Categorema XXXVII: ....
....
Categorema XXXVIII: Idiololatriae participatae et interpretativae reum fore qui in templo precaturus plerumque de verteret ad orientem, et si tamen non attenderit, ibi esse aut fuisse chorum, quo Pontificii certâ quâdam intentione se convertunt inter orandum 655
Categorema XXXIX: Nefas esse alicui propinare in ipsius sanitatem...... 657
IX) Categorema XL: Calceum paulo longiorem pede non esse gestandum. 661
Categorema XLI: Bona pseudecclesiastica olim a Pontificio clero possessa in Belgio, nullâ ratione alienari, saecularizari, aut ad alios usus quam sacros et religiosos a Magistratu transferri posse. Ille esse Christi patrimonium quod attrectari a Magistratu saeculari citra sacrilegium nequeat. Quemlibet Ecclesiam particularem in Belgio habere proprium et directum dominium omnium illorum redituum etc. Supremo Magistratui minus

adhuc

Pag.

adhuc juris esse in ulla bona, quae citra tyrannidem et omnis juris violationem vendere, alienare, aut suis usibus privatis, publicis applicare nequeat, quam in privatas cuiuslibet civis possessiones etc. Papatui consecrata bona Ecclesiastica, licet ad missas celebrandas, et animarum ex purgatorio redemtionem efficiendam, idolo dicata :non fuisse, nec potuisse in fiscum redigi a Magistratu 662

X) Categorema XLII: Quod fidei habitus in paroxysmo non imminuitur, sed actus impeditur.... 675

XI) Categorema XLIII: *De bonis operibus causis vitae aeternae*.......... 675

XII) Categorema XLIV: *De Brownismo meo*.......... 698

Categorema XLV: De praecisitatibus monachalibus et Papisticis superstitionibus.......... 706

Categorema XLVI: De Enthusiasmo et Weigelianismo, quam propter laudatum libellum Thomae a Kempis mihi impingit ... .708

Categorema (XLVII): De Scepticismo.......... 713

XX. Disputatio de Gratia Subsequente.

Pag.

I. II. III) 1. Praecognito *quid sit* gratia subsequens, praemisso.......... 716

2. Ad quaestionem *an sit* respondebimus; et *quod sit* Gratia subsequens, et quod ad omne opus bonum sit necessaria, probabimus.......... 722

IV) Hactenus gratiae subsequentis necessitatem et efficaciam ad singulos actus bonos, in genere explicuimus: Restat in specie et applicate, ad spiritualem S. Scripturae et doctrinae salutaris, discentiam, perceptionem, intelligentiam, judicium, fidem, eiusque gratiae efficaciam et necessitatem paucis probemus.......... 741

V) Pergimus in refutandis objectionibus et exceptionibus contra necessitatem efficacis operationis divinae seu Spiritus Sanctis ad singulas Scripturae et rerum spiritualium intelligentias, receptiones, diiudicationes..........

Quibus disputationibus, ut iam monui, disquisitiones de termino vitae *et de* Cometis *proprio titulo subjunctae sunt.*

En brevi composita conspectu, quot quantaque Atlas noster in dogmaticis molitus sit, praeter ea quae seorsim iam contra Pontificios et Arminianos et Cartesii machinationes abunda ubertate per continuum fere cursum academicum, ut et antea in ministerio, sine interruptione ediderat.

Cui indefesso labori si addas, quid praestiterit in jure canonico, quid in asceticis, quid in lectionibus, in sermonibus, in visitationibus domesticis, virum mecum miraberis qui tamdiu tanta sustinuit, vel potius collaudabis Dei Optimi Maximi gratiam, qua talis vir Ecclesiae reformatae concessus est.

KUYPER.

Dabam Amstelodami
Idib. Jan. a. MDCCCLXXXVIII.

DISPUTATIO PRIMA.

DE

RATIONE HUMANA
IN REBUS FIDEI[1].

De usu rationis humanae in rebus fidei duplex est controversia: Una cum Socinianis eorumque asseclis; altera cum neotericis quibusdam Pontificiis. Nos utramque breviter his thesibus explicabimus.

1. Sociniani quamvis aliquando videantur fluctuare (ut Scepticis & Phyrrhioniis affinis est haec secta) dum prae se ferunt scripturis omnia à se tribui: tamen ista & similia perperam effutiunt. *Ostorod. institut. cap.* 6. *Cateches. Racoviana* p. 37. 55. 56. Smalc. in praef. c. Franzium. *Sola ratione dijudicari possibilitatem & impossibilitatem articulorum fidei; non esse credenda quae menti impossibilia videntur, summam religionem esse rationem:* & ostendit ipsorum methodus disputandi contra Trinitatem, Christi personam & officia *&c.* non scripturam tantum sed etiam rationem, & vel imprimis, esse normam religionis & credendorum: praecipuè cum omnes fidei veritates ex simpliciter prioribus & notioribus deduci volunt: quippe qui notiones ac conceptus univocè universales de Deo & creaturis, de rebus actionibusque divinis & humanis fingunt tanquam aequaliter illis convenientes & applicandos, idque ante extra & supra scripturam. Nec abludit author anonymus libelli in Hollandiâ sparsi anno 1633, qui continet *examen libelli Papistici Valerii Magni de Acatholicorum credendi regulâ*, ubi & Pontificiorum & nostrâ de judice controversiarum sententiâ explosa, naturalis ratio humana statuitur judex & norma fidei.

2. Praecognita & hypotheses nobis sint istae. I. Per rationem humanam *primo & propriè* intelligimus facultatem animae rationalis in homine, quâ intelligibilia apprehendit & dijudicat; de quâ Physici in libris de animâ. *Secundo* per metaphoram metonymicam etiam denotare potest lumen cognitionis naturalis. Quale duplex est, *unum* assitum, extrinsecus objectum, seu externum, quod exterius homini proponitur & offertur per providentiam Dei moralem: Estque nihil aliud quam liber naturae, & media, adminicula, atque occasiones in hoc universo suppeditata ad [pag. 2] cognitionem & ratiocinationem naturalem, quae citra revelationem supernaturalem peragitur. *Alterum* est insitum seu internum, quod intus inditur & introducitur. Hoc rursum duplex est *vel* impressum omnibus hominibus ab ipso ortu, & habet se ad modum

[1]) Resp. LUCA COUTERELIO Hag. Comit. Batav. 17. Febr. 1636.

modum principii, seu mavis habitus principiorum, diciturque communis sensus, communes notiones: de quibus egimus in disp. de Atheismo: *vel* acquisitum & post nativitatem hominis de novo superinductum per auxilia Dei generalia; habetque se ad modum scientiae seu habitus conclusionum, quo mens disponitur, facilitatur, & determinatur ad cognitiones actuales eliciendas, conceptus formandos, & conclusiones ritè ex principiis deducendas de Deo & rebus divinis. De lumine hoc interno seu insito *Rom.* 2. 14. 15. *Ps.* 19. *v.* 1. 8. *Rom.* 1. 19. 20. II. Ratio humana propriè dicta considerari potest. 1. *vel* in ideâ, seu objectivè, & abstractè: vel concretè, seu subjectivè, & ratione certi status, scil. ante lapsum ut dotata imagine Dei; in lapsu, ut corrupta; in gratiâ, ut liberata, quamvis imperfectè; in gloriâ, ut perfectè collustrata lumine gloriae. Nos hic ut plurimum eam accipiemus subjectivè, ut per lapsum totaliter corrupta est, aut ut per gratiam liberata est, sed non perfectè: subinde etiam objectivè, abstractè, ut sic & in suâ essentiâ contradistinctè & divisim ab omni habitu, aut dispositione, aut quâcunque formâ accidentali eam informante, determinante ac modificante, quae ex principiis essentialibus subjecti (hominis scil.) non emanat & fluit; atque adeo non est proprium, quod omni, soli, & semper competat. Prout scil. est à Deo hominem producente; atque adeo opus Dei seu bona Dei creatura: nonnunquam etiam compositè cum habitu, aut dispositione per sola media naturalia aut per Dei quaedam auxilia communia citra gratiam regenerationis in ipsam introducta. III. Principium fidei duplex est, *ex quo* seu externum; & *quo* seu *per quod* sive internum. Illud posset dici principium objectivum; istud principium formale. Illud est verbum Dei: istud illuminatio Spir. S. seu lumen supernaturale menti nostrae infusum. Externum fidei principium, de quo hic quaeritur debet esse primum & *αὐτόπιστον*, ex quo primò educuntur & in quod ultimo resolvuntur omnes fidei veritates, articuli seu conclusiones: de principiis primis vide *Philosophos ad lib.* 1. *posterior. c.* 2. 6. 10. *& Scholasticos ad* 1. *p. qu.* 1. *art.* 2. 6. 8. IV. Objectum fidei divinae hic intelligimus formale, non praesuppositum: h. e. articulos fidei salvificae *οἰκείους*, proprios & strictè dictos, non vero praesuppositos, qui ipsi cum Theologiâ naturali, & cum sanâ Philosophiâ sunt communes: Quales e gr. *Esse Deum, Deum esse justum, gubernatorem mundi, animam esse immortalem, &c.* V. Praesupponimus rationem humanam revera esse & rectè dici subjectum fidei recipiens, item instrumentum & principium [pag. 3] (ut vocant) elicitivum fidei & cognitionis actualis: quia sola fidei est capax non vero alia aliqua inferior facultas, quae homini cum brutis sit communis. Haec tanquam *principium quod* conclusiones fidei ex unico infallibili scripturarum principio educit, atque adeo actibus simplicis apprehensionis, compositionis, divisionis, & discursus *τοῦ γνωστοῦ* supernaturalis seu spiritualis intelligentia peragit. VI. Praesupponimus etiam supernaturales veritates fidei divinae superare rationem hominis quà talem seu ut sic: quia non percipit illas nisi per lumen superius elevetur atque informetur: Non tamen ei per se & quâ tali repugnare, sed per accidens corruptionis, & pravae dispositionis, quae menti nostrae adhaeret. Hactenus ergo fides & Theologia nostra tota dici potest rationalis, non quod à priori veritatem suam rationibus necessariò demonstret apud negantes principia religionis Christianae; sed quod demonstret conclusiones ex authoritate scripturae, & rationibus ex scriptura deductis, apud eos qui aliquid concedunt eorum, quae divinitus revelata sunt: & quod solvat saltem rationes eorum qui nihil concedunt, quibus illi contradictionis,

& ab-

& absurditatis fidem nostram arguunt, ut rectè distinguit *Thomas p.* 1. *qu.* 1. *art.* 8. Adde quod oppugnando directè falsam Theologiam, consequenter & indirectè unà propugnet veram: impedimenta scil. & praejudicia removendo, & sic viam ad veritatem muniendo. Talem fidei defensionem videre est apud *Athenagoram, Justinum Martyrem, Clementem Alexandrinum, Origenem, Tertullianum, Arnobium Lactantium, Augustinum, Theodoretum, Cyrillum Alexandrinum, &c.;* & intermediae aetaris scriptores *Thomam contra gentes, reliquosque Scholasticos,* si cum delectu & judicio solidiora excerpantur; item *Savonarolam in lib. de triumpho crucis, Raymundum de Sabunde in Theologiâ naturali; Cardinalem Cusanum, Dionysium Carthusianum, aliosque contra Mahumedistas,* recentiores denique *Ludovicum Vivem, Augustinum Steuchum, Charronum, quaestionarios Scholasticos & commentatores in Lombardum Thomam;* inprimis apud *Plessaeum in egregio tractatu de veritate Religionis Christianae:* quibus adjungi possunt Antagonistae Socinianorum alibi nobis citati.

3. His praemissis dicimus nullam rationem humanam esse principium *quo* seu *per quod,* aut *ex quo* seu *cur* credamus, aut fundamentum aut legem, aut normam credendorum ex cujus praescripto judicemus: atque adeo salsum non esse habendum illud in rebus fidei e. g. *trinitatem, peccatum originale, Christum θεάνθρωπον ejusque satisfactionem,* quidquid lumen naturale aut ratio humana ex prioribus & notioribus non capiat, vel quod ad accuratam definitionem, vel quod ad demonstrationem, vel quod ad [pag. 4] utrumque: sed contrà resolvi fidem nostram, ut notat credenda, in S. Scripturam; ut notat actum credendi, in illuminationem Spiritus Sancti. Probatur I. quia ratio hominis irregeniti circa legem divinam caecutit. *Eph.* 4. 17. 18. *Rom.* 1. 21. 22. 23. circa Euangelium plane caeca est, merae tenebrae. 1. *Cor.* 1. 23. & 2. 25. *Joh.* 1. 5. cum 9. *Eph.* 5. 8. II. Quia multa sunt mysteria in Theologiâ nostrâ, imò totum Euangelium dicitur mysterium. 1. *Tim.* 3. 16. *Mat.* 13. 11. At illorum nil percipit homo animalis absque divinâ revelatione, nec *quod sit,* nec *quia sit.* Regenitus autem etiam cum intra & supra alios optimè se habet in primis summisque fidei capitibus, ex accuratis definitionibus *τὸ quid, quomodo, & quia* non percipit, sed tantum *quod sit* ex supernaturali revelatione Spiritus *S. Mat.* 19. 17. & 13. 11. 25. 27. III. Quia essentia & attributa Deitatis ab humanâ mente immediatè, adaequatè, ut sunt in se, atque adeò perfectè non comprehenduntur: sed tantum per viam negationis, causalitatis, eminentiae: habet enim se hic mens humana ut oculi noctuarum ad Solem. Quin etiam de operibus Dei testatur Scriptura, quod comprehendi non possint *Rom.* 11. 33. 34. *Job.* 41. 2. *Jes.* 40. 13. 1. *Cor.* 2. 19. Nedum ut personae Trinitatis; Christus redemptor, & totum mysterium redemptionis ratione humana comprehendi possit. Confer hic *disputationis Theologorum de visione & cognitione Dei, deque ejus incomprehensibilitate.* IV. Quia mens hominis regeniti, imprimis si adhuc infans sit, 1. *Cor.* 3. 1. 2. *Heb.* 5. 12. 13. cum *Phil.* 3. 15. imperfectè & ex parte hîc cognoscit. 1. *Cor.* 13. 12. Multumque nativae caliginis semper ei adhaeret; hinc difficultas, imperfectio, obscuritas, confusio in rebus divinis cognoscendis: Non est itaque principium fidei divinae, cui non potest subesse falsum. V. Principium est infallibile, unde primò educitur ac demonstratur, & in quod ultimò resolvitur fides, at talis non est ratio humana, Ergò. Ultima enim resolutio fidelium est non *qua* aut *quia* ego ita intelligo, capio, judico, ideo de fide est, sed

sed quia Deus in Scriptura ita loquitur, ideo de fide est, & hinc ego ita judico, ac judicare & credere debeo. 2. *Tim*. 3. 14. 15. 16. 1. *Thes*. 2. 13. ita ut ratio infallibilitatis fidei, sit in & ex verbo Dei, non in aut ex ratione humana tanquam principio. VI. Ratio humana non est prior notior, certior fide; ergo non est ejus principium. Majoris consequentia in confesso est, ex Philosophis *ad c. l.* 1. Posterior analytic. minor probatur: quia omnis cognitio fidei, quam tenet ratio est ex verbo Dei *Joh*. 1. 18. *Mat*. 16. 17. ergo non est prior. Quia per fidem ratio illustratur, *Eph*. 1. 17. 18. Ergo non est notior. Quia fides est testimonium Dei, per supernaturalem scilicet revelationem, at ratio humana non est, ergo non est certior, 1. *Joh*. 5. 9. VII. Christus, Prophetae, Apostoli ad solum Dei verbum [pag. 5] remiserunt auditores, atque ex eo solo fidem explicârunt ac demonstrârunt. *Jes*. 1. 20. *Luc*. 24. 25. 27. *Actor*. 25. 22. 27. & 13. 27. & 17. 2. 11. 2. *Tim*. 3. 15. 16. VIII. Ex absurdis consequentibus. *Primo* tum sequeretur totam religionem esse naturalem, & naturali ratione, ac lumine demonstrabilem; sed hoc absurdum est: est enim latissima distinctio inter gratiam & naturam, inter revelationem gratiae specialem seu lumen supernaturale, & revelationem Dei generalem seu lumen naturae, inter Philosophiam & Theologiam seu fidem, ex 1. *Joh*. 1. 9. *Rom*. 1. 19. & 2. 14. 15. cum *Psal*. 147. 20. *Act*. 14. 16. 17. *Ephes*. 2. 12. 13. *Secundo* sequeretur rationem nullibi esse captivandam, abnegandam, sistendam, atque adeo ad silentium & quietem doctae ignorantiae in altitudine veritatis occultae redigendam, nullaque adeo indigere regeneratione, renovatione & transformatione contra *Rom*. 11. v. 33. 34. 35. & 12. 2. *Eph*. 4. 23. 1. *Cor*. 1. 18. 19. 20. & 2. *Cor*. 10. 4. 5. 21. 22. 23. 24. 25. *Mat*. 16. 17. 24. *Tertio* sequetur eos quibus ratio perspicacior, & ingenium magis exactum ac subactum, posse melius percipere ac dijudicare mysteria fidei, contra universalem experientiam & 1. *Corinth*. 1. 19. 20. 21. 22. *Mat*. 11. 25. IX. Accedat argumentum ad hominem. Socinus cum suis negat omnem Theologiam naturalem, seu cognitionem Dei tam insitam quam acquisitam, eamque totam si quae alicubi sit aut fuerit apud extraneos à scripturâ ex probatione inartificiali atque adeo maxime fallibili merâ scilicet traditione & testimonio hominum habitam fuisse contendit. Quomodo ergo ratio humana erit principium infallibile mysteriorum fidei? atque hae rationes sufficiant. Meritò ergo dicere possumus Socinianis, eorumque asseclis & fautoribus, quod Augustinus Manichaeis lib. 17. contra Faustum, c. 3. *Undique tergiversatio vestra confunditur. Aperte dicite vos non credere Euangelio: nam qui in Euangelio quod vultis creditis; quod vultis non creditis; vobis potius quam Euangelio creditis.* Postquam haec scripsi prodierunt anno 1641. *Collegia Theologica Joh. Maccovii, ubi tom.* 1. *p.* 544. quaestio haec contra Socinianos tractatur. Quae cum nostris conferri possunt. Rationis humanae subjectivè consideratae incertitudinem & insufficientiam in moralibus (nedum in mysteriis fidei) describit *Seldenus* in erudito opere *de jure Naturali & Gentium &c*, edito anno 1640. *lib*. 1. *cap*. 7. Remonstrantibus in *Vindiciis* seu *Vedelio Rhapsodo* nonnulla exciderunt, quae à Socinianis non ita abludere videntur: quae detecta & excussa sunt à *Nic. Vedelio in Arcanis Arminianismi* part. 3. lib. 1. cap. 4. & part. 4. lib. 1. cap. 4.

4. Accedamus nunc ad novum εὕρημα pontificiorum, qui contendunt à nostris Papismum refutari debere tantum ex expressis scripturae verbis, absque ullâ ratiocinatione, discursu, consequentiarum nexu & probatione, [pag. 6.] atque adeo rejiciunt,

unt, & removent à collationibus & disputationibus nobiscum habendis omnem Logicam naturalem, & artificialem, docentem & utentem. Quod inventum primus videtur prodidisse *Jesuita Gunterus in colloquio Duriacensi*, Anno 1612. non tam habito, quam tentato: perfecerunt Pandoram illam tandem Jesuitae in Galliâ inter quos emicuit Verronus, qui nescio quae epinicia editis libris non cecinerit, quae miracula illi non tribuerit. Quid de fungo & Jonae ricino illo factum sit, & quo successu nascens mortuum fuerit indicavimus in *Desperata Causâ Papatus libro* 2. *sect*. 2. *cap*. 25. Nostri in Galliâ speciatim Rhotomagi quàm bellè exceperint Verronum, indicat *Cl. D. Rivetus in epist. dedic. ad Tom*. 1. *Catholic. Orthod.* & *author elegantissimi libelli cui tit. Verron exploictant.* Quia autem compendium ludicrae istius methodi absque seriâ disputatione nostros confundendi latinè Coloniae 1628, & postea Belgis suo idiomate ex prolixo Verroni volumine ante paucos annos exhibuerunt, operae pretium facturos nos arbitramur, si breviter hoc quicquid inaniarum est exploramus.

Praecognita & praeambula probationum nostrarum sunt ista: I. Colosso illi suo praestruunt & substruunt hanc falsissimam hypothesin: nostros asserendo scripturam esse unicum fidei principium, eo ipso omnes dogmatum demonstrationes & errorum refutationes ex expressis scripturae verbis tantum admisisse hactenus, aut etiamnum vel admittere: quod cum strenuè neget doctrina & praxis nostra, ruit tota ipsorum moles. II. Sumunt sibi hoc postulatum, in omnibus collocationibus collatori nostro quamvis provocato tantum incumbere partes probandi, non vero Pontificio: Quod cum nemo sanus illis concesserit, naturalis etiam ratio & aequitas, atque adeò omnes collationum leges & perpetua praxis tam antiquarum quam recentiorum, etiam omnium Pontificiorum cum nostris sive vivâ voce sive scriptis usque ad Gunterum & Verronum, &c. exclusivè contrarium planè doceant; rursum in se corruit haec methodus. Quin imo contendimus, Pontificiis quippe affirmantibus *Indulgentias potestatem Papae*, *satisfactiones humanas*, *sacrificium Missae*, *cultum imaginum*, &c. solis istic incumbere probationem: fides enim & Theologia ad salutem necessaria per se non est negativa, alioquin esset indefinita, & infinita; cum *veritas una sit falsitas multiplex*, teste Philosopho: praetereà omni jure solis illis, non nobis incumbit probatio, saltem cum actionem novitatis, haereseos, apostasiae, schismatis temporalibus & aeternis flammis expiandi nobis intentant. III. Siquidem ergo histrioniam illam Verronicam absque operosa probatione eludere nobis liberet; peteremus quod olim Diogenes à Sophistâ quodam argutante: *Quod ego sum id tu non es*, *Ego sum homo*, *ergo*. *A me*, inquiebat, *incipe;* ut à nobis etiam inciperent Verronici, & ita [pag. 7] firmitudinem hujus suae methodi explorarent. Ausint affirmare nos esse schismaticos, Apostatas, Haereticos, &c. quod facit *Concilium Tridentinum sess*. 13. *in Octob*. 1551. *&* *sess*. 21. 16. *Julii* 1562. Si non ausint, jam triumpharemus apud dramatis spectatores; si ausint jam ipsis probandum esset, aut vadimonium deserendum. Concederemus ut probationes non tantum depromerent ex scripturis, sed etiam ex Conciliis & Patribus, quos perpetuò crepant. Ostendant nobis non humanis consequentiis, non Aristotelicis Syllogismis (ut nobis exprobrant) sed liquidis sententiis expressis verbis: *Protestantes*, *Lutherani*, *Calviniani*, *Angli*, *Scoti*, *Wittebergenses*, *Genevenses*, *Emdani*, *&c. aut Calvinus*, *Beza*, *Zwinglius*, *Martyr*, *Bucerus*, *Masculus &c. sunt novatores*, *haeretici; vel non possunt salvari*,

vari, non sunt Ecclesia, quia non agnoscunt Urbanum VIII. *esse caput Ecclesiae, quia non recipiunt Concilium Tridentinum*, &c. Prout à nobis ostendi postulant, *Papa non est caput Ecclesiae, Missa non est sacrificium, nullum est Purgatorium*, &c. Ita videbunt Methodum Verronicam in ipsos conversam, & par pari retusum, non aliter ac dilemma Euathli dilemmate Protagorae, de quo *Agellius lib.* 5. *cap.* 10.

Sententia nostra est, in Theologica Electica, seu in refutatione falsitatis e. g. purgatorii, indulgentiarum, &c. discursu, & consequentiis utendum esse, & siquidem praefractus adversarius eas neget, etiam probationibus consequentiarum, non tantum ex sacris litteris, sed etiam ex axiomatis & principiis luminis naturalis sive naturaliter sive technicè ex Philosophiâ & Logicâ notis, ut appareat apta connexio medii termini cum majori extremo: Veritatem vero sententiarum seu terminum medium & connexionem medii cum minori extremo ex solius scripturae (nisi sententiae pertineant ad Theologiam naturalem, quales ex scripturâ primario, & ex lumine naturali secundario etiam probantur) sive expressis verbis, seu aequipollentibus, sive per bonam consequentiam demonstrandam esse. Rationes nostrae sunt istae, 1. Quia tota Theologia positiva est argumentativa, *primo*, quia est sapientia & scientia: non deducit itaque conclusiones fidei ex principiis suis absque discursu. *Deinde*, quia omnis interpretatio scripturae, & assertio, seu thesis theologica inde deducta debet esse secundum analogiam fidei, *Roman.* 12. *v.* 6. (Confer *Ireneum lib.* 6. *cap.* 46. 47. *& lib.* 4. *c.* 63. *& A Lapide, aliosque commentatores ad Roman.* 12.) ergo non est sine discursu, collatione, consequentiâ. Ergo multò magis Theologia elenctia est argumentativa. Vis hujus argumenti in confesso est; & debet esse apud omnes Pontificios, ex *Thoma, p.* 1. *q.* 1. *a.* 8. II. Quia Theologia elenctica Prophetarum & Apostolorum est argumentativa & formalitatibus, ac terminis argumentantium utuntur [pag.8] scriptores θεόπνευστοι, ut λογίζεσθαι, κρίνειν, συνκρίνειν, διανοίας δοκιμάζειν *Rom.* 3. 28. & 6. 11. *Hebr.* 11. 19. 1. *Cor.* 14. 29. 1. *Cor.* 2. 13. & 10. 16. & 11. 13. *Heb.* 4. 12. & 5. 14. *Act.* 17. 11. *Eph.* 1. 18. 1. *Pet.* 1. 13. & 2. *Pet.* 3. 1. 1. *Thes.* 5. 21. & *Phil.* 1. 10. Sic etiam λόγον ὀρθοτομεῖν, διαλέγεσθαι. 2. Tim. 4. 15. & 2. 15. *Act.* 17. 2. 3. κατ' ἀναλογίαν τῆς πίστεως. *Rom.* 12. 6. & τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. *Tit.* 1. 9. ἐπίδειξις. *Act.* 18. *v. ult.* & 1. *Cor.* 11. 13. 14. κρίνατε &c. φύσις διδάσκει, &c. *Heb.* 7. 7. χωρὶς δὲ πάσης ἀντιλογίας, &c. III. Quia Christus, Prophetae & Apostoli per consequentias dogmata sua demonstrant, & falsitates arguunt. Ita Paulus, Apollos aliique valide evicerunt contra Judaeos, Jesum esse Messiam *Act.* 18. 28. nihil tamen dicentes extra Mosem & Prophetas. *Act.* 26. 22. Ipse Christus personam & officium suum quomodo probat, & adversarios ex Mose & Prophetis redarguit, *Joan.* 5. & 8. & 10. *Luc.* 24. 12. ? Cum dicit Mosem & Prophetas de se testari ac scripsisse *Joan.* 5. 39. 26. sic *Mat.* 22. *v.* 44. Probat se esse dominum Davidis; & *v.* 29. probat resurrectionem mortuorum: eamque dicit scriptura contineri, quamvis conclusio expressis verbis ibi non compareret: eodem modo disputabatur in concilio Apostolico *Act.* 15. *v.* 8. 9. 16. 17. & sic Apostolus *epist. ad. Rom.* & *Galat.* disputat de justificatione; & 1. *Cor.* 15. de resurrectione, & *Actor.* 17. 16. 17. 18. Athenienses philosophos non refutavit absque consequentiis. Petrus *Act.* 2. & 3. de missione Spir. S. passione, resurrectione, adventu Christi. IV. Quia plurima Christianismi dogmata non exstant αὐτολέξει, sed tantum κατὰ διάνοιαν aut verbis aequipollentibus in scriptura, ut tres personae Dietatis realiter distinctae, filius ὁμοούσιος patri,

patri, duae naturae in una persona Christi essentialiter, inconfusè &c. ergo per consequentiam inde educenda sunt. V. Ex natura articulorum seu dogmatum fidei. Sunt enim & rectè dicuntur conclusiones; at illae eliciuntur etiam per consequentias ex suis principiis, in quibus potentiâ & virtute continentur: quae ergo est ratio omnium principiorum, axiomatum, & legum in theoreticis, & politicis, eadem etiam est verbi divini; atqui ibi ex verbis non tantum sed etiam ex sensu per evidentem rationem & consequentiam aliquid statuitur & dijudicatur. VI. Quia nulla disputatio est absque elencho & contradictione, nullum autem de contradictione judicium absque regulis consequentiarum, absque principiis rationis, quae à Deo sunt non ab homine sive Aristotele, sive alio, non magis quam usus aurium (sine quo nec fides haberi nec contra haereses defendi potest) ab Aristotele est. VII. Ex communi consensu & praxi patrum, conciliorum, scholasticorum, etiam recentiorum pontificiorum, qui atheos, gentiles, judaeos, haereticos, adversarios quoscunque hactenus adhibita ratiocinatione & consequentiis refutârunt: contraria sententia [pag. 9] & praxis, quam nunc renovant Verronici, fuit veterum haereticorum Arrianorum, Nestorianorum, Monophysitarum &c. qui scripturae expressa verba à Catholicis perpetuo postulabant. VIII. Accedunt testimonia patrum, quibus usum principiorum rationis commendant Nazianz. orat. 6. de Spir. S. adversarium suum dicit *litterae servire, & rebus relictis syllabas consectari*, vocat eum *alphabetarium sophistam*, συκοφάντην τῶν ὀνομάτων quod scil. consequentias, per quas ex scripturis probatur Spir. S. Deitas non admitteret. Vid. eundem *in Orat. funebr. in laudem Basilii Magni*. Augustin. de doctr. Christ. lib. 2. c. 30. *Aliud est nosse regulas connexionum, aliud sententiarum veritatem: in illis discitur quid sit consequens, quid repugnans. Consequens, si orator est, homo est. Repugnans, si homo est, quadrupes non est, hic ergo de ipsa connexione judicatur.* Vid. eundem *cap.* 31. 35. 37. *ejusdem libr. & contra Cresc. lib.* 1 *cap.* 15. Athanasius in epist. de decret. Syn. Nicen. *Hominum perspicacium est, ut Paulus praecipit, lectioni attendere, ut rem judicio discernant. & pro natura rerum, quae ibi scribuntur, vocabula accipiant, sine confusione intellectus.* Aug. lib. 2. contra Cresc. cap. 2. *Non curo utrum ipsa ea dialectica vocetur, curo tamen quantum valeo nosse ac posse disputare, h. c. veritatem à falsitate in loquendo discernere, qui nisi hoc curavero, perniciosè errabo.* Hieronym. in Galat. 1. 2. ait. *Non in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Cum his convenit dictum Anselmi in lib. de concordiâ gratiae & lib. arbitr. *Sic itaque sacra scriptura omnis veritatis, quam ratio colligit, autoritatem continet, cum illum aut apertè affirmat, aut nullatenus negat. Quod enim apertâ ratione colligitur, & illi, ex nullâ scripturae parte contradicitur, quoniam ipsa sicut nulli adversatur veritati, ita nulla favet falsitati, hoc ipso quia non negat quod ratione dicitur, ejus autoritate suscipitur.* Cum illis faciunt Pontificii *Scholastici ad Thomae locum supra laudatum. Salmero tom.* 1. *proleg.* 9. *can.* 7. *tom.* 8. *tract.* 61. *Vega super Concil. Trident. cap.* 39. *Bellarminus lib.* 4. *de verbo Dei, c.* 9. *& de notis Eccles. cap.* 3. *& de justific. lib.* 3. *c.* 8. *Canus locor. Theol. lib.* 12. *c.* 6. *& lib.* 6. *c.* 8. Et quicunque usum Philosophiae, Logicae, & Theologiae Scholasticae, quae hodie in omnibus ipsorum Academiis etiamnum explicatur, defendunt. Etiam *Costerus in prolegom. Enchiridii* & alii, qui non nisi argumentis in formâ nobiscum disputandum praemonent. Ita ferebant leges colloquii Ratisbonensis anno 1600. ubi etiam subinde

collo-

collocutores Pontificii clamabant: *In formâ, in formâ.* Iidem Pontificii contemptum Logicae & Philosophiae (quem reformatis calumniosè affingunt) ponunt inter tanquam κριτήρια haereticorum. Vide *Pererium in prafat. ad disputationes Physicas, A Lapide in* 1 *Timoth.* 6. 20. *Canum lib.* 9. *locor. Theolog. c.* 3. IX. Ex absurdis consequentibus *primo*, quia sequeretur homines ἀλόγως se [pag. 10] habere circa res divinas absque ratiocinatione: breviter esse tanquam equos & mulos contra *Psal.* 32. 9. *Secundò*, non posse non alios erudire, reprehendere, convincere, atque adeo finem illum scripturarum (de quo 2 *Timoth.* 3. 16.) obtinere: poterit quilibet haereticus aut peccator quotiescunque ex scripturis arguitur, petere, ut absque consequentiis à generali ad singularia sub illo contenta, item à pari ad par, à simili ad simile &c. ostendatur ubi scriptum sit, esse maledictum damnandum, hoc vel illud suum factum displicere Deo. Nulli ergo posthac casus particulares decidantur ex scripturâ, aut patribus, aut ure Canonico. Atque haec recta via ad atheismum & libertinismum. Confer *disp. nostram de Atheismo. Tertiò*, tum vicerint Judaei, quibus absque consequentiis nunquam exsertè monstrabunt Christiani in V. Testamento *Jesus Nazarenus filius Mariae est Messias*, non magis quam nos in Novo Testamento monstramus, *Papam Romanum esse Antichristum;* vicerint etiam Sceptici & Pyrrhionii, Enthusiastae; Libertini, item Sociniani & similes, & respondeant illis Pontificii dicentibus omnem ipsorum Scholasticam, casuisticam, & textualem Theologiam, aeque ac nostrae roformatae magnam partem, esse glossas, consequentias, ac subtilitates humanas, minimè ad salutem necessarias, quippe quae exsertis verbis in scripturâ non exstent. *Quartò.* jacent tum omnia capitula, canones & symbola antiquorum conciliorum, nominatim primorum quatuor Oecumenicorum, quae contra haereticos & schismaticos nostrâ methodo, non Verronica, h. e. per consequentias procuderunt, ut disertè testatur *Bellarminus de Concil. lib.* 2. *c.* 12. & constat ex actis & canonibus Conciliorum per totum. *Quintò*, quia condemnatur & ridetur hac arte Verronica omnis ratio disputandi à patribus contra antiquos haereticos Manichaeos, Arianos, Pelagianos &c. usurpata; nec non tota methodus Theologiae Scholasticae: adhaec Pontificii scriptores, elenctici, quales *Bellarminus, Stapletonus, Becanus, Serrarius, Gretserus, Costerus, Perronus*, &c.: denique scriptores eorum, qui usum Logicae & Philosophiae in Theologia commendant & commonstrant. Atque hae rationes nunc sufficiant. Pleniorem quarundam rationum diductionem cum exceptionum solutione si quis desiderat, is adeat *Nicol. Vedelii rationale Theologicum :* ubi & alii citantur. Conferatur *Rivetus in Catholico Orthodoxo;* imprimis *Abr. Ramburtius* Theologus Sedanensis, qui eruditam disputationem edidit hoc titulo: *De renovatâ antiquorum haereticorum arte, quâ sese venditant hodierni agyrtae & circulatores provocantes ad certamen orthodoxarum ecclesiarum ministros.* Denique *Conr. Bergius in dissertationibus de fide Catholico* anno 1639. editâ in 8. *dissert.* 5. Concludimus Pontificios per omnia hic similes esse illis haereticis de quibus Nazianzenus quod *amor literae nihil* [pag. 11] *aliud quam impietatis indumentum ipsis esset.* Vide quaeso ejus *Orat.* 6. *de Spiritu Sancto*; Breviter his & similibus exceptionibus declinatoriis, & moratoriis aliis post alias excogitatis hoc tantum eos agere, ut omnino causa non agatur, quod Donatistis Epist. 152. *& in actis collat.* Carthagin. cum Catholicis objicit Augustinus: siquidem causa ipsorum tam desperata est, ut potius despiciendum sibi putent, quomodo ratio non possit reddi, quam quomodo reddenda sit, ut olim Pericli tale quid ingerebat Alcibiades

biades Consilium adversus imbellus hujus methodi insultis si forte quis eos experiatur, hoc suggerimus & supra jam attingimus thesi. 5. ut nostri protestentur se velle disputare eâ methodo, quâ usi sunt antiqui patres, scholastici, & Doctores Pontificii usque ad Jesuitas Arnoldum & Verronum inclusivè contra omnes suos adversarios, sive scripto sive vivâ voce. Illam methodum aut probent aut improbent: si probent, ergo & nobis liceat eam sequi: sin improbent; rationibus, quod ajunt, evinceant; quibus nostri parati erunt respondere. Quod si nihilominus methodo Verronicae praefractè insistant: nostri priores aut posteriores, alternis institutae collationis vicibus eâdem methodo urgeant, ut Pontificii nos reducant ad unitatem ecclesiae Romanae, convincendo haeresios & schismatis (quorum nos reos peragunt, ac propterea vivi comburio adjudicant) idque ex solis patribus & conciliis. Hoc si tentare audeant, ad singula argumenta eo modo excipiendum, quo Verronici ad nostra excipiunt: ut auditores & cognitores omnes videant methodi illius absurdidatem. Hic nullum effugium patet, quam solos Pontificios illam methodum quasi ad hominem adhibere posse: reformatos non posse: *Primo*, quia ex reformatorum hypothesi, nulla veritas credenda, nulla falsitas rejicienda & refutanda, nisi omnia totidem verbis in scripturâ expressa habeantur. *Deinde*, quia soli reformati quippe actores partibus opponentium defungi debent; non vero Pontificii, qui rei peraguntur idololatriae & apostasiae. *Tum*, quia haec est compendiosissima & expeditissima disputandi ratio: si nos convicerimus Pontificios de idololatria & defectione: quo peracto nulla ulteriori disputatione opus erit. Sed *primae* rationi repono, calumniam illam praesupponi tantum, non probari, nec in aeternum probandam. *Secundae* repono: sumi hoc aut postulari, sed à nobis non concedi, nec à Pontificiis probari. In quaestione haereseos & schismatis nos rei peragimur & patimur; Pontificii accusatores sunt & persecutores. *Tertiae* repono, sic inverti posse: haereseos scil. & schismatis probatione ritè peracta nobisque ad palinodiam aut ad vivicomburium justissimè redactis, de probatione idololatriae & apostasiae Papatus nullo modo aut vix laborandum esse. Videat lector, cui vacat, nonnulla quae ad commentum hoc faciant apud [pag. 12] *Bartholdum Nihusium in Methodo novâ disputandi cum Protestantibus;* quae repetit in *Apologetico hujus Methodi* anno 1640. edito in 8 ubi vide imprimis *cap.* 5. Sed vanitatem ejus methodi perstrinxit *Georgius Calixtus Theologus Helmstadiensis in iteratâ compellatione ad Acad. Coloniensem*, quam cum tract. *De communione sub utrâque specie edidit anno* 1642.

*** COROLLARIUM.

Defectus caritatis est, quod Eckhardus fasci: controvers. c. 1. Stechmannus in Photinianismo disp. 1. Meisn. in Phil. sobr. in quaest. general. *nostros cum Socinianis componunt, quasi rationem faciant fidei principium, & normam. Vsum rationis & logicae cum requirimus, non magis fundamenta, principia, & regulas fidei illa facimus, quam oculos, aures, linguas, sine quibus religionem nec discimus, nec docemus, nec contra adversarios defendimus. Sunt ergo nobis media & requisita, sine quibus nulla fides aut cognitio theologica: non vero principia, normae, regulae, fundamenta.*

DISPUTATIO SECUNDA.

QUOUSQUE SE EXTENDAT AUTORITAS SCRIPTURAE [1].

Capitales controversiae de Autoritate Scripturae Doctissim. Theologorum Thesibus, systematibus, & scriptis elencticis contra Atheos, Epicureos, Libertinos, Pontificios tam solidè expositae sunt, ut post Homerum Iliada scripturiri possint, siqui de novo commentationes suas chartis illinerent. Nos ergo labores eorum ablegatis studiosis, spicilegium, & ἐκλογὴν solummodo problematum παραλειπομένων his thesibus exhibemus, idque hoc ordine. I. *praemittemus distinctionem* Authoritatis Scripturae. II. *Extensivam Authoritatem seu extensionem authoritatis scripturae* (*intensivam enim à nostris assertam praesupponimus*) κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν *breviter delineabimus.* [pag. 30].

1. Divinitas Scripturae seu divina & infallibilis ejus veritas ac potestas respectu nostri dicitur authoritas seu αὐθεντία. Est autem authoritas scripti & instrumenti alicujus nihil aliud, quam ἀξία dignitas quaedam, secundum quam & propter quam scriptum illud pro vero habetur, immo & pro potente nos obligare ad omne illud credendum aut praestandum, quod credi & praestari praecipit. In scripturae authoritate distingui & considerari potest *Authentia Historiae* seu *historica*, & *authentia normae*, seu *normalis*, quam etiam *praecepti* appellare soleo. Illa est, quâ Scriptura infallibiliter vera esse intelligitur veritate θεοπνεύστῳ, quatenus scriptores sacri historicè ἱστορίᾳ divina exponentes omnia dogmata, consilia, dicta, facta, sive bona sive mala, quae bibliis continentur, ex ore & per immediatam Dei revelationem illa accepisse & absque ullo errore nobis exhibuisse creduntur. Authentia *Norma* est, quâ ipsa rerum materia scripturis contenta (ex. gr. consilia, dicta, facta,) praeter sui notitiam, etiam obligant & constringunt conscientias nostras ad fidem, observationem & imitationem eorum quae ibi credenda, observanda, & imitanda dicuntur. Quamvis fateamur authentiam historiae habere & includere etiam authentiam praecepti, quia praecipit Deus ut verbo ipsius scriptoribus sacris dictato fidem adhibeamus, tanquam verbo Dei per Spir. S. dictato. Sed huic praecepto & obligationi generali, qua lectores & auditores omnes obligantur ad fidem seu assensum veritatis cujuscunque historicae, contradistinctè opponimus praeceptum & obligationem, quâ insuper obligantur ad assensum veritatis euangelicae, in promissionibus scil. euangelicis; aut veritatis legalis, in mandatis scil. legalibus; aut veritatis cujuscunque theologicae in dogmatis theologicis, de Deo, ejusque attributis, operibus &c. Accipimus ergo in altero membro hujus

[1]) Resp. HENRICO RIDDERO Rommers-wale Zeeland. Ad diem 9. Julii 1636.

hujus distinctionis τὸ *authentia praecepti*, strictè, non laxè. Distinctionis hujus necessitas & evidentia ex analogiâ legis & historiae optimè patescet. In lege duo haec momenta distingua mus, potentiam & actum notificandi, & actum seu potestatem imperandi, obligandi& constringendi. Lex aliqua municipalis e. g. in hoc aut illo regno sive bona sive mala mihi authentica est, quia certò certitudine humanae historiae indicat & notificat mihi,hoc vel illud à Rege in illo regno statutum; sed non est mihi authentica authentiâ normae aut *praecepti*, quia non habet potestatem constringendi & obligandi me ad illa praestanda quae lege illa postulantur, seu continentur. Similiter in *historia* ex. gr. *Salustii*, distinguo veritatem historici fideliter referentis quaecunque consilia, facta, dicta, scripta, à veritate aut bonitate dictorum, consiliorum &c. ut etiam à veracitate loquentium, consulentium, scribentium ex. gr. Catilinae, Lentuli, Cethegi [pag. 31] &c. Probamus historiam quâ talem, formaliter ita dictam, sed non probamus historiam materialiter seu omnem materiam eâ contentam, utpote conjurationem Catilinae, conjuratorum dicta & consilia; nec putamus illa tanquam exempla ad imitationem proponi aut nos constringere. Sic tota scriptura tanquam divina & infallibilis historia â nobis recipitur propter authoritatem historice, nempe Spiritus S. per quem acti eam nobis tradiderunt amanuenses sacri. Sed simplex & nuda illa ἱστορία seorsim & in se spectata (si aliud quid non accedat) non obligat immediatè conscientiam nostram, ut promiscuè omnibus omnium vel promissionibus innitamur, vel comminationibus terreamur, vel consiliis acquiescamus, vel dictis fidem adhibeamus, vel factis quasi à Deo probatis (quamvis in Dei codice & ex ejus ore recensitis) tanquam exemplis utamur, vel omnibus illis tanquam juris & praescripti divini trabalibus clavis affixos nos putemus, atque adeo conscientias nostras absque ulteriori examine & discretione illis subjiciamus. Verum quidem est nudam veritatem cujuscumque facrae historiae mediatè, alterius interventu, per consequentiam aliquam facere ad instructionem fidei & morum, cum scil. singula dicta, sive vera, sive falsa, & facta sive bona, sive mala, ad jus seu ad regulas juris divini alibi in scripturâ propositas exiguntur & cum iis conferuntur e. gr. *Iob* 2. 4. & *Iob* 4. ac deinceps ubi amici Jobi loquuntur. Neque enim illa dicta per se, primo, & immediatè sunt authentica ut fidem iis adhibeamus, aut vitam secundum ea instituamus, sed indigent alia juris divini normâ priori & superiori, in quam ultima fiat fidei & conscientiae nostrae analysis.

2. His praemissis dicimus totam scripturam esse authenticam authentiâ historiae, hoc est, infallibilem & θεόπνευστον veritatem per omnes & singulas ejus partes esse diffusam: ita ut scriptores non privato suo impulsu & libitu, sed dictante Spir. S. omnes & singulas sententias quod ad rem & quod ad phrasim protulerunt, sive bonos describant sive malos, sive vere dicta sive falso, sive bene gesta, sive male. Constat hoc ex 2. *Timoth.* 3. 16. coll. cum 2. *Pet.* 1. 21. aliisque testimoniis & argumentis, quibus scripturae authoritas probari solet. Quidquid sit habemus scripturam integram, aut henticam, canonicam, ut nunc est, illa hactenus proprio divinitatis suae lumine inter tot sectas in tam cimmeriis hujus mundi tenebris eluxit, & quia primum principium est à priori hoc demonstrari non debet; non magis quam lumen solis alio lumine collustrari, ut actu videatur. Sumuntur enim prin cipia, non probantur. Quod si qui extranei à fide principia haec negent, hoc tantum agendum est, ut rationibus ipsorum refutatis ad absurdum eos adigamus.

3. Reji-

3. Rejicimus autem sententiae huic nostrae repugnantia partim in *Disput.* 3. [pag. 32] *de Insolubilibus Scripturae Thes.* 3. recensita, partim hic recensenda vel in defectu peccant vel in excessu. In defectu peccant placita eorum qui authentiam scripturae nimis coarctant: quales sunt. 1. qui methodum seu dispositionem, adhaec exornationem, ἑρμηνείαν, phrasin, & stylum scripturae humano ingenio atque industriae attribuunt & non immediatè atque infallibili revelationi Spir. S. inter quos emicat *Castalio in dialog.* 2. *de Electione; p.* 132. 103. 107. 113. ubi Paulum locum *Rom.* 9. *obscurum, durum, impeditius dictum,* & Paulum *duas similitudines implicare & confundere* conqueritur, optatque ut *mentem suam copiosius & apertius exposuisset.* Comparatione factâ inter Ieremiam & Paulum ait. *Certè si tam copiose & apertè scripsisset hoc in loco Paulus, quam Ieremias, nulla inter eos cerneretur discrepantia: nec enim veritas à veritate dissidere potest. Quamquam si verum fatendum est, si alter ab altero discreparet, mallem hoc in loco Ieremiae credere quam Paulo, idque duabus de causis. Primum quia Ieremias scribit & apertius, & naturae rei convenientius: siquidem Pauli verba quaedam, ac non potius perpetuum ejus tenorem doctrinae velis pertinacius urgere. Deinde quod apud Jeremiam loquitur Deus ipse, cum Paulus loquatur ex sua persona. Quantum vero referat, utrum ipse ex sua persona, an verò Dei mandato loquatur, apparet ex ipsomet, qui alicubi sic scribit* 1. *Cor.* 7. *Conjugibus praecipio non ego, sed dominus* &c. Contra tenendum est Spir. S. immediatè & extraordinario dictasse omnia scribenda & scripta, tum res, tum verba, tum quae antea ignorabant aut recordari non poterant scriptores, quam quae probo noverant, tum historica seu particularia, tum dogmatica universalia theoretica & practica; sive visu, sive auditu, sive lectione sive meditatione ea didicissent. Haec autem dictasse eum ducendum est (ut bene Corn. à Lapide in 2. Timoth. 3. 16.) *primo, quia scribentibus astitit, ne vel in puncto à veritate aberrarunt. Secundo, quia eos excitavit, & suggessit, ut haec potius scriberent, quam illa &c. inspiravit ut hanc potius conceptum quam illum scripserint. Tertio, quia omnes eorum conceptus & sententias ordinavit, digessit, & duxit Spir. S. v. gr. ut hanc sententiam primo, illam secundo, aliam tertio loco, & ita consequenter collocarent, & scripto consignarent: hoc tum propriè est librum concinnare & conscribere. Et hàc ratione propriè sacrorum librorum autor dicitur esse Spiritus S.* Et citat ibidem dictum *Gregorii M. praefat. in Jobum cap.* 2. II. Qui *volunt* scriptores novi Testamenti alterius linguae (Syriacae scil.) phrasi concepisse quae scripserunt, alterius verò (Graecae aut Hellenisticae) scripsisse, quae conceperant: itaque genuino interpreti eundum esse ad allusiones, non quae extant, sed quas animo conceperunt. Haec, quamvis à viris doctissimis speciosè ita dicantur, cum totius scripturae authoritate consistere non possunt. Firmiter enim tenendum est, Spiritum S. non [pag. 33] tantum res; sed etiam methodum & phrasim, quâ res illas proponerent, amanuensibus suis inspirasse; illos inspirata percepisse, & conceptus suos dextrè formasse; denique bene concepta vivâ voce & scripto rectè expressisse, ita ut nulla falsitas, nullus error, nullum erroris periculum sermonibus aut scriptis eorum subesse potuerit. Quae omnia ut apud Christianos scripturarios in confesso sunt, sic antiquorum suffragiis confirmavit *Eduardus Kelletus Miscellan. theologicis* vernaculo sermone (h. e. Anglico) editis anno 1635. *lib.* 2. *cap.* 9. III. Qui stylum Scripturae, specialiter N. T. barbarismi & soloecismi accusant; quasi Spiritus Sanctus

tus non potuisset usitato ac recepto sermone (qui usu valet, & consequenter inde analogiam habet) mentem suam exponere. Illis reponimus *primo*; intercurrere multos Hebraismos, aliquos etiam Targumismos, Rabbinismos, Latinismos, &c. qui illâ aetate barbarismi non erant saltem illis, qui ejusmodi idiotismis assueverant: praeterquam quod plusquam trivialis error esset in Rhetoricâ & Grammaticâ, si quis *Graecismum* in latino scriptore occurrentem barbarismi aut soloecismi notaret. *Secundo*, Phrases illae quae taxantur, maginam partem ut delicae Atticae & Ἑλλάδος Ἑλλὰς à delicatulis illis creticis deglutiuntur, cum apud profanos authores occurrunt. Occurrere verò jam satis superque demonstratum *à Beza in notis ad N. T.* & ab *Henr. Stephano in* egregiâ *praefatione Novi Testamenti* gr. edit. in 16. anno 1580. praefixâ. *Tertio*, nec sunt omnia tam aversa ab Hellenismo, ut nonnulli volunt. Quae tanquam exotica Hebraica, aut Syriaca scaevis oculis nonnulli linguarum orientalium imperiti, intuiti sunt, ea in mediâ Graeciâ nata, aut forte ab Hebraeis ad Graecos traducta, monstrari possunt. Vide *Seb. Pfochenii Diatriben, de puritate lingua graecae N. T.* & *Hebraismos Homeri annotatos à Jacob. Capello Vindiciar. Casauboni lib.* 4. *c.* 11. 12. quorum plenam messem Cl. *Heinsium in exercitat. sacr. in Johannem* alicubi promittere memini. Confer etiam ejusdem *cap.* 10. *exercitat. ad Nonnum.* IV. Qui interpunctiones in originali textu Novi Testamenti sollicitant, quotiescunque rationibus ipsorum id prodesse videtur. Inter quos emicat *Faustus Socinus.* Quae ratio suadet interpunctionem (siquidem pars scriptionis seu orationis, & olim, & semper habita fuit) scriptoribus sacris non adscribere? Quod si illis adscribitur, à nemine mutanda est. V. Qui puncta vocalia in Veteri Testamento negant esse authentica, quippe textui Hebraeo adscripta primum à Doctoribus Tiberiensibus vulgò dictis *Masorethis*, anno 446. *Galatimus lib. de arcanis Cathol. veritatis cap.* 8. inventionem apicum tribuit ben Nephta & ben Essevun. Sententiam hanc in Europam intulit Elias Levita Germanus, qui post se traxit aliquos [pag. 34] ex Rabbinis Christianorum, *Petrum Martinium in Technolog. Authorem arcani punctationis ab Erpenio editum; Sixtin. Amama in Antibarbar. biblic.* praeterea Theologos Pontificios (*vide Bellarmin. de Verbo Dei lib.* 2. *c.* 2.) & nonnullos ex nostris, qui si mordicus Tiberiensibus punctationem non asserant, saltem scriptoribus sacris eam detrahunt: inter quos *Johannes Piscator in appendice quaestion. in Pentateuchum;* & ex Lutheranus *N. Oelschlegelius tractatulo peculiari de punctis*: ubi pro se citat Chemnitium, & Salom. Gesnerum. Contrarium sentiunt *Fr. Junius in animadvers. in Bellarminum*, & cum illo Theologi plerique; adhaec Rabbini Judaei omnes, & ex Christianis primipili *Broughtonus loco infra cit. Buxdorfius*, qui ex professo hanc causam agit in suâ *Tiberiad. part.* 1. *c.* 7. & 9. coll. cum bibliothec. *Rabbinica, in voce zohar.* Confer librum *Bibliandri de optimo genere interpretandi Hebraica:* Et ex Lutheranis *Crinesium in discursu de confusione linguarum cap.* 3. *Laur. Fabritium in partit. bibliorum cap.* 2. *Helvicus appendice* 3. *elenchor. Judaicor.* distinguit, quo Lectorem remittimus. Addimus Buxdorfii rationibus & istas. *Primò*, si primum inventa esset punctatio à Tiberiensibus Masorethis, cur crisin exercent in vocem non punctatam. *Ierem.* 51. 3. & alias ἀνομάλως punctatas? Potuissent enim ipsi punctare ex animi sententia. Invenerunt ergo jam constitutam, & non dederunt punctationem. *Secundo*, sequeretur hoc absurdum, aliquam partim scripturae sive authoritatis ejus & fidei nostrae pendere à Rabbinis & Criticis Judaeis

errori

errori obnoxiis, & non à Spir. S. Ratio consequentiae, quia sensus literalis scripturae ex verbis eruendus est; verba autem constituuntur non tantum à consonantibus sed etiam à vocalibus. *Tertio*, multae sententiae in sacris literis essent nobis incertae & ambiguae, quia puncta saepissimè toto genere distinguunt voces quamvis iisdem literis notatas, & consequenter tanquam anima & forma (juxta Rabbinos apud *Buxdorf.* & *Broughton. loc. cit.*) specificant & dant suam cuique significationem: si autem puncta absunt, ἀόριστος & indeterminata erit significatio primo quidem vocis istius, deinde etiam totius sententiae: *Quarto*, non est improbabile argumentum ex *Mat.* 5. *vers.* 18. *Luc.* 16. 17. ubi per κεραίας puncta & accentus commodè intellegi posse docti opinantur: inter quos *Broughthonus in comment. in Daniel. p.* 45. & *Polanus Syntagm. lib.* I. *c.* 37. quamvis argumento illi nolimus insistere. *Quinto*, adde argumentum ad hominem; quia Pontificii aliique qui negant puncta esse autentica sollicitè se torquent circa expositionem sententiarum & vocum secundum puncta, ut ex. gr. *Psal.* 22. *v.* 17. de quo in *disp. de Insolubil. scripturae:* Atqui hoc nullo modo opus esset, siquidem puncta non essent authentica. Problema I. An partitio librorum V. T. in Mosem, Prophetas, Psalmos, & in libros 22. item in capita, & versus, fuerit [pag. 35] à temporibus Esrae; aut ab ipsis Prophetis singulorum librorum scriptoribus antè Ezram; aut à viris synagogae magnae post Ezram? Resp. Non ita liquet. De capitibus negat *Buxdorfius junior in praefat. ad concordantias hebraicas.* De distributione librorum, rationem non video cur ad Ezram referri nequeat. II. An omne Soph pasuk faciat periodum aut colon? N. vide *Jerem.* 41. *vers.* 17. 18. III. An aliqua ratione probent Pontificii Euangelium Matthaei cum epistola ad Hebraeos Hebraice, & Euangelium Marci latinè scripta esse. N. Vide *dissert. Fr. Gomari* subjectam *tract. de genealog. Christi.* IV. An translatio Chaldaica, Syriaca, Arabica ut alia Orientalis V. aut N. T. alicubi cum textu originali comparari, immo illi praeferri possit, quod ad expressionis evidentiam aut efficaciam. Resp. non magis quam translatio aliqua latina, Hispanica, Germanica, Japonica, Malaccica.

4. Atque hi quidem nimis coarctant scripturae αὐθεντίαν. In excessu peccant & nimis eam extendunt, qui τὸ *keri* seu lectiones marginales V. T. faciunt authenticas, vel solas excluso & extruso τὸ *ketib*, (quibus favet *Sixtin. Amama in Antibarb. lib.* 3. ubi vide ipsius rationes) vel una cum *ketib*, pro quâ opinione est *Broughtonus in annotat. in Iob.* 6. *vers.* 21. 29. & post illum *Ainsworthus annotat. Exod.* 21. 8. quem ideo graviter perstringit *Pagetus in tract. contra Brouwnistas* anglicè edito anno 1618. *in appendice admonitionis cap.* 4. *p.* 372. Huic opinioni favet *Polanus synt. lib.* 1. *c.* 37. *Broughtonus* has adfert rationes *loc. cit.* quia Christus seu Lucas *cap.* 4. 18. ex *Ies.* 61. 1. verba contextus & lectionem marginalem uno tenore exprimit, & quia paraphrastes Chaldaeus saepiusculè transfert lectionem marginalem praeterito contextu. Nos vivae disceptationi objectionum solutione reservatâ, ne otio & chartae angustiâ abutamur, argumenta aliquot utrique huic sententiae opponimus. *Primo*, Si textui renuntiamus, & Masoreticas lectiones illi substituimus, jam sequetur textum sive scriptorem, sive librariorum culpâ plus quàm 800. locis mutationem aliquam subiisse, & quidem non rarò talem quae ipsum sensum corrumpat: quod quidem inviolabili scripturae authoritati, & conservationi divinae, & curae ac fidei Ecclesiae, quae hujus thesauri custos est, non leviter repugnat. Confer *disp. de Insolubilibus scripturae. Secundò*, quia lectiones marginales saepe sunt non necessariae, imo nugatoriae futiles

les, cum idem valent quod *ketib*, aut cum *ketib* satis probum sensum facit, ut *Genes.* 27. 3. 1. *Reg.* 21. 8. *Proverb.* 6. 14. cum 19. *Ezechiël* 37. 10. *Ierem.* 15. 4. & 24. 9. & 29. 18. & tamen vocem eandem אֵעָה intactum relinquunt *Ies.* 28. v. 19. Vide & *Proverb.* 17. 13. & 22. 3. *Ps.* 18. 4. 5. & 56. 7. 1. *Reg.* 17. 14. *Judic.* 16. 21. & plurima ejusmodi sunt, circa quae frivola satis estcrisis, cum ex. gr. *littera* [pag. 36] *omittitur*, 1. *Sam.* 17. 23. *Psal.* 10. 5. *Numer.* 15.24. *Proverb.* 3.15.2. *Sam.* 20. 23. aut *redundat* 2. *Sam.* 11. 1. *Zachar.* 4. 2. *Psal.* 16. 10. *Mich.* 1. 10. aut *permutatur Judic.* 19. 3. & 7. 13. 2. *Reg.* 5. 12. 2. *Chronic.* 26. 15. aut *transponitur Ies.* 6. 12. *Judic.* 12. 3. aut *supponitur una pro alia.* 1. *Reg.* 12. 33. cum *Proverb.* 2. 7. 1. *Reg.* 23. 31. *Ierem.* 31. 40. & 28. 1. *Daniel* 9. 24. *Iesa.* 65. 7. aut *puncta variant Numer.* 21. 30. 2. *Reg.* 20. 18. *Job.* 42. 2. *aut vox una distrahitur in duas.* 1. *Sam.* 9. 1. aut *duae voces contrahuntur in unam. Jesa.* 3. 15. *Jerem.* 6. 29. & 18. 3. Quae omnia in literaturâ Graecâ & Latinâ figuras faciunt Grammaticas & Rhetoricas tmesin, crasin, epenthesin, parapogen, enallagen, pleonasmum, ellipsin, metathesin, &c. non autem corruptionem; quaeque adeo necessitatem immutandi aut condemnandi textum genuinis Criticis minimè imponunt. De varietate Ortographiae & linguae, Vide *Manutium de Ortographia, Lipsium de pronunciatione linguae Latinae Auson. Popma de Usu antiquae locutionis, Iunii Specularium in Genebrardum, Dureti Thesaurum historiae Linguarum. Masoreticum* πρῶτον ψεῦδος & quorundam Criticorum falsa hypothesis est contra grammaticam Generalem, & omnium Linguarum naturam: *Ortographiam & Etymologiam Linguae sacrae semper eandem & invariatam per omnia fuisse, usque ad minimos apices, & quidem à Mose primo scriptore usque ad Malachiam & Ezram.* Cui addenda est altera: *Analogiam linguae sacrae in pronuntiandis vocibus, literis, syllabis, vocalibus, fuisse unam & eandem in omnibus vicis, civitatibus regionibus Israelitarum; eamque unam solam analogiam adaequate contineri in solis libris scripturae, à qua si quid in scriptura recidat, id tanquam barbarum, & corruptum habendum.* Quasi & ipsi non faciant atque admittant exceptiones ab omni ferè regulâ, seu communi analogiâ biblicâ, quas vide in *Buxdorfii* incomparabili *Thesauro Grammatico;* imprimis ad singulas conjugationes, & Syntaxin status constructi, affixorum, particularum annotatas. Quin immo Rabbini cum se expedire non possunt per Grammaticam & Linguae Analogiam, confugiunt ad ornatum & euphoniam. Vide sis *commentar.* eorum *ad Hosea* 3. *v.* 2. Quod si contingat vocem aliquam ἀνομάλως semel tantum inveniri, quae regula Critica jubebit, eam illico transformare? An quia in angustiâ illâ classicorum linguae istius scriptorum, nullum aliud exemplum occurrit, concludemus nulla alia fuisse tunc temporis in sermone aut scriptione Hebraeorum? *Tertio*, Quia variae lectiones & crises Masorethicae laborant saepissimè, curiositate, ignorantiâ & oblivione, audaciâ & superstitione. *Curiositate* quidem, cum crisin exercent, circa nomina propria ut 1. *Paral.* 1. 45. & 4. 7. & 6. 20. & 9. 5. quae tamen in Hebraeâ & in omnibus aliis linguis non uno modo scribi notissimum est. Videantur modo *onomastica* & *dictionaria* [pag. 37] *Poëtica, Historica, Geographica* &c. *Ignorantiâ*, cum sine ratione opinati sunt scripturam implicare contradictionem ut *Iesa.* 9. 3. (Vide ibi notas & commentaria nostrorum:) cumque uno loco crisin in vocem stringunt, alibi eandem praetereunt ut mox indicabimus: quod certè haut vulgaris oblivionis aut negligentiae est. *Superstitione & audaciâ*, quando voces, quae ipsis videntur obscoenae, quantum in se est expungunt, aliasque ipsis substituunt, ut *Deuteron.*

Deuteron. 28. 27. quam tamen retinent 1. *Sam.* 5. 6. 9. Et rursum *Deuteron.* 28. 30. *Iesa.* 13. 16. *Zachar.* 14. 2. quam retinent *Ierem.* 2. & certè verbale inde deductum in te honestissimâ usurpat Spir. S. *Psa.* 45. 10. Vide 18. loco emendata à scribis, ut loquuntur, quia indignum quid divinâ majestate continebant, *in Buxdorf. Tiberiade. Quarto*, Quia *τὸ keri* saepe ambiguum facit, aut invertit scripturae sensum 1. *Sam.* 2. 3. *Psal.* 130. 3. *Eccl.* 9. 4. 2. *Sam.* 14. 2. 2. *Reg.* 23. 33. *Prov.* 4. 3. & 19. 7. immo contradicit contextui *Exod.* 21. 8. *Levit.* 11. 21. 2. *Reg.* 8. 10. *Ezr.* 4. 2. *Iesa.* 63. 9. saltem diversum & duplicem sensum literalem infert; ergo una cum ipso textu non potest esse authenticum. *Quinto*, Quia lectiones illae marginales saltem magnam partem (imprimis quod ad 18. voces) sunt à Rabbinis, fatente *Amama in Antibarb. p.* 739. 740. & constat omnino ex *Tiber. Buxdurfii* aliunde originem non petendam: atqui illi non sunt nobis ἀνυπεύθυνοι & θεόπνευστοι Prophetae, quales scriptores V. T. *Rom.* 1. *vers.* 2. *Hebr.* 1. 1. *Actor.* 26. 27. 2. *Petr.* 1. 21. ergo eorum crisisnon est authenthica. *Sexto*, argumento ad hominem contra Pontificios, *Amama* &c. qui, quoties usu venit, ex ipso *ketif* argumenta petunt ad astruenda dogmata theologica: atqui hoc nefas esset, siquidem *τὸ keri* solum esset authenticum. His rationibus allatis argumenta Ainsworthi sponte sua concidunt. Siquis tamen solidè refutata videre velit, is adeat eruditis. *Pagetum loc. cit.*

⁂ PROBLEMATA.

I. *An paraschot, haphtaroth, Semichot, literae majores, minores, exstantes, inversae, clausae, apertae sint à scriptoribus sacris, & denotent aliquod mysterium?* N. *Vid.* Amama antibarb. lib. 3. pag. 736. & seqq. *Et* Buxdorfii Tiberiadem.

II. *An mazora magna & parva, & nunc est, Ezrae & viris synagogae magnae sit ascribenda?* N.

III. *An tituli & inscriptiones librorum sint authenticae?* R. de Graecis V. T. neg. ut & de plerisque Hebraicis. *Aliter censemus de illis quae continuam partem faciunt contextus sacri, ex. gr. Proverbiorum, Jesaiae, Joelis &c.* [pag. 38]

IV. *An distinctiones capitum, sectionum, versuum; item subscriptiones epistolarum Pauli, & variantes lectiones, in N. T.? N. Vide* Bezae notas; & *Confer* controversiam de Episcopatu & presbyterio: *ubi ex professo subscriptiones epistolarum Pauli excutiuntur.*

V. *An ketib omne, saltem maximam partem, sit ex mendosâ librariorum descriptione?* Resp. *nullam video necessitatem, cur hoc concesserint viri docti, quot laudat* Amama antibarb. p. 740. *Confer.* Disput. de Insolubil. scripturae.

5. Atque haec quidem de veritate & authentiâ scripturae historicâ, nunc videndum quousque se extendat authentia normae seu praecepti. Praesupponimus autem nullius sani judicio eam eaque latè patere ac authentiam historiae. Distinguenda itaque sunt dicta seu scripta à consiliis & factis; item personae à personis. I. Personae, quarum dicta, facta, consilia absque ullo discrimine sunt omni modo authentica, sunt sanctae & individuae Trinitatis, item Angelorum; authentica, inquam, ut singula fide recipiamus, eaque etiam vita exprimamus & imitemur, quatenus pertinent ad officium nostrum, hoc est rationem habent communis praecepti aut imitabilis exempli. Excipienda ergo, motus & mandata Dei extraordinaria & specialia ut Abrahami *Genes.* 22. Pinehas *Numer.* 25. Mosis *Exod.* 2. Eliae 2. *Reg.* 1. cum *Luc.* 9. Elizaei 2. *Reg.* 2. Simsonis *Judic.* 16. Petri *Actor.* 5. Ad haec facta & mandata specialia praeter

& supra

& supra legem (ubi Deus de lege non dispensat, sed mutat statum rei seu objecti: de quo in *disp. de Iure & justitiâ Dei*) ita miraculosa &c. II. Personae quarum dicta, consilia, facta nullo modo sunt authentica, nec rationem habent normae fidei, aut praecepti, aut exempli imitabilis, sunt Diabolorum & improborum: nec ulla hic est exceptio, nisi Deus dicta eorum sua dicta nominet, eaque approbet ut Bileami, Cajaphae &c. Non est ergo quod probemus mendacia & calumnias diaboli *Gen.* 3. *Job.* 1. 2. & improborum, Pharaonis *Exod.* 6. Rabsake *Jes.* 36. Herodis &c. nec facta & consilia eorum nobis sunt authentica. III. Quorumcunque fidelium & piorum, aut saltem hominum non malorum, sive doctrina & dicta, sive consilia & facta non sunt nobis promiscuè authentica: sive illi seorsim sive in coetu Ecclesiastico in V. aut N. T. quid dixerint aut egerint: non magis, inquam, sunt authentica, quam dicta & facta hodiernorum Christianorum: nisi adfuerit & praefuerit ipsis assistentia & directio prophetica aut Apostolica, extraordinarii scil. ministri prophetae aut Apostoli; tum enim precatio eorum, confessio, professio, dogmatizatio in rebus fidei est authentica: residente proprio instrumentali principio authentiae, & lumine infallibili non in ipsis, sed in solis apostolis aut prophetis. De factis, consiliis, dictisque, & sermonibus privatis aliter judicandum est, ut mox dicemus. Τυχόντες autem [pag. 39] ejusmodi fiideles censemus omnes sive plebeios, sive sacerdotes aut ministros, quorum in scriptura sit mentio, exceptis solummodo iis quos mox recensemus. *Consect.* 1. *Hinc sequitur, nomina* 2. Thess. 1. v. 1. & Coloss. 1. 1. *adjuncta nomini apostolico nihil facere ad authentiam illius epistolae, sive primo sive secundò, sive immediatè, sive mediatè. Consect.* 2. *Non satis circumspectè ex scripturâ promiscuè allegari exempla quaevis pro concione tanquam rationes doctrinarum. Nullam enim rationem faciunt, nisi aut generatim aut in specie à Spiritu S. in scripturâ approbentur.* IV. Prophetarum θεοπνεύστων ut & Patriarcharum, Apostolorum, *primo* facta non esse authentica, apud omnes nunc fere in confesso est; & evincunt illud facta quaedam Abrahami, Jacobi, Lothi, Davidis, Petri &c. (*Gal.* 2.) reprehensione digna & fugienda; *Secundò*, de consiliis privatis oeconomicis, etiam nonnullius circa speciales circumstantias & particularem executionem publici regiminis Ecclesiastici aut politici idem statuendum arbitramur: docet hoc ex. gr. consilium Pauli & Barnabae de assumendo aut non assumendo Marco *Actor.* 15. de Euangelio praedicando prius in Asiâ, quam Hierosolymae, aut Romae, aut alibi: consilium Davidis de exstirpando Nabale, de parcendo Absolone, de fugâ ad Regem Achis & de expeditione cum illo suscipiendâ; de templo aedificando. *Tertio.* Dicta & sermones quique privatim & in communi conversatione de quibuscunque rebus ac negotiis particularibus Oeconomicis. Politicis, & βιωτικοῖς habiti; imo etiam de quaestionibus facti Ecclesiasticis, ut non erant absolutè authentici audientibus, sis nec nobis forent authentici, siquidem perscripti essent. Idem de ejusdem generis scriptis & epistolis judicandum. Ex pauculis illis, quae scripta sunt, considera modo verba illa Moysis, quae effutiisse dicitur *Psal.* 106. *vers.* 33. Abrahami mendacium *Genes.* 20. 2. & 12. 12. & verba si quae commutabant Paulus & Barnabas in παροξυσμῷ *Actor.* 15. v. 39. & temerarium juramentum Davidis 1. *Samuel.* 25. 22. & quaecunque effutiebat apud regem Achis cap. 21. & 27. & 28. 62. Maledictiones quibus diei nativitatis maledicebat *Jobus cap.* 3. & Epistola Davides qua Uriae interitum procurat, & si quae his similia. *Quarto*, restat ergo omnia dicta seu scripta quae dogmatizant & instruunt ecclesiam Dei, primo, per se, & absolute esse authentica,

 sive

sive illa immediatè versentur circa mysteria fidei sive per conseqentiam & in ordine ad spiritualia, per digressionem aut incidenter etiam intermisceant quaedam Physica, Astronomica, Historica, Politica, Geographica &c. Nihil est quod non vere exponant, dextrè applicent, & legitimè imponant conscientiis nostris. *Quinto*, de exemplis, & factis apostolorum, seu apostolicae ecclesiae, quae & quousque habebant assistentiam ac directionem apostolicam, [pag. 40] in regimine ecclesiastico, dubitatum. Nos distinctione adhibitâ inter specialia illi loco, tempori, personis, rebus peculiariter convenientia & accomodata; & inter generalia ac communia: dicimus, posteriora exempla & facta sive sub formâ mandati, aut consilii ad imitationem, sive nudè & historicè tantum proposita aut relata obligare ecclesias nostras in specie ad observationem; Priora vera obligare tantum analogicè, aut quod ad genus. De quo alibi, in politiâ scil. ecclesiasticâ ex professo & pluribus agendum. Interim videatur *Parkerus lib.* 3. *de Politiâ Ecclesiast.*

6. Peccant ergo I. in excessu, qui sine judicio quaevis consilia, dicta, facta, (modo ea in scripturis recenseantur) arripiunt, ut fidem divinam & jus divinum in iis fundent, quo conscientiae obligentur. Sic ex. gr. saepe in scriptis veterum & recentiorum allegari videmus ex libro Jobi dicta amicorum ejus, cùm tamen in conclusione principali disputationis suae aberrarint, Deo ipso judice *Iob.* 42. 7. Mecum hic sentiunt *Corn. à Lapide comm. in* 1. *Corinth.* 3. *Baranzan. in Uranoscop. p.* 1. *qu.* 3. *dub.* 10. *membro* 3. *Fr. Gomarus in Disput. de Angelis.* Talis incuria in aliorum dictis aut factis allegandis nimis frequens fuit. II. In defectu peccant *Primo*, Anabaptistae, qui normam fidei & morum in scriptis V. T. non quaerunt sed tantum in N. T. *Secundo*, *Castellio* cum suis, qui *dialog.* 2. *p.* 113. supra cit. sententiis & disputationibus Pauli authoritatem detrahit. *Tertio*, *Anonymus* Remonstrantium *Hyperaspistes*, qui negat Scriptores sacros etiam dogmatizantes esse authenticos in iis, quae praecise ad salutem non sunt necessaria: quem errorem pluribus excussimus in *Thersite nostro Heautont. part.* 3. *c.* 2. *Barranz. loc. cit.* dicit Josuam Astrologiae ignarum ex suo sensu locutum. Sed Vide *Thomam pag.* 1. *q.* 1. *art.* 6. *ad* 2. & Confer *Raynoldum* mox citandum. *Quarto* Sociniani, qui minutulis nonnullis authentiam detrahunt, aut de eâ dubitant. Vide *Socini libellum de autoritate scripturae;* Remonstrantes ab hâc opinione non videntur ita alieni; ut constat ex *Episcopii disputat. privatis tit. de autoritate script. Quinto, Valesius philos. sacr. c.* 2. qui putat scriptores sacros confictis fabulis subinde δογματίζειν. Sed doctè pro more suo refutat hoc commentum *Raynold. censur. libr. apocryph. tom.* 2. *praelect.* 196. &c.

PROBLEMATA.

I. *An dici debeat cum* Cano locor. Theol. lib. 2. cap. 18. *B. Stephanum* Actor. 7. *memoria lapsum? N. aliter enim & recte* ἐναντιοφανὲς *illud tollunt commentatores Pontificii & nostri ad locum cit. Vide* disp. de Insolubilibus &c.

II. *An judices omnes à Mose usque ad Samuelem fuerint* θεόπνευστοι? Resp *Pro* Aff. *videtur facere, quod omnes à Deo immediatè & peculiariter excitati & acti fuerunt. Maxima dubitandi ratio est de Iephta, & de Eli. Quod ad reliquos, malim inclinare in* Aff. *De Josua certo statuerem contra* Baranzanum loc. cit. [pag. 41] *quia scriptor libri canonici & super eum fuit Spir. Domini.* Numer. 27.

III. An

III. *An etiam reges à Saule, aut saltem à Davide usque ad Zedekiam?* Resp. Neg. *De piis regibus Asa, Josaphat, Hiskia, Josia dubitari posset. Sed non ausim affirmare: quia solidam rationem nondum video.*

IV. *An omnia dicta & disputata Jobi fuerint autentica?* Resp. Neg. *Ipse enim Spiritus S. exsertè distinguit* cap. 1. v. 20. & 2. v. 10. *ipse* Jobus *à Deo reprehensus, quorundam dictorum poenitentiam agit* cap. 38. 2. & 39. 34. 35. 36. 37. & 40. 3. & 42. 6. *Si ergo nonnulla ejus dicta non fuerunt simpliciter vera, recta, bona: multo minus fuerunt infallibiliter vera. Distinguenda ergo conclusio, thesis, & summa disputationis, ab hypothesi, seu particulari applicatione ad personam & statum Jobi: rursum causae ipsius defensio & controversiae determinatio, ab intercurrentibus, quibusdam rationibus, seu mavis affectibus & amplificationibus, quas per modum objectionum à carne & infirmitate suâ suggestas ipse Jobus historicè refert ac recenset; subjectâ tamen finali* ἐπικρίσει *& fidei triumpho de illis objectionibus, dubitationibus, & suggestionibus. Quomodo de Davide & Jeremiâ mox dicendum.*

V. *An dicta Elihu Baracelis sint autentica?* Resp. *Non ita liquet. Pro* Aff. *videtur facere, quod Deus cum non reprehendat cum tribus amicis Jobi. Sed hoc non sufficit. Prosequitur enim disputationem amicorum Jobi, quae mala erat. Et ipsa ejus disputatio videtur Jobo imponere quasi absolutam sibi tribuisset innocentiam & consequenter Deum accusasset injustitiae, qui affligeret innocentem. Atqui Jobus tantum respectu accusationis amicorum innocentiam seu causae justitiam sibi vindicat: quod scil. non esset hypocrita & operarius iniquitatis ab omni pietate alienus, aut quod supra alios homines enorme aliquod facinus non commisisset; & consequenter eo nomine à Deo peculiariter non affligeretur. Atque hanc apologiam & vindicias Jobi probat ipse Deus* Cap. 42. 7.

VI. *An ex* 1 Corinth. 3. 19. *ubi apostolus putatur citare* Jobi 5. *v.* 13. *solidè probetur, dicta amicorum Jobi esse autentica.* R. Neg. *Constat enim ex* Job. 42. 7. & *totius scripturae analogia, ipsos errasse in conclusione & causa principali, atque adeo totam eorum disputationem hac ratione fuisse malam, quasi scil. Deus neminem externè ita affligeret, nisi hypocritam, aut scelere aliquo nobilem, contra* Eccles. 9. 1. 2. 3. & 8. 11. 14. Johan. 9. v. 2. 3. Hebr. 12. 6. 7. 1. Petr. 4. 17. 18. Psalm. 73. *per totum. Est ergo commoda solutio danda ad objectum locum Pauli, quae triplex potest esse* 1. *Apostolum non citare exsertè librum Jobi: atque adeo non esse certum, quod praesupponitur, citari haec verba ex libro Jobo.* 2. *Quod ad verba citata ab Apostolo, non convenire ea per omnia cum verbis* Jobi 5. *Et quamvis convenirent, inde tamen inferri, Apostolum respexisse locum Jobi: potuit enim respexisse alios textus, ubi sententiae illius contentum occurrit sive definitè, sive indefinitè quomodo ad locum* Ephes. 5. v. 14. *commentatores observant.* 3. *Quid si dicatur respicere Apostolus* Job. 5. & *verba Eliphazi* (*quamvis in se & ex se minime* [pag. 42] *autentica, autentiâ scil. normae*) *huc advocare, non aliter quam alibi verba* Epimenidis & Arati, & Judas *in* Epistol. *sua* v. 14. *verba Enochi.*

VII. *An dicta Davidis* Psalm. 73. v. 13. 14. & 116. v. 11. & 77. v. 7. 8. 9. & Jerem. 12. v. 1. 2. Resp. Neg. *Ipsi hic autenticè referunt suas cogitationes, dubitationes, tentationes, insultus, objectiones, voces, & murmurationes carnis suae; breviter suas infirmitates, sua peccata: qua exsertè distinguunt à fidei & spiritus responsionibus, & victoriis in paroxysmo tentationis. Ista fide cogitatione, corde, opere nobis imitanda*

imitanda proponunt: illa minime; quia sunt à malo, ut ipsi ibi fatentur, dum ea rejiciunt & condemnant. Non magis ergo nobis autentica sunt norma fidei seu fiduciae, spei, caritatis, patientiae, constantiae &c. quam Mosis infidelitas, Davidis adulterium, Pauli abundans peccatum Rom. 7.

VIII. *Anna mater Samuelis an fuerit* θεόπνευστος, *ejusque canticum* (*quod habetur* I. Sam. 2.) Resp. *De cantico, quod à Spir. Sanct. Scripturae & Canoni insertum est, nullus dubito. Sed ultra disquiritur an illa ad solum dictamen illius cantici fuerit* θεόπνευστος, *an vero perpetuò quotiescunque de rebus divinis apud homines loqueretur. Ego malim inclinare in* Aff. *& dicere eam fuisse spiritu prophetico & infallibili donatam, si non ante, saltem ab illo tempore.*

IX. *An & quomodo dicta Agur filii Iake* (Proverb. 30.) *sint autentica?* Resp. *Sunt qui statuunt, nomina haec esse appellativa, sive epitheta, quibus describatur Salomon: quomodo epithetum Ecclesiastae notat autorem libri secundi Salomonici. Alii malunt dicere, esse personam introductam, quam loqui faciat Salomon: haut aliter ac* Plato in dialogis *Socratem, Cratylum &c.* Minutius Felix *Octavium; & recentiores scriptores*, Lipsius in Constantia, Saturnalibus, de pronuntiatione linguae latinae &c. *suos amicos & sapientes. Alii censent, non esse haec verba Salomonis, sed viri sapientis & Prophetae, qui illo tempore floruit. Quaelibet interpretationes suos habent autores: quorum sententias vide expositas & probatas in* commentar. Corn à Lapide. *Mihi postrema sententia non displicet: quia Psalmis Davidicis additi sunt Psalmi Asaph, Heman Esrachitae &c. qui prophetico spiritu instructi fuerunt. Quidni ergo proverbia Agur viri Prophetae uno volumine cum Proverbiis Salomonis comprehendi potuissent? Sed occurrit aliud, quod mihi tutissimè dici posse videtur, Dicta haec quidem esse à Agur viro sapiente* (*quamvis non* θεοπνεύστῳ, *& inde accepisse ac didicisse haec Salomonem sive quod ad materiam propositam solummodo, sive etiam quod ad istum modum ac ordinem proponendi; & sic repetita atque approbata à Salomone habere ab ipso propriam suae authentias notam ac gnorisma tanquam ab infallibili amanuensi Spir. Sanct., qui ea pro suis adoptavit, non autem ab Agur. Ita scriptores sacri referentes historiam, aut dogma Philosophicum, aut quodcunque Theologicum quod olim à praeceptore fallibili, aut saltem aliunde, quam ex infallibili dictamine Spir. S. audiverant ac didicerant, autenticè ea ferunt, tradunt, & applicant analysi* [pag. 43] *ultimâ factâ non in praeceptores, aut perceptiones atque observationes sensitivas, aut in ratiocinationes, disquisitiones, & discursis suae mentis, sed in seipsos à Spir. S. infallibiliter & immediate inspiratos, tanquam in primum principium instrumentale, unde autentia dependeat.*

X. *Quid de dictatis Batsabe matris Salomonis* Proverb. 31. Resp. *Dici posset haec ibidem à Salomone adoptata fuisse, & consequenter autentica. Non displicet tamen sententia* Joh. Pinedae lib. 1. de rebus Salomonis cap. 4. § 8. *qui statuit eam fuisse prophetissam, & spiritu Dei actam haec dictasse, Cum quo facit* Corn. à Lapide in commentar. ad Proverb. 31. *Et videtur aliquo modo confirmari ex voce* משא v. I. *quae communiter* prophetarum onus, prophetiam, oraculum *significat.*

XI. *An Zacharias, Simeon, B. Virgo Maria fuerint* θεόπνευστοι? Resp. *Nos malumus accedere affirmantibus. Saltem negari non potest, quin Cantica eorum sint autentica.* Remonstrantes cap. 11. Apolog. fol. 125. *Zachariam etiam Canticum illud auten-*

autenticum dictantem haut obscurè faciunt fallibilem, quippe qui ne quidem tunc cognoverit secundum ipsos Messiam esse regem spiritualem. Sed contra notandum, eum exsertè dici repletum Spiritu S. & Prophetasse Lucae I. v. 67. *Et quod eodem illo in cantico agnoverit spirituale regnum Messiae, constat ex* v. 70. 71. 72. 76. 77. 78. 79. *De Simeonis spiritu prophetico, & divinis oraculis atque alloquiis docemur* Lucae 2. v. 25. 26. 27 34. 35.

XII. *An* 70. *disciputi, & Apostoli ante accepta dona Spir.* S. (Actor. 2.) *fuerint in cognitione & doctrinâ infallibiles?* Resp. Neg. *Docent hoc multiplices errores, hallucinationes, & dubitationes Apostolorum.*

XIII. *An ex facto Petri*, Galat. 2. &. Actor. 10. *cum* 11. *colligi possit eum in doctrinâ fuisse fallibilem.* Resp. Neg.

XIV. *An in Apostolis singulis post pentecostem, cognitio actualis infallibilis aequaliter se extenderit?* Resp. Aff. *quod ad universalia dogmata fidei & morum.* Neg. *quod ad particularia quaedam sive facta praeterita aut praesentia, aut futura, probanda, aut improbanda; sive per modum exempli, aut comparati, aut testimonii ac dicti humani, ad illustrationem universalium allata & applicata, tanquam amplificationes, aut tanquam argumenta ad hominem. Hypothetica & particularia consilia facta, dicta, scripta, sive praeterita sive praesentia non omnibus aequaliter nota fuisse, indubium est; neque enim erant omniscii. Futura etiam actualiter cognita fuisse uni Apostolo (e. g. Paulo de suâ morte* 2. Timoth. 4. *& Petro de sua* 2. Pet. 1.) *& non alteri, sine scrupulo dici potest. Sed de futuris, quae universam ecclesiam concernunt (ex. gr. adventu Antichristi* 2. Thess. 2. *conversione Judaeorum* Rom. 11. *mutatione viventium die novissimo* 1. Corinth. 15. *adventu pseudo-Prophetarum* 1 Timoth. 4. & 2. Timoth. 3.) *idem hoc affirmari non debet.* [pag. 44]

XV. *An tamen particularia illa, siquidem in ordine ad dogmatum fidei universalium propositionem, examen, apologiam, eorumque ad quasvis conscientias applicationem usui essent, ab omnibus Apostolis datâ quâcunque necessitate & occasione, aequali infallibilitate intelligi ac dijudicari non poterant?* Resp. Aff. *Nec obstat illud* Actor. 23. v. 5. *uti constat ex commodis expositionibus interpretum: quas apud illos vide.*

XVI. *An Apostoli sive voce, sive scripto, privatim aut publice, in concionibus, institutionibus, disputationibus, apologiis, citârint, examinarint, applicarint exotica Poëtarum, Philosophorum, Rabbinorum &c. recte hoc fecerint ex solo ordinario studio ac judicio humano: an vero ex immediata & infallibili revelatione ac directione Spiritus Sancti?* Resp. N. pr. Aff. post. *Sanctificavit enim Deus hac partes humanae eruditionis, hactenus scil. ut intelligentiam earum (data occasione) de novo doceret apostolos; aut si antea didicissent, ad earum actualem conceptum ac recordationem eos excitaret, verbatim ac syllabatim eas inspiraret ac dictaret, & praesenti negotio applicaret, & scriptionem earum in mente & mana, & per mentem ac manum eorum absolveret.*

XVII. *An scriptores N. T. lingua alia (Syriaca scil.) conceperint, quam scripserint; & lingua alia (graeca scil. aut hellenistica) scripserint; quam conceperint? & consequenter an genuino interpreti respiciendae sint allusiones, non quae in textu graeco exstant, sed quas animo conceperant scriptores, Syriacae scil. aut targumicae?* R. N. *Nemo enim rectè & rationaliter quid profert sive viva voce sive scripto,*

nisi

nisi prius illud rectè conceperit. Si ergo Graecè aut Hellenisticè scripserunt, graecè etiam conceperunt, idque ex inspiratione & dictamine Spir. S. Nisi autor contrariae opinionis concedat cum distinctione, sententias textus sacri prius Syriacè (de quo tamen disquirendum esset,) postea graecè à scriptore sacro conceptas, atque ita immediate conceptus graecos per specialem, immediatam, atque infallibilem inspirationem & directionem Spir. S ab ipso scriptos, aut amanuensi ad calamum dictatos esse: utique non parum decederet autoritati scripturae. Sed vide novam hanc Clariss. viri opinionem ex professo excussam ab Eduardo Kelleto lib. 2. miscellan. Theologic. cap. 9. *ubi haec postulata & axiomata inculcat.* 1. Inspirationes & conceptus scriptorum θεοπνεύστων divinitus traditos & impressos esse in aliqua lingua. 2. Non potuisse scriptores illos in conceptibus suis errare, aut decipi. 3. Inspirationem esse ordinatam ad conceptionem, tanquam causam & medium; conceptionem vero ad ἑρμήνειαν & expressionem. 4. Indubia, certa, & infallibilia esse media simul & finem: nec hunc posse certum esse, illiis incertis & fluctuantibus; aut vice versa. 5. Infallibiliter ergo scriptores à principio ad finem illuminatos & ductos esse à Spir. Sanct. 6. Nec potuisse eos in ultima hujus divini operis ἐνεργείᾳ & executione (scriptione scil.) magis aberrasse & discessisse ab internâ mentis conceptione [pag. 45] quam in eâdem conceptione ab interná Spir. S. inspiratione. *Spiritus enim fecit ut sic facerent: & illi sic ab illo acti* (2. Petr. 1. 21.) *conformiter egerunt à primo ad ultimum: ita ut aliter agere non potuerint, in sensu scil. composito. Sunt ergo istae conclusiones ejusdem Kelleri adversus opinionem Clariss. Viri.* 1. *Non esse differentiam inter scriptores* V. *& scriptores N. T. quod ad conceptionem & scriptionem in diversis linguis.* 2. *In rectâ scripturae interpretatione recurrendum esse ad allusiones quae in scripto apparent; non verò ad eas quae in mente aut cogitatione scriptorum dicuntur fuisse.* 3. *Non habuisse scriptores libertatem, concipiendi quidquam, aut scribendi extra aut praeter dictamen & inspirationem Spiritus S.; sive addendo, sive detrahendo, sive quocunque alio modo mutando.* 4. *Non habuisse libertatem vestiendi & poliendi interiores conceptus suos, verbis propriis à Spir. S. non dictatis.*

XVIII. *An Apostoli quaedam sive historica, sive moralia ex proprio sensu, & ordinario studio aut ex mero testimonio & traditione hominum, absque infallibili & immediata Spir. Sanct. inspiratione, epistolis suis immiscuerint? ex. gr.* 1. Corinth. 7. v. 12. 25. *&* 2. Timoth. 3. 8. Resp. Neg. *notavimus errorem illum in* Castellione. *Cujus vestigiis olim insistentem* Arminium *audivi in quadam* disputatione de scriptura: *ubi locum* 1. Corinth. 7. 12. *hunc in finem citatum, conferebat cum* 2. Timoth. 4. 13. *Est etiam nonnemo ex Celeberrimis Theologis nostris, cui simile quid videtur excidisse* in privatâ epistolâ, *anno* 1619. *postea tamen vulgata cum* opusculis Lanceloti Andrews Episcopi Wintoniensis *anno* 1629. *editis* à Wilh. Lado tunc Episc. Londinensi & Johanno Episcopo Eliensi. *Dictum illud Celeberrimi Theologi de prudentia humana ab Apostolis alicubi adhibita notatur* ibidem p. 193. *ab* Episcopo Wintoniensi, *& pluribus refutatur à* Kelleto lib. 2. Miscellan. c. 9. p. 98. 99. 101. *Sed arbitror Celeberrimum Theologum aliud quid voluisse, uti verba antecedentia* p. 182. *innuere videntur: quamvis mentem suam non satis accurate aut plenè expresserit.*

XIX. *An scriptores sacri Prophetae scil. & Apostoli omnia intellexerint, quae scripserunt; an vero quaedam ignoraverint, aut de iis dubitaverint.* Resp. Aff. pr. Neg. post.

post. *Quascunque enim materias, sententias, phrases scripserunt, ipsi intellexerunt, nec potuerunt ignorantia aut dubitatione circa eas laborare: alioquin scripturae autoritas neganda, & ipsi Spir. S. eos ad scribendum excitanti, & continuo dirigenti atque illuminanti ignorantia aut dubitatio tribuenda esset. Ad ea, quae objiciuntur apud* Thomam 22. quo 173. art. 4. *&* apud A Castro, ex August. lib. 7. de Civit. Dei *c.* 13. ex Ambrosio de Abraham 1. c. 8. *& apud* Canum lib. 2. locor. Theol. *cap.* 4. *& ex locis* 1. Petr. 5. 12. 2. Corinth. 11. 5. 17. 1. Corinth. 7. 40. Johann. 21. 25. (*ubi videtur opinio aut dubitatio scriptoribus tribui*) *facile est responsio. Videri potest* Kelletus loco cit. *ne actum agam.* [pag. 46]

XX. *An volentes, an vero inviti ad scriptionem compulsi scripserint scriptores sacri?* Resp. Aff. pr. Neg. post. *Vide per distinctionem hoc explicantem* Kelletum loc. cit. p. 76. &c.

XXI. *An conceptum & memoriam eorum, quae antea didicerant, aut per revelationem cognôrant, de novo scribentibus ingesserit Spir. S.* R. Aff. *cum hac distinctione: ut scil. non tantum habitualiter cognita per infusionem charismatis infallibilitatis & luminis supernaturalis (quod ad modum habitus concipimus) immediatam impressionem sed etiam actualiter cognita, de novo ingesserit quod ad conceptum formalem scil. & actualem recordationem; non vero quod ad impressionem specierum intelligibilium: illas enim semel impressas putamus manere, & non ad modum coruscationis accedere aut recedere. Et hac ratione satis salvatur autoritas scripturae* θεοπνεύστου. *Contra periculo exponitur, si dicamus cum* Corn. à Lapide in 2. *Tim.* 3. 16. *Non fuisse necessarium historias & moralia quae antea &c. dedicerant, inspirari & dictari à Spir. S &c. nam (uti postea se explicat)* conceptum & memoriam eorum, quae sciebant, non iis ingessit Spir. S. *Sed malè: sciebant quidam materialiter sed non formaliter, seu sub formali immediatae revelationis divinae: humanè sciebant, non divine: poterant ea oblivisci, in repetita conceptione, & scriptione eorum, ut & in applicatione ad rem praesentem aberrare, haesitare, dubitare. Rectius ergo & tutius se expressit Estius in commentar. ad loc. cit. 2. Timoth.* 3. Ita nimirum ut non solum sententiae, sed & verba singula, & verborum ordo, ac tota dispositio sit à Deo, tanquam per semetipsum loquente aut scribente.

XXII. *An Euangelistae omnes, qualis Barnabas, Titus, Timotheus, Sylvanus, Epaphroditus, &c. fuerint* θεόπνευστοι *& infallibiles?* Resp. *Non video rationem hoc affirmandi. Hoc privilegio & charismate Apostoli ab illis distincti erant.*

XXIII. *Quid censendum de Luca & Marco?* Resp. *Non video, cur de illis affirmandum non sit, tanquam scriptoribus librorum Canonicorum. Quod enim dicitur illis dictata esse Euangelia ab Apostolis, ita ut tantam fuissent amanuenses; nondum video satis probatum.*

XXIV. *Quid de amanuensibus Prophetarum, aut Apostolorum, ex. gr.* Baruch, & Tertio, Roman. 16. 22. Resp. *Sunt ex Pontificiis qui eos infallibiliter à Sp. S. directos volunt (vid.* commentatores ad Rom. 16.) ; *nec alienus videtur ab hac sententia* Kelletus loc. cit. *Sed non video illo magis debuisse esse infallibiles, quam Librarios & Typographos, qui jam inde ab Apostolis usque in hunc diem biblia Ecclesiis procurant.*

XXV. *An verba illa* Roman. 16. 22. *sint autentica?* Resp. *Quidni: quippe quae Paulus inseri & scribi jussit.*

XXVI·

XXVI. *An fideles congregati* Actor. 12. 15. *fuerint infallibiles; & consequenter ex dictis eorum tanquam autenticis argumentum Theologicum exstrui possit?* **Resp.** Neg. [pag. 47]

XXVII. *An scriptores sacri, nonnunquam inviti docuerint & scripserint.* R. *Videtur tale quid sensisse* Bened. Aretius commentar. in 2. Petr. 1. v. 21. *Si intelligantur proprio motu & instinctu non scripsisse, sed impulsi, tracti & acti à Sp. Dei; insuper si dicantur ante istam tractionem aut inspirationem noluisse: utique concedimus. Sin verò dicantur fuisse & mansisse nolentes atque inviti, cum jam moti essent à spiritu ad scribendum, & actu scriberent: absolutè* Negamus. *Nam gratia prima, seu habitus extraordinarius infallibilis Theologiae ipsis divinitus infusus; eique accedens gratia secunda; hoc est, actualis raptus, agitatio, ductus, & compulsio Spir. S. fecit eos volentes & promptos; quamvis ante gratiam nolentes essent, aut in principio aliquando metus aut alia infirmitas eos minus promtos reddidisset. Confer* Jesa. 6. Jerem. 20. *coll. cum.* Luc. 1. 1. 3. Galat. 6. 11. Judae v. 3. 2. Petr. 3. 15. *Sunt ergo cum distinctione explicanda loca illa, quae forte objici possunt* 1 Corinth. 9. 16. Actor. 4. 20. *Haut aliter ac fideles & regeniti quivis suaviter & potenter compelluntur & trahuntur* Cantic. 1. 4. 2. Corinth. 5. 14. *& quasi non agere dicuntur* 2. Corinth. 12. *nec tamen inviti agunt, uti alibi explicatur, in controversiâ, de libero arbitrio, & de gratiâ conversionis, & vocationis efficacis. Et hâc ratione, distinguuntur* θεόπνευστοι *scriptores à* θεόρτοις *Prophetis, Bileamo scil. & similibus, in quibus invitis Deus subinde coruscat lumine extraordinario. Uti etiam distinguuntur à Pythonibus & pythonissis, energumenis, aliisque à diabolo actis.*

XXVIII. *An scriptores sacri intellexerint ea, quae scripserunt?* Resp. Aff. *contra antiquos Montanistas apud* Epiphan. haeresi 48. *Sed de hâc quaestione alibi agendum,* in loc. comm. de Prophetiâ. *Interim videri poterit* Christoph. à Castro in proph. min. lib. 3. de verâ futurorum cognitione cap. 12. *& qui ex eo multa transcripsit,* Kelletus lib. cit. p. 80.

XXIX. *An ordinaria studia, inquisitiones, & praemeditationes fuerint necessariae ad scribendum?* Resp. Neg. *Spiritus enim immediatè, extraordinario, & infallibiliter movebat ad scribendum, & scribenda inspirabat ac dictabat.* 2. Petr. 1. 21. *Confer* disp. de Prophetiâ.

DISPUTATIO TERTIA.

DE. JURE ET JUSTITIA DEI. [1])

De Iure & justitia Dei duplici ratione in Theologica tractari potest. Una, quatenus per ea describitur natura divina, in loco communi de Deo. *Altera quatenus fontes sunt legum divinarum & humanarum, ad quas omnium actionum bonitas aut malitia moralis exigitur, in loc. comm. de* Bonis operibus.

1. Ad explicationem attributi divini, quod Dominum Dei appellamus, pertinet determinatio de Jure Dei, An & quale illud sit. Nos praemissis necessariis praecognitis, ad praecipua quaedam problemata respondebimus. Iuris acceptiones varias habent ICC. ad *tit. de Justit. & Jur.* & *Scholastici* ad 22. *q.* 57. *a.* 1. & ex illis Casuistae. Distinguunt ibid. Scholastici fas à jure, & jus à lege. Ac fas volunt notare proprie legem divinam, jus verò legem humanam Sed (quidquid sit de phrasi latina) hoc usu scripturae minime probatur, ubi δικαίωμα Deo tribuitur *Rom.* 1. *vers. ult.* Jus à lege *ibid.* cum *Thoma* distinguunt, quod jus sit objectum justitiae; lex vero ratio ejus scripta. Aliter *Isidorus in etymolog.* ubi jus dicit esse nomen generale, legem verò juris speciem. Quamvis autem Scholastici & Casuistae Thomam secuti Jus divinum cum lege Dei plerumque confundant, nos [pag. 340] tamen ab eâ distinguendum putamus. Quod jus concipiatur quid intra Deum & formaliter quasi in Deo; cum respectu tamen ad creaturam sive existentem sive possibilem; lex verò extra Deum & effectivè à Deo, dicit enim regulam practicam, quam Deus judicat servandum esse à creaturâ, atque adeo vult eâ creaturam obligare, & actuali revelatione & imperio secundum illam voluntatem obligat. Itaque lex divina quà talis non potest dici vim habere obligandi Deum, jus verò contra. Scio distingui vulgo triplicem considerationem legis, ut est in se, ut est in legislatore, ut est in subdito. Sed essentialis definitio legis est ejus, quae spectatur in se, ut habet vim dirigendi & obligandi, cujus fundamentum proximum est revelatio & imperium legislatoris. Nam conceptus aeternus regulae practicae in mente divina cum voluntate obligandi non ponit legem nec ullam vim habet dirigendi & obligandi juxta illud *Deuteron.* 29. 29. coll. cum. 2. *Sam.* 7. &c. ut pluribus explicatur in doctrina de *Voluntate Dei*: ubi distinguitur in occultam & revelatam. Est ergo nobis hic jus divinum idea rectitudinis & bonitatis Dei circa gubernationem creaturarum rationalium, cum potestate in legem seu praecepta se diffundendi ac per eâ creaturas dirigendi & obligandi. Non ergo differunt realiter in Deo rectitudo (Heb. ישר *Joscher*) δίκη, δικαίωμα,, dominium, ἐξουσία, potestas, τὸ δέον, autoritas legislatoria. Ex descriptione hac colligimus jus divinum seu potestatem esse attri-

[1]) Resp. Cornelio Gentman, Goesa-Zelando. Ad diem 15 Junii 1639.

attributum relativum, & referri ad creaturas quatenus à Deo gubernari possunt, aut gubernantur.

2. Quod ad divisionem juris, varie illa explicatur. *Thomas* 1. 2. *qu.* 91. legem (quam cum jure confundit) facit quadruplicem; aeternam, naturalem, divinam, & humanam. Alii Scholastici dividunt jus in naturale, & positivum, & hoc rursum in divinum & humanum; illud in veteris & novi testamenti, hoc in jus gentium, civile, canonicum. Jurisconsulti dividunt in publicum & privatum; in naturale, gentium, civile; in commune & proprium: in scriptum & non scriptum; in mutabile & immutabile. Distinctiones illae & quidem solae à Scholasticis ad Thomam pertractantur imprimis à *Valentiâ* & *Vasquez ad* 1. 2. & *Azorio Instit. moral. tom.* 3. *l.* 1. coll. cum *tom.* 1. *l.* 6. *c.* 1. 2. *Becano Theolog. Scholast. part.* 2. *tom.* 1. *tract.* 3. *à Francisco Zuarez volumine peculiari de legibus*, aliisque alibi indicandis. Ex nostris *Amesius lib.* 5. *Cas. Consc. cap.* 1. fere intra eosdem terminos se continet. Sed ut verum fatear, nunquam mihi visae sunt illae distinctiones exhaurire totum illud γνωστὸν, quod scriptura hâc in parte nobis exhibet: & consequenter sufficere variis quaestionibus tum dogmaticis tum moralibus in Theologia enodandis Ut ergo nobis & aliis si non omnino satisfaciamus saltem occasionem [pag. 341] ulterius meditandi suggeramus, tentandum, an non paulo accuratius, & evidentius, haec explicari queant. Sit ergo jus aliud finitum seu creaturae, & aliud infinitum seu divinum. Illud versatur inter creaturam & creaturam quatenus scil. una ordinatur ad aliam, eamque obligat aut ab eâ obligatur. Estque vel angelicum, vel humanum. Vtrumque hoc immediatè & formaliter tale dicendum est; quamvis denominetur etiam divinum à fundamento suo, quod est jus divinum praescribens aut permittens talem obligationem creaturarum inter se. Et sic intelligitur juris divini esse ut liberi obediant parentibus, subditi magistratibus, ut quisque possideat bona sua &c. Porro de jure angeli in angelum, ex scripturis vix aliquid determinari potest; itaque doctae ignorantiae hic studendum. Quia autem scriptura tanquam norma actionum hominibus data est, omnes fontes juris humani illic referantur primariò, & secundario in lumine naturali seu recta ratione; unde necessariae conclusiones educi debent: Quae autem libera sunt & in utramque partem determinabilia pro ratione circumstantiarum, ea determinantur, & regulae juris & aequi ad eadem explicantur à legitima potestate à Deo inter homines stabilita. Cujus determinationes omnes vim juris humani obtinent, quousque scilicet rectae rationi & scripturae non repugnant. Semper enim convenienter naturae, rectae rationi, & scripturae omnia agenda & praescribenda sunt. Sed hoc speciale jus humanum legum latoribus & Juris consultis relinquimus: Nobis agendum est de Iure divino propriè & contradistinctè sic dicto. Ut quodlibet jus in genere est necessitas & potestas recta adhaerens personae ad aliquid agendum, aut omittendum, aut permittendum: sic etiam dicatur jus divinum esse necessitas & potestas recta, quâ Deus aliquem obligat, aut obligare potest. Obligatio haec propriè, aut impropriè, dicitur: & sic jus. Impropriè dicitur jus Dei esse, quo obligat creaturas omnes irrationales. Quae Dei sunt ejusque arbitrio, domini, usui & legibus naturalibus subjiciuntur, jure scilicet creationis *Psal.* 24. 1. & 50. 10. 12. Hinc etiam eas poenis subjicit, quae tamen propriè & ultimatè diriguntur ad creaturas rationales. Vide *Genes.* 3. 14. 17. *Exod.* 21. 29. Jus propriè dictum est vel ad intra, vel ad extra. *Ad intra* est, quod terminatur in solo Deo: quo Deus concipitur quasi obligare seipsum, circa seipsum, seu sibi debitor

debitor esse de seipso. Est autem terminatio illa in Deo considerata vel essentialiter, vel personaliter. Illo modo jure potest & tenetur Deus amare seipsum: isto modo tenetur Pater amare filium & vicissim: uterque Spirit. S. & vicissim. *Ad extra* est, quod terminatur in creatura rationali, aut in Deo quidem sed tantum in ordine ad creaturam. Et hoc propriissimè ac stricte jus divinum dicitur: fuitque à nobis modo definitum. [pag. 342] Spectari autem potest vel ut tenet ex parte Dei, vel ut tenet ex parte creaturae. Illo modo rursum spectatur *tum* activè, *tum* passivè, seu potius terminativè. *Active* Deus obligat seipsum in ordine ad creaturas, seu circa gubernationem creaturarum rationalium: quo refer illud *Proverb.* 16. 4. *Rom.* 11. *v. ult.* coll. cum *Jesa.* 42. *v.* 8. *Passive* seu terminativè Deus obligatur à seipso, & sibi est debitor, in iis quae pertinent ad gubernationem creaturarum. Deum obligari & teneri jure aliquo, quod realiter sit ipse Deus (nullum enim δικαίωμα supra aut extra Deum normam facit, & τὸν ἔσχατον κατὰ τὸν πρῶτον aliqua ratione limitat & determinat: hinc Deus dicitur sibi esse lex) constat ex 2. *Timoth.* 13. *Hebr.* 6. 18. 2. *Thessal.* 1. 6. *Habacuc.* 1. 13. *Genes.* 18. 25. coll. cum *Rom.* 3. 5. 6. *Ius divinum ad extra*, ut spectatur seu tenet ex parte creaturae rationalis est *subjective* necessitas & potestas adhaerens personae, ut rectè quid agere aut omittere possit: *objectivè* adhaerens rei ut rectè agi aut omitti possit. Jus hoc divinum creaturae rationali praescriptum, est vel naturale seu absolute necessarium; vel liberum seu hypotheticè necessarium. *Illud* obligat, absolutè ex necessitate naturae divinae *tum* creaturam ut subjiciatur, & debitum reddat; *tum* Deum, ut praescribat & exigat, ita ut oppositum ejus implicaret, contradictionem; Sic ex. gr. juris divini naturalis est, ut creatura rationalis Deo obediat & sublex sit, aut ut poenam luat; hoc est, ut obligetur ad debitum officium; aut si hoc negligat, ligetur ad reatum & debitum supplicium. Hujus juris axiomata *negativè* si concipiantur sunt ista: Deus non potest seipsum abnegare. Non potest gloriam suam alteri dare. Non potest dimittere creaturam rationalem, ut non sit ὑπόδικος aut sublex Deo. Non potest peccata remittere absque satisfactione; seu injuriam sibi illatam impunitam dimittere. Deus non potest mandare, dispensare, aut concedere creaturae rationali, ut se odio habeat, nomen suum blasphemet. *Affirmativè* si concipiantur sunt ista. Deus tenetur quaerere & promovere nominis sui gloriam. Deus tenetur gubernare & judicare mundum, quamdiu mundus est. Deus tenetur creaturae rationali cultum sui naturalem praescribere. Deus tenetur in casu chasmatis per interventionem peccati, hominem quemcunque salvandum per justificationem & conversionem ad gratiam & gloriam suam reducere: nam stante peccato homo non potest cum Deo uniri; 1. *Johan.* 5. 1. coll. cum *Habac.* 1. *Jesa.* 1. nedum ut Deus personaliter sibi unire posset naturam peccatricem, ut curiosè & blasphemè satis disputarunt *Scotus*, *Gabriel*, aliique insigniores Scholastici. *Jus divinum* liberum (quod aliter dicitur positivum) & hypotheticè tantum necessarium est, tale est, quia Deus libere ita voluit; qui absque implicatione [pag. 343] contradictionis potuisset velle oppositum. Huc pertinent, permittere peccatum, seu lapsum angelorum & hominum & omnia peccata inde promanantia: censere homines omnes & singulos in veteri foedere, non per capita, sed per stirpem in uno Adamo, angelos verò sive stantes sive cadentes sigillatim & seorsim aestimare, ita ut in uno homine omnes homines peccârint, in uno verò angelo omnes angeli non peccârint: Gratiam primam aut secundam, conservantem aut concurrentem seu praemoventem huic

huic creaturae dare aut non dare. Satisfactionem pro peccato, & obedientiam legi debitam transferre in mediatorem seu sponsorem nobis substitutum, & sic ab ejus manu in solutionem ea accipere: Praemium aeternae & coelestis beatitudinis hominibus in primaevo foedere proponere ac promittere: Christum specialibus illis tot tantisque cruciatibus, quos refert scriptura, in animâ & corpore pro nobis subjicere. His adde legem illam symbolicam de arbore scientiae boni & mali Adamo in paradiso latam; ut & totam legem ceremonialem, ac forensem Mosaicam; magnam praeterea partem decalogi: ut in primâ tabula modum cultus institui positivum ex. gr. per externam verbi praedicationem, &c.: in secundâ, de monogamiâ, de gradibus prohibitis, de dominiorum distinctionibus, de potestate Magistratus, de homicidio, &c. De omnibus enim illis dici nequit, Deum ad alteram contradictionis partem ex naturae suae necessitate fuisse astrictum. Ad positivum hoc jus reducendum est, ejus *divinum permissivum* ut vocant. Quid si aliter distinctiones has digeramus sequenti tabella?

Jus divinum est

- Naturale seu necessarium
  - 1. Improprie, ad creaturas irrationales, quod ad dependentiam suam & subjectionem ad Deum in genere.
  - 2. Propriè, seu ad intra terminatum in ipso Deo, — οὐσιωδῶς ὑποστατικῶς.
  - 3. Propriissimè seu ad extra terminatum in creaturis rationalibus; easque obligans ad officia
    - 1. Circa Deum, cultum scil. naturalem in genere & in specie.
    - 2. Circa proximum, amorem ejus scil. &c.
    - 3. Circa alias creaturas. [pag. 344]
- Liberum seu arbitrarium
  - Positivum seu determinativum
    - Impropriè; determinans scil. jura & leges naturae cujusque irrationalis in specie.
    - Propriè, determinans officia naturae rationalis eaque lumine naturae & scripturae exprimens,
      - Erga Deum, cultum sc. institutum.
      - Erga proximum, particulares scilicet actus caritatis ex.gr. eleemosynam.
      - Erga alias creaturas.
  - Permissivum; determinationem scil. creaturis rationalibus permittens in officiis
    - circa proximum
    - circa alias creaturas.

Distin-

Distinctionibus his praemissis, attributa juris divini scitu imprimis necessaria problematis sequentibus explicamus. Sit ergo *Probl.* I. An jus etiam locum habeat in bestiis. *Resp. Neg.* cum *Scholasticis supra cit.* Admodum autem ἀκυρολογίαις aut homonymiis ludunt illi, aut portenta novarum opinionum procudunt, qui serio defendunt, aliquam naturae legem bestiis à Deo inditam, ita ut generalem quorundam innocentiam singulorum generum naturae convenientem tum inter sese tum maximè erga homines servandam Deus ipsis praescripsisse videatur: atque adeo eas agnoscere Deum *Job.* 12. *v.* 7. 8. 9. 10. peccare *Genes.* 6. 11. poenam promereri *Exod.* 21. *Gen.* 9. 5. *Levit.* 20. 15. imaginem ac vestigium tum rationis tum voluntatis habere, sicuti scriptura passim judicat *Jesa.* 1. *Jerem.* 8. *Job.* 39. *& seqq. Proverb.* 6. &c. & Philosophi quidam ut *Plutarchus*, aliique jam pridem ostenderunt. Sic *Vorstius libr. de Deo p.* 7. & in *Parasceue Responsionis ad Piscatorem p.* 71. *& in Amica collat. cum Piscatore sect.* 1. *&* 94. quae tamen primum per *aliquatenus* post per *impropriè & tropicè* more suo excusare conatur. Nuperrimè tenebrio quidam Remonstranticus in libro cui tit. fecit *Gymnas. Ultrajectin.* opinionem *Valesii de* [pag. 345] *sacra philosophiâ c.* 44. *&* 55. quâ statuit Brutis inesse rationem serio defendendam suscepit: cui necessariae veritati secundum pietatem, aut cui bonae rei haec moveat, nondum capio. Invenio hanc opinionem placuisse etiam Manichaeis, teste *Augustin. de Haeresib.* & non male convenire hanc hypothesin thesibus Mahumetis de bestiâ Alborach, & vervecibus, quos mactant in Paschate, paradisum ingredientibus, ut habet liber dictus *zuna;* ut & deliriis Francisci Assisii & similium μελαγχολώντων, qui euangelium praedicabant avibus, piscibus, asino, lupo, quem postremum praedonem etiam à peccato suo convertisse dicitur idem Franciscus. Sed paradoxum hoc de brutorum ratione ex professo refutant hodierni omnes philosophi, & Theologi, qui videndi; & nos verbo perstringimus *Disput. de Creatione.* Accedat consensus veterum *Basil. orat.* 3. *in Adam. Augustin. de quantitate animae cap.* 27. 28. *Autor de Spir. & animâ cap.* 48. *Autor de Fide ad Petrum cap.* 24. *Gennadius Massil. de Eccles. dogm. c.* 17. *Damascen. de duabus Christi voluntatibus.* Porro jus divinum quomodo locum habeat in creaturis irrationalibus docent *Scholastici ad* 1. 2. *qu.* 93. *art.* 4. dicentes legi aeternae eas esse subjectas non per cognitionem & judicium, sed per naturalem tantum inclinationem; non liberè sed necessario; hinc est quod improprie dicantur obligari, non propriè, (nam ubi non est libertas, ibi non est obligatio sub peccato); atque adeo lex aeterna earum respectu propriè non habeat rationem legis. Applicari huc potest distinctio philosophica, quâ irrationalio dicuntur moveri à fine sibi convenienti, & in eum per destinata media tendere aut dirigi *materialiter*, non formaliter sub ratione scil. finis, & mediorum. Jurisconsultorum definitio juris naturalis, *quod natura omnia animantia docuit*; ab ipsis, ut & Scholasticis ac Casuistis, & ex illis ab *Amesio lib.* 5. *c.* 1. *qu.* 3. satis congruè explicatur. Cum quibus conferri potest *Bachovius in commentar. ad Instituta. Probl.* II. An jus naturale divinum à nobis propositum, idem sit cum jure naturali Jurisconsultorum. *Resp. Minime.* Est enim hoc jus subjecto & objecto merè humanam (quamvis ortu divinum), & symbioticum, pertinens ad societatem humanam quatenus illa respicit vitam naturalem & animalem; atque adeo est jus hominis in hominem, aut hominis in rem quamcunque, sed non nisi in ordine ad alium hominem. Illud vero est *primo* jus divinum reflectens in Deum. *Deinde* jus inter Deum & creaturas, *Tertio*

tio ex divinâ potestate in creaturas dispositio & obligatio rationalium ad officia erga se mutuo & erga alias creaturas. Itaque hoc illo comprehenditur non vice versa. *Probl.* III. An nostrum jus naturale divinum idem sit cum naturali illo, quod Scholastici, & ex iis *Becanus Theolog. Scholast. tract. cit. c.* 1. *qu.* 2. describunt: Quod sit jus, cujus obligatio [pag. 346] oritur ex natura rei, & inde se diffundit in praeceptum. Et *qu.* 7. ait: Obligationem legis oriri ea ipsa rerum natura, si lex sit naturalis *Resp. Neg.* 1. quia Membrum hoc distinctionis Scholasticae non exhaurit nec exprimit totum illud, quod de naturaliter necessario jure Dei secundum scripturas concipi potest: immo, ut alibi se explicant, supra limites Theologiae, luminis & legis naturalis, seu *κοινὰς ἔννοιας* & synteresin naturalem non ascendit. 2. Quia non ostendit nec distinguit an natura illa rei, in qua jus ipsorum naturale fundatur, & unde obligatio oritur, dependeat ex natura Dei, an vero à decreto. 3. Quia consequenter non explicat aut ostendit fontem, ac primum radicem talis aut talis naturae rerum, hoc est, non ostendit fundamentum fundamenti istius obligationis. Atqui hoc non ostenso, mens nostra non acquiescit, sed haeret in eadem quaestione & dubio: Cur ex. gr. hoc aut illud praeceptum est in naturalis magis quam illud? Si dicas, quia ibi natura ipsius rei dicit honestum aut inhonestum? Si instem: Quare? & unde certus es? *Respondebis*, quia natura ab illo ut turpi & indecoro abhorret, & ratio naturalis contrarium dictat. Hic ultima est analysis in lumen naturale homini cuique cum natura divinitus implantatum: quod certè secundarium est principium, & unde conclusionum deductio, imprimis earum quae à primis principiis practicis remotiores sunt, saepè fallacissima est: nisi scriptura ejusmodi primis secundisque principiis & conclusionibus (quod saepè facit) exsertè attestetur. Quomodo ergo philosophi cum Theologis non contenti sunt distinctionem necessitatis & contingentiae proponere: sed insuper radicem & originem utriusque investigant ita etiam in hac quaestione de jure atque aequitate naturali agendum putamus. Nostram vero distinctionem ita explicatam defectibus & dubiis omnibus paulo plenius satisfacere si non confidamus, saltem velimus. *Probl.* IV. An ergo axiomata practica & praecepta omnia, quae lumine naturali innotescunt aut certo demonstrari possunt, sint juris divini naturalis & absolutè necessarii: ita ut si oppositum eorum praescribat aut permittat Deus implicaret contradictionem. *Resp. Neg.* & exemplum dari potest: in conjugio inter fratres & sorores: occisione filii innocentis, quorum oppositum concessit & mandavit Deus: addi posset ex sententia praestantissimorum theologorum *ἀτεφωνίχ* [l. *αὐτοφονία*], quam peculiari instinctu & mandato divino à Simsone peractam censent: quae tamen in se, per se, ordinario, & communiter indecora, turpia, inhonesta esse dictat & percipit ratio naturalis. Sed quaeres, unde deducit ratio naturalis nisi ex necessitate naturae divinae & juris divini simpliciter immutabilis. *Resp.* Dici potest, deducere hoc ex revelatione juris divini non tantum naturalis [pag. 347] sed & liberi ac positivi, & consequenter hypotheticè immutabiles, ante lapsum homini facta in Adamo; cujus scintillae & reliquiae aliquae remanserunt post lapsum. Dicatur ergo Deum revelasse Adamo has leges juris positivi de monogamia, *Nat.* 19. 4. de gradibus prohibitis &c. Et hanc cognitionem per lapsum non plane exstinctam esse, ut nec inclinationem naturalem ad talem legem ex illo jure profectam & homini latam: aut fugam naturalem & aversionem ab ejus opposito. *Probl.* V. An jus divinum naturale idem sit cum lege aeterna Scholasticis ita dicta. *Resp.* Lex aeterna

notare

notare potest. 1. *regulam* quamvis practicam necessariae & aeternae veritatis, ad quam naturaliter obligamur, ut ex. gr. Deum esse colendum, parentes honorandos, nemini faciendam injuriam; hae regulae quia leges immutabiles sunt, dicuntur aeternae. 2. actum divinae mentis quo concipit & judicat regulas illas servandas esse à creatura rationali, cum voluntate eam obligandi: qua notione accipit *Thomas qu.* 93. *art.* 1. *Neg.* de lege aeterna in prima acceptione: Quia multae sunt regulae practicae quae quidem sunt veritatis aeternae & hypotheticae necessariae, quas tamen Deus aliter potuisset voluisse & nobis praescripsisse: quaeque consequenter non sunt juris naturalis divini. *Neg.* itidem de lege aeterna in secunda acceptione: quia indifferens voluntas obligandi hic intercedens & praecedens immo constituens bonam hujus legis partem, ostendit esse jus liberum quod ad illam partem, non vero naturale, & absolute necessarium ex necessitate naturae divinae. Cum ergo omne jus naturale divinum ad extra, sit legis aeternae, sed viceversa omnis lex aeterna non sit juris divini naturalis ad extra: sequitur non reciprocari jus hoc divinum cum lege aeterna, nec esse ἰσοδυναμοῦντα. *Probl.* VI. An omnia praecepta moralia quae ad decalogum pertinent, sint juris naturalis? *Resp. Scholastici* communiter affirmant 1. 2. *qu.* 94. *art.* 4. & 5. sed per jus naturale intelligunt jus divinum immutabile si non absolute, saltem ex hypothesi voluntatis & mandati divini, cujus veritas nobis natura innotescit: quod propterea dicunt in se esse immutabile, ut nec abrogari possit, nec desinat obligare. Nos contra *Neg.* prout jus naturale supra explicuimus. Et sic ad jus divinum liberum referimus cultum externum & institutum tum communem V. ac N. Test. tum proprium N. T. de sacramentis sc. de ecclesia visibili & instituta, etiam regulas quasdam speciales circa 5. 6. & 7. & 8. praeceptum. Quod inde colligimus, quia Deus potest mandare ut quis propriam ducat sororem (quod necessario factum fuit in prima generis humani propagatione): & sororum viduam fratris sui *Deut.* 21. potuisset etiam non instituere monogamiam. Potest mandare ut quis occidat filium innocentem, *Genes.* 22. item ut judex politicus capitali poena afficiat filios innocentes patris [pag. 348] transgressoris *Josuae* 7. & *Numer.* 16. Potuisse in primaeva integritate constituisse genus humanum absque Magistratibus; & certe eum actu ita constituisse disputant Theologi non ignobiles. Adhaec potuisset initio communionem bonorum injunxisse, siquidem non injunxerit. *Probl.* VII. An ergo ullum praeceptum legis naturalis possit deleri de cordibus hominum? *Resp.* Legem naturalem communi notione Scholasticorum hic accipimus, & sic de praeceptis ejus communibus *Neg.* (qualia sunt, bonum est faciendum, malum fugiendum: Deus est colendus, quod tibi fieri non vis alteri ne feceris, & si quae his similia.) Principia prima quod ad habitum nunquam exstinguuntur: quamvis quod ad Praxin & exercitium seu actualem cognitionem & intuitum, eorumque exsertionem & usum ad axiomata practica proximè, propinquè, remote inde deducenda, & factis ac conscientiae factorum applicenda res aliter se habeat. Sed de praeceptis particularibus inde deductis *Aff.* ex *Rom.* 1. 21. *Ephes.* 4. 18. & universali experientiâ. Vide *Scholast. ad Thomae qu. cit. art.* 6. *Probl.* VIII. An Deus de praeceptis juris naturalis dispensare possit? *R.* Hic praemittendae sunt distinctiones terminorum. *Dispensatio* est, quando in aliquo casu, quo revera viget & obligat lex, tollitur obligatio legis ab aliquo homine particulari; reliquis manentibus obligatis. *Declaratio*, seu *interpretatio* legis est, quando declaratur in aliquo casu legem non obligare. Nonnulli haec confun-

confundunt sed perperam. Vide *Valentiam qu.* 4. *de legibus puncto* 6. Et *Azorium lib.* 6. *Institut. cap.* 1. *qu.* 3. *Vasquez. in* 1. 2. *disp.* 178. *c.* 2. *Irritatio* est, quando lex aboletur antequam perfectè obligat. *Privilegium* est, quando quis excipitur ab obligatione legis communis. *Abrogatio* est, quando lex quae jam perfectè obligabat, simpliciter aboletur & tollitur. *Derogatio*, quando ex parte tollitur, ex parte manet. Distinguunt & vulgo praecepta legis naturalis in tres ordines. Ut quaedam sint universalissima principia, ex. gr. Malum faciendum non est, & bonum prosequendum. Quaedam conclusionem immediatae, & dictis principiis intrinsecè conjunctae, & talia sunt omnia praecepta decalogi. Quaedam sint à principiis illis, & ab ipso decalogo magis remota, ex. gr. de polygamia, de non ducenda uxore fratris &c. Sic *Zwarez lib.* 2. *de legibus cap.* 16. Scholastici in varias abeunt sententias. Sunt qui statuunt Deum in omnibus praeceptis decalogi posse dispensare, ut *Occam*, *Gerson*, *Aliaco*, *Almaynus;* quod scil. peccata adversus hanc legem ideo solum sint mala quia Deus prohibuit. Alii in omnibus praeceptis secundae tabulae ut ex parte in quarto praeçepto, ut *Scotus*, *Gabriel*, qui idcirco praecepta illa eximunt à lege naturali rigidè sic dicta. *Durandus* & *Iv. Major* negativa decalogi praecepta faciunt indispensabilia. Sed *Durandus* excipit quintum praeceptum, & sextum cum aliqua distinctione: ita ut [pag. 349] utrumque faciat dispensabile. *Thomas* 1. 2. *qu.* 120. *art.* cum multis aliis *Altisiodor. Richardo*, *Paludano &c.* omnia praecepta decalogi esse simpliciter & absolutè indispensabilia, etiam per potentiam Dei absolutam; & hanc sententiam quasi communem defendit *Zwarez loc. cit.* Ratio haec est quia continent intrinsecam rationem justitiae & debiti, inquam, non ut procedit à lege tanquam effectus ejus, sed ut provenit ex intrinseca proportione inter objectum & actum comparatum ad rectam rationem, seu naturam rationalem. Nam lex naturalis prohibet ea, quae secundum se mala sunt, quatenus talia sunt, & ideo supponit in ipsis objectis seu actionibus intrinsecum debitum, ante omnem legem externam, ut non amentur seu fiant; & contra praecipit bona quatenus intrinsecam connexionem & necessitatem habent cum natura rationali. Quaecunque hic objiciuntur de mutatione praeceptorum ex autoritate Dei, ut *Genes.* 21. *Hos.* 1. *Exod.* 12. respondent Deum propriè non dispensare de praecepto, nec mutare praecepta formaliter ita dicta; sed immutare praecepta materialiter, hoc est, ut propriè loquamur ipsam materiam, & rem, seu actionem circa quam versatur praeceptum. Et hoc facit non tanquam legislator, ad quem pertinent jus νομοθετικὸν & dispensativum, sed tanquam dominus, qui potest dominia mutare vel concedere. Sic ex. gr. Non dispensavit de lege furti, nec Israelitis mandavit furtum; sed tanquam supremus dominus per suum dominium mutavit dominium humanum, & bona Aegyptiorum subjecit postestati israelitarum; & sic nulla ratio furti ibi locum habet. Si qui verò autores cum *Bernardo de praecepto & Dispensatione c.* 5. hic posuerint dispensationem, eos ajunt impropriè locutos, & exponendos, ut jam dictum est. Et haec quidem sententia hactenus non displicet. Sed manet ulterius inquirendum quod sit fundamentum intrinseci debiti in ipsis actibus aut connexionis & necessitatis eorum cum naturâ rationali; & an omnia praecepta decalogi (quo nos, quidquid est morale referimus) sint juris naturalis divini; & simpliciter necessarii, ita ut non tantum praeceptum naturale homini inditum ex hypothesi constitutae nunc naturae impossibile sit mutari, sed nec ipsam materiam, seu actus, circa quos praeceptum versatur? Breviter quaerendem

rendum est, an actus intrinsecè mali, materialiter sumpti per autoritatem Dei praecipientis honestari possint, & deformitas eorum ab iis separabilis sit quia scil. honestas aut turpitudo ejus pendeat à dominio Dei. De tribus primis praeceptis decalogi quod ad negativum eorum, hoc absolute statuendum est. Neque enim potest Deus sine abnegatione sui ipsius relaxare praecepta illa, aut creaturae rationali concedere ex. gr. ut Deum odio habeat, blasphemet, alium Deum colat &c. De primo & tertio, quod ad affirmativum eorum & actus cultus naturalis, idem [pag. 350] statuendum; sic ex. gr. non potest concedere aut dispensare, ut Deum non colat, non amet, ei non credat, nomen ejus non sanctificet. Sed de secundo praecepto dubitatur; 1. an omne negativum ejus per mutationem materiae praecepti aliquâ ratione mutari possit: ex. gr. an Deus possit similitudinem aliquam sui qualemcunque aut signum materiale exhibere; per quam pictam aut efformatam homini illi, cui eam exhiberè dignaretur, licitum esset in posterum Deum colere. 2. dubitatur an affirmativum ejusdem praecepti si exponatur esse cultus institutus, Deus absque implicatione contradictionis ita mutare posset, ut aliquis nullo cultu instituto sive V. sive N. testamenti teneretur. Nos non videmus alterutrum, si dicatur, implicare. Ac prius quidem colligimus tum ex signis seu imaginibus extraordinariis, ut columbae *Matth.* 3. tum ordinariis, ut cherubinis, & arcam foederis cum propitiatorio. De Quarto praecepto, si determinatam, & ordine recurrentem speciem temporis eo describi dicimus (ut quidem ego malo dicere) absque ulla dubitatione statuendum, esse illud juris divini positivi. Quod autem *Zwarez* ad quartum praeceptum determinat non implicare contradictionem, si Deus homini licentiam daret per omne vitae tempus, immo per totam aeternitatem nullum bonum motum circa ipsum exercere, neque cultum aliquem directum & proximum exhibere, illud satis crudum & curiosum mihi videtur. Siquidem cultum & motum externum intelligeret, utique possemus in medio relinquere: sed motus internus si intelligatur, malim cum Thomistis nonnullis sentire hoc non posse fieri, nec per propriam dispensationem, nec per mutationem materiae: Quae etiam videtur esse sententia *Gregor. de Valentia disp. tom.* 2. *disp.* 7. *qu.* 4. *puncto* 6. De praeceptis secundae tabulae disquirendum, sint ne ea juris divini positivi: & consequenter possit ne materia eorum mutari absque implicatione. Zwarez ibid. affirmat: *excepto nono de Mendacio, in quo* ait *fortasse esse specialem rationem, vel quia etiam respectu Dei ipsius malum sit, vel quia de se non limitatur ad materiam creatam, nec pendet ex dominio Dei in illam, vel inepersonam: sed in quacunque materia & de quacunque persona dici potest, vel denique quia ejus deformitas non dependet ex alio dominio vel divino jure, sed statim oritur ex dissonantia verborum ad mentem.* Sic ille. De Quinto praecepto non exigua difficultas est, an scil. honor parentum quà talium possit mutari & aboleri; ita ut non implicaret contractionem, si omissionem hujus actus, aut contrarium Deus alicui praescribat. *Durandus* cum suis affirmat; hac ratione, quia ut à materia reliquorum secundae tabulae ita & quinti praecepti potest auferri debitum: est enim dependentia hominis unius ab alio separabilis à quocunque, sola dependentia à Deo nullo modo est [pag. 351] separabilis. Sed opponit *Zwarez*, inseparabile esse debitum honorandi parentes à filio, supposita procreatione per tales parentes. Et certe malim in hanc partem inclinare; immo & addere, juris divini naturalis esse praeceptum illud generale, quod homo teneatur diligere hominem. *Probl.* VIII. An lex naturae

sit

sit mutabilis, de quo disputant ad *q.* 94. *art.* 5. & 6. *Resp.* 1. est per additionem. Sic Deus posset nova specialia praecepta addere: quomodo de facto addidit si non praeceptum speciale seu explicitum, saltem novam praecepti explicationem, extensionem, applicationem: *Crede in Christum mediatorem:* quod tamen virtualiter & implicitè, seu quod ad genus, sub primo decalogi praecepto continetur. 2. Non est per sui desitionem, quod ad universalissima praecepta, etiam quod ad praecepta particularia, ut scil. illa universaliter amplius non obligent: possunt tamen nonnulla modo recensita in particulari casu & quo ad aliquem hominem mutari materialiter sc. ita ut status objecti seu actus, circa quem versatur praeceptum, mutetur: ut modo dictum est. 3. Non est mutabilis ex parte subjecti, id est naturae humanae, seu naturalis synteresios, in quâ tanquam in subjecto est & permanet habitualiter. Hoc est, non potest deleri ex mente humanâ saltem quo ad universalissima principia, & quo ad particularium principiorum, & praeceptorum radicem, synteresin sc. Conf. *disp. de Athismo part.* 2. & 3. *Probl.* IX. An juris praecepta rectè constituantur, honeste vivere, alterum non laedere, suum cuique tribuere. *Resp.* Sunt qui negant; inter quos *Amesius lib.* 5. *Casuum cap.* 1. *qu.* 5. Rationes apud ipsum vide. Mihi tamen videtur non malè hoc dici: siquidem intelligas, ut intelligi videtur, jus hominis ad hominem. Sed de his aliisque quaestionibus in loco comm. de *Legibus*: & ad secundam decalogi tabulam, de *Justitia & Jure*, agendum est. Rejicimus 1. *Occamum in* 2. *qu.* 19. & *Aliaco in* 1. *qu.* 14. qui statuunt actum odii Dei posse rectè fieri, & à Deo praecipi, ut & alia quaevis contra legem moralem. 2. *Panormitanum* & quosdam ejus sectatores, qui ad *capitul. ultim. Extravag. de Constitutionibus* scribunt *jus naturale posse ex causâ tolli*, ab humana scil. autoritate. Sed de potestate dispensandi circa jus divinum, quam Canonistae tribuunt Papea Romano, alibi disputandum.

Probl. X. An repugnet juri divino naturali, si praecipiat peccata. *Resp. Aff.* & rectissimè annotatum à *Cajetano ad* 1. 2. *qu.* 100. *art.* 8. voluntatem divinam, etsi non sit absolutè determinata, ut velit aliquid extra se, aut ut velit hominem aliquid agere; esse tamen necessario determinatam, ut si velit hominem aliquid agere, velit ipsum bene & convenienter suae naturae agere: est enim voluntas ejus rectissima, fons & regula omnis bonitatis, immo est prima bonitas: haut aliter ac [pag. 352] Deus non potest docere falsum, nec velle seu praecipere, ut homo per se aut per alium fallatur, quia est prima & summa veritas. Sed haec controversia infra in *appendice* ex professo agitabitur. *Probl.* XI. An sit juris divini naturalis & antecedat omnem voluntatis actum, praemium vitae aeternae debitum in veteri foedere ante lapsum cum homine inito. *R. Neg.* Neque enim probari potest implicare si Deus hominem creasset absque promisso hoc praemio: Deus enim ad praemium nemini est obligatus. *Rom.* 11. 35. nisi ex praesuppositâ liberâ voluntate, & promissione. *Probl.* XII. An permissio peccati sit juris divini positivi; an vero Deus ad non permissionem seu impeditionem naturali jure & necessario obligetur. *Resp. Pr. A. Post. N.* Idque à posteriori ex ipso effectu colligimus. Deus enim de facto permittit peccata. Atqui hoc non facit praeter aut contra jus & potestatem suam. *Probl.* XIII. An grátia conservans ac confirmans, angelis, (qui eam habuerunt) & hominibus (qui eam non habuerunt) in primâ creatione fuerit debita. *Resp. Neg.* Idem etiam dicendum de gratia instaurante, ut & de praeparatione ad gratiam & gloriam. Quae omnia desu-

desumuntur ex *Rom.* 11. *v.* 25. 36. cum 6. *v.* 18. 2. à 20. ***Probl.*** XIV. An jus divinum naturale requirat, ut Deus hominem condat cum praetensâ voluntatis naturali libertate independente, qualem fingunt antiqui & recentiores Pelagiani. ***Resp. Neg. Probl.*** XV. An jus divinum tum naturale tum positivum postulet paenas peccatis debitas, & consequenter non possit ea remittere absque satisfactione. ***Resp.*** De jure positivo Antagonistae Socinianorum minime dubitant: idque ex *Rom.* 1. *v. ult.* & 2. 8. 9. 2. *Thessal.* 1. 6. 7. *Hebr.* 2. 4. *Jesa.* 43. *Habac.* 1. *Jesa.* 1: *Exod.* 32. satis constat. Et hactenus sufficit credere, non posse Deum abnegare aut veritatem, aut jus suum positivum scil. (cujus sensum & notitiam humanae menti una cum lege naturae impressit *Rom.* 1. *v. ult.*) Ita stat argumentum nostrorum contra Socinum pro necessitate satisfactionis secundum aeternum & immutabile jus Dei. An autem jus hoc dici possit naturale, & necessitatis absolutae, nec Deus aliter ab aeterno concipere ac decernere potuerit, non aeque liquet. Ego malo in partem affirmantem inclinare; praesertim cum nullae rationes cogant nos ad oppositam. Sed de hoc infra, *thesi* 2. *de Justitia Dei.* ***Probl.*** XVI. An jus divinum sive liberum sive necessarium postulet, ut ipse peccator poenas luat; & sic dationem sponsoris, ejusque satisfactionem excludat? ***Resp. Neg.*** idque conditiones novi foederis, & eventus à posteriori demonstravit, Frustra itaque propter substitutionem sponsoris nostri pro nobis fingitur remissio aliqua de jure Dei, aut Dispensatio, aut relaxatio, ut nonnulli loquuntur. Nihil tale hic locum habet; sed tantum divini juris & latae legis interpretatio, quam facit novum foedus & Euangelium, juxta [pag. 353] *Rom.* 3. 24. 25. 26. & 8. 3. coll. cum *Jacob.* 4. 12. Et sic nihil decessit juri divino *Rom.* 3. 29. Nam declarat Deus jus suum tanquam summi Rectoris & domini esse, aut in ipso peccatore peccatum vindicare; aut in ejus sponsore, & sic peccatorem impunitum dimittere. Quantum autem differant juris dispensatio seu relaxatio, ab interpretatione: docent scriptores de legibus à nobis cit. Nulla hic est mutatio legis intrinseca aut in se per abrogationem, aut dispensationem à Deo legislatore quà tali factam: sed solummodo extrinseca per appositionem seu additionem sanctionis & revelationis evangelii ad revelationem legis operum *Rom.* 3. 29. 30. 31. strictè ita dicta, qua credere tenemur per subsumtionem legis fidei sub lege obedientiae generaliter acceptae, & illius ex ista eductionem: posita scil. evangelii & gratuitae Dei promissionis revelatione, & consequenter mandato ut homo ei credat. In omnibus enim Deo loquenti fidem adhibere tenetur. Mutationi autem legis modo dictae praesupponitur gemina mutatio una objecti circa quod versatur legis maledictio & executio, Christi scil. qui in se cum esset justus, factus est peccatum & κατάρα atque adeo justissimè legi poenali subjectus fuit; altera mutatio fuit nostri, à quibus censitis in sponsore nostro debita omnia ablata fuerunt, & in illum translata. Et hic actus substitionis fuit Dei non qua legislatoris, sed qua supremi Rectoris & domini. Quod autem quidam (inter quos *Grotius de satisf. c.* 3.) hunc actu legis poenalis relaxionem & dispensationem indigetat, id impropriè dici putamus: quo modo *Greg. de Valen. Zwarez. modo cit.* rectè observant *Bernardum*, & *Thomam* impropriè loqui in *quaest. de Dispensatione legis naturalis.* Nam propriè hoc dici non potest: nisi ostendatur esse hanc sanctionem legis poenalis idque ex jure Dei naturali aut positivo: *Ipse peccator in personâ, & nullus sponsor pro illo luat.* Coroll. *Rejicimus Socinianos asserentes legis divinae per evangelium abrogationem & derogationem.* Sic *Crellius de satisfact. contra Grotium c.* 3.

c. 3. *Probl.* XVI. [l. XVII] An repugnet juri & justitiae Dei, ut peccata nostra in alio, & quidem innocente ac justo puniantur. *Resp. Neg.* contra *Socinum de Servat.* Ejusque *Hyperaspistem Crellium libr. cit. c.* 4. Conferantur Antagonistae Socinismi. *Probl.* XVII [l. XVIII.] An fuerit immutabilis juris divini, ut sponsor noster esset Deus, & homo. *Resp.* Ex *Heb.* 2 17. aliisque locis cum *catechesi* nostra *quaest.* 16. 17. inclinare malumus in partem affirmantem; tanquam tutiorem; & haeresi Sociniae fortius contradicentem. Sunt ex Orthodoxis qui aliter sentiunt, inter quos *Calvinus* & *Beza* secuti hâc in parte *Augustinum*. Nos censemus *catechismi* nostri sententiam tutiorem esse. Dependet haec quaestio ab alia priori an infiniti valoris satisfactio requisita fuerit? *Probl.* XVIII. [l. XIX.] An fuerit de eodem jure Dei. ut esset homo justus. *Resp. Aff.* cum eadem *catechesi*, quae cum commentatorib. suis rationes adfert ibi legendas. Quib. accedit & ista, quod posito eum fuisse & debuisse [pag. 354] esse Deum seu personam divinam, non potuerit ea assumere humanam naturam peccatricem. Contra quam satis profanè disputant Scholastici, alibi refutandi. *Probl.* XIX. [l. XX.] An debuerit esse secunda persona Deitatis? *Resp.* congruitates hic adferri solent: sed de necessitate non liquet. Malumus, ergo hic ἐπέχειν & quaestionem hanc inter curiosas numerare. *Probl.* XX. [l. XXI.] An omnes species poenarum, quas substinent homines pro peccatis, ferre debuerit, an vero suffecerit adaequatio, & compensatio per poenam aequivalentem. *Resp. Post. Aff. Probl.* XXI. [l. XXII.] An fuerit juris immutabilis, an vero liberae voluntatis divinae, quod Christus extensive tot tantasque poenas ad satisfactionem pro nobis subierit? *Resp. Post. Aff. Probl.* XXII [l. XXIII.] An jure Dei immutabili naturali, an vero positivo Christus debuerit mori? *Resp. Post.* ad minimum affirmandum cum nostrâ *Catechesi qu.* 40. *Pr.* etiam videtur innui *qu.* 11. Sed non ita liquet, & potest in medio relinqui. *Probl.* XXIII. [l. XXIV.] An Christus in humanâ naturâ ex naturali jure fuerit subjectus legi & consequenter non tantum pro nobis, sed etiam pro se obedientiam praestiterit *Resp. Aff.* De hoc ex professo disputatur in loco *de Justificatione.* ubi de imputatione obedientiae Christi. Vide *Gomari disp. de materiâ & formâ Justificationis* imprimis *Tilenum in syntagmate tom.* 2. *disp.* 4. *Probl.* XXIV. [l. XXV.] An in actibus religionis formaliter & proprie ita dictis locum habeat jus divinum permissivum: illudque per se sufficiat ad tales actus homini imponendos? *Resp. Neg.* De quo agendum in loc. comm. *de Traditionibus, de Autoritate Ecclesiae in fidei dogmatis, de Ceremoniis & adiaphoris. Probl.* XXV. [l. XXVI.] An Deus absque peccati praevisi tanquam causae aut necessarii antecedentis sui decreti interventu posset aliquem reprobare. *Resp. Aff.* cum *August. de praedest. & gratia c.* 16. Atque ita statuunt *Armin. in* 1. *dist.* 40. & 44. & *Aliaco in* 1. *qu.* 12. *art.* 2. & 3. *Javellus tom.* 1. *quaest. de causa praedest. Viguerius Instit. c.* 20.58. *Jacobus Andr. in colloq. Mompelgard. pag.* 580. *Flacc. Illyricus, David, Rungius, Georgius Major. in Rom.* 9. Et de facto sic reprobasse sentiunt ex nostris Theologi quique praestantissimi *Beza, Marloratus, Danaeus, Martyr, Witakerus, Perkinsus, Zanchius, Piscator, Ursinus, Hubertus Sturmius, Gomarus, Chamierus, Scharpius, Ferrius*, pluresque alii alibi nominandi: quorum sententiam nuper explicuit & defendit *Guil. Twissus contra Arminium c.* 2. *digress.* 8. cujus liberum publicè approbavit Remonstrantismi malleus *Guil. Amesius.* Ante Twissum idem praestiterat *Franc. Junius in collatione cum Arminio;* sed adhibitâ conciliatione & distinctione reprobationis negativae & positivae. Conciliationem reprobationis absolutae quae ascendit supra lapsum, cum ea quae substitit in lapsu docte

docte & perspicue instituit *Maccovius part.* 1. *locor. comm. disp.* 27. Ubi vide *thesi penult.* Unum est loquendi genus de destinatione pec, cati, [pag. 355] aut hominis ad peccatum: quod mutari malimus, ut dicatur destinata permissio peccati tanquam medium fini subordinatum. Vide & conciliationes *D. Spanhemii*, & *D. Revii in Dispp. de praedestinatione.* Anno 1644. Lugd. Batavorum propositis. *Calvinum* cum distinctione duas illas sententias tanquam sibi subordinatas atque adeò minimè pugnantes tradidisse certissimum est: quamvis nonnulli viri docti contra contendant, eum supra lapsum non ascendisse. Sed credendum est Bezam praeceptoris & collegae sui mentem optimè percepisse; nec dubitare nos sinunt ipsius *Calvini* verba *Institut. lib.* 3. *cap.* 21. §. 5. *&* *cap.* 23. §. 7. 8. *&* *cap.* 24. §. 12. & in *commentar. ad. Rom.* 9: 18. & in *tract. de aeternâ Dei praedestinatione.* Et in *respons. ad calumnias Nebulonis ad artic.* 1. *Confessio Gallica & Belgica* objectum praedestinationis lapsu Adami non circumscribunt. Quod autem adversarii Pelagiani de horrore illius sententiae conqueruntur; id nos dimovere non debet ab ingenuâ veritatis confessione & defensione. Neque enim unquam per remissionem aut descensum aut emollitionem in hoc negotio quemquam eorum ad nostras partes attractum videas; sed contra ex nostris subinde aliquem per hanc dimissionem seu descensum ad ipsorum partes dilapsum: inter quos *Daniel Tilenus* (cujus *syntagmatis* prior editio cum posteriori conferenda) & alter in Germaniâ quem hic non nomino, quia in adversariorum sententiam planè & apertè non transiit, qui prius sententiam supra lapsum animosè tutatus erat contra virulentas adversariorum calumnias; sed postea nescio quibus considerationibus adductus infra lapsum descendit, & vix ibi substitit. Sunt & alii quibus ob metum & in gratiam calumniantium adversariorum, συγκαταβάσεις & emollitiones duritiei (uti loquuntur) sententiae de praedestinatione, primum soliditatem ac eruditionem, deinde & orthodoxiam ex parte attriverunt; ita ut se & alios perplexitatibus, contradictionibus aut saltem umbraticis logomachiis involverint. Quod autem adversarii Neo-Pelagiani tam horridam & odiosam proclamant hanc sententiam id terrere nos non debet: scripturis enim & rationibus hic agendum, non verbis & clamoribus. Ponam hic singula hujus decreti momenta, secundum ordinem naturae generantis & intendentis concipienda, ut adversarii si possint absurditatem unius ex illis in se, aut singulorum inter se connexionis evincant. Deus reprobavit N. N. negativè & positivè hoc est, decrevit, voluit, statuit, destinavit ab aeterno secundum beneplacitum suum 1. Eum creare. 2. permittere lapsum. 3. relinquere in lapsu & permittere finalem ejus impoenitentiam & infidelitatem. 4. Justè illum damnare. 5. gloriam justitiae suae in illo ostendere. Cur injustum aut absurdum, quod Deus pro beneplacito suo statuit huic N. gratiam & gloriam [pag. 356] non conferre, sed peccatum ejus permittere, & propter permissum peccatum justissime eum damnare ad gloriam justitiae suae. Ne minima quidem specie hic contradici potest, nisi prius solide probetur ex scriptura Deum homini debere gratiam & gloriam, nec posse pro absoluta & suprema sua potestate eum praeterire, ac sibi relinquere, aut peccatum ejus permittere. Breviter nisi probetur esse simpliciter impossibile & implicare contradictionem, si tale quid vellet aut decerneret, sicuti velle creare alium Deum, vel facere peccatum, velle metiri &c. Si quaeras an ergò Deus absque peccato seu absque ullo intuitu peccati sive originalis sive actualis praeteritos reprobavit, hoc est, decrevit non salvare sed damnare ad gloriam justitiae suae. *R.*

cum

cum distinctione: Absque intuitu peccati tanquam causae meritoriae & antecedentis illius decreti divini, cur hic minus eligeretur & magis reprobaretur quam ille; Cum intuitu peccati tanquam causae meritoriae & antecedentis ipsius damnationis, & tanquam termini seu objecti (pro parte suâ) decreti divini, quo seu secundum quod permittit peccatum & destinat ad justam damnationem propter peccatum. Est ergo peccatum causa rei volitae, h. e. damnationis, sed non est causa volitionis divinae, seu Dei volentis; non magis quam fides quae est causa instrumentalis justificationis nostrae & salutis, ideo causa est electionis ad salutem. Diligenter hic notandum axioma scholasticorum: *Deus vult hoc propter hoc, Sed non propter hoc vult hoc.* Sic Deus vult & decernit N. damnare propter peccatum. Quod si τὸ *propter peccatum* jungatur cum τῷ *velle;* seu ponatur super τὸ *velle aut decernere* Dei, dicimus esse falsum: quia decretum seu voluntas Dei in se spectata nullam habet causam, nullum antecedens, nihil se prius; nihil à quo pendeat, determinetur, limitetur, conditionetur: quamvis res volita seu decreta una dependeat ab aliâ tanquam causâ aut conditione antecedente. Sed si τὸ *propter peccatum* jungatur cum τῷ *damnare*, dicimus esse verissima. Sicuti Deus decrevit per fidem salvare Petrum aut Paulum: ut *per fidem* jungatur cum *salvare*, tanquam causa & conditio antecedens salutis; non vero cum *decernere.* In hoc ergo objecto reprobationis locum finis obtinet illustratio gloriae justitiae; locum mediorum 1. justa damnatio propter peccatum, 2. eique proxime subordinata (ut plerique statuunt) aut coordinata, ut statuit *Twissus*, permissio peccati. 3. quam praecedit, & cui in ordine decreti subordinatur creatio hominis. Hanc enim ex serie praedestinationis excludere non possunt, qui illa axiomata nobiscum retinent: Deum nihil velle, nihilque agere frustra sed certo fine: Deum suâ intentione non excidere: Finem esse primum intentione, & ultimum executione. Quod si omnem veritatem non ponunt & exhauriunt, aut propter adversarios abstinere malunt, omittendo partes aut momenta quaedam in objecto praedestinationis; facile ferimus eos suo frui judicio, & hic subsistere: modo [pag.357] temere non condemnetur sententia tot ac tantorum theologorum, qui supra lapsum ascendunt; praesertim cum superiorem illum ascensum praescindere, nedum juxta cum aliis heterodoxiis & periculosis acurologiis rejicere & condemnare nolueris celebris synodus Nationalis Dordracena an. 1618. 1619.; quamvis communem sententiam de electione ex lapso genere humano, proposuerit: ad vindicias communis (etiam laicorum) fidei de solida Dei gratiâ & absoluta ejus voluntate contra Hypotheticos & liberi arbitrii patronos. Neo-pelagiani ut orthodoxae sententiae odium concitent, subinde voci *reprobationis* substituunt vocem *damnationis:* quin immo contendunt perinde esse sive quid dicas de reprobatione sive de damatione. Sed illis reponimus, pari ratione dicendum esse, non distingui decreta Dei ab executione & perinde esse sive quid dicas de decreto sive de executione: e. g. decretum creandi mundum est ab aeterno, ergo & creatio mundi: & viceversa creatio facta est in tempore, ergo & decretum creationis. Nullum adhuc est judicium extremum, actualiter sc. existens: ergo nullum est judicii extremi decretum divinum. Quae omnia sunt absurdissima. Sed sententiae hujus superlapsariae (ut loquuntur Remonstr.) innoxiam & sanctam veritatem nullo scripturae dicto, nullo sanioris philosophiae axiomate aut ratione hactenus expugnatam aut expugnabilem facile videbunt juniores, si modo ab exclamationibus & πάθεσι rhetoricis ad λόγους & praecisa argumentationum puncta adversarios suos revocent. Rever. & doct. editores operum summi Theo-

Theologi & praeceptoris nostri Fr. Gomari, habebunt forte occasionem accuratissimos ejus de hac quaestione conceptus cum cygnea cantione paucis diebus ante obitum ad calamum dictata evulgandi, & ab impugnatio nibus seu insultationibus cujusdam malevoli, si quidem ulterius se prodat, vindicandi.

DE JUSTITIA DEI.

1. Ad voluntatem Dei referuntur attributa duplicia. *Priora* sunt, quae analogicè concipiuntur ad modum affectuum, ut amor, misericordia &c. *Posteriora* sunt, quae concipiuntur ad modum habituum, ut justitia, patientia, longanimitas &c. Inter haec justitia aliquando concipitur, tanquam virtus universalis, & sic idem est quod bonitas, sanctitas, & puritas Dei. Aliquando tanquam virtus particularis; atque ita hic sumitur & definitur, virtus Dei jus suum cuique tribuens. Estque vel in dictis vel in factis. Illa est cum oratio assensum auditorum requirens & à nimo ipsius, & rectae rationi, & rei consentanea est: adeo ut in mandatis sit aequitas, & enuntiationibus sive dogmatum, sive promissionum aut minarum veritas ac rectitudo. Haec justitia etiam fides Dei dici solet 2. *Timoth.* 2. v. 13. & fidelitas *Hebr.* 10. v. 23. Et hac ratione in Hebr. Syriaca, Arabica lingua συνωνύμως usurpantur, justitia, fides, veritas; ut alibi per occasionem ostendimus in *desper. causa Papatus.* Cum quo convenit phrasis graeca *Rom.* 3. *v.* 3. 4. 5. [p. 358] 6. 7. *Justitia in factis* est merè distributiva (nam commutativa inter Deum & creaturas propriè nulla est *Thom.* 1. *q.* 21. *a.* 1.) qua suum cuique, ut conveniens est, distribuit. Ejus objectum & effectus est jus δικαίωμα; objectum occupas (qui & finis *cui*) est tum Deus ipse, seu Dei gloria: tum creatura. Estque haec duplex vel regiminis (seu creationis ac gubernationis judicandorum) vel jurisdictionis, seu judicii. *Illa est*, qua omnes suas actiones in creatione & gubernatione ad juris & rectitudinis suae naturalis normam summâ aequitate instituit ac dirigit *Psal.* 33. 4. adeo ut neque peccati aut injustitiae alicujus autor sit *Jacob.* 1. 13. 1. *Joh.* 1. 5. neque actionibus suis ullam declinationem à recto & justo admisceat. *Rom.* 3. 5. 6. coll. cum *Jacob.* 1. 17. *Justitia judicii est*, quae secundum opera mercedem retribuit *Rom.* 2. 6. 7. 8. 9. 10. *Jerem.* 17. 10. 2. *Thessal.* 1. 5. Estque haec duplex vel remunerativa seu praemians secundum gratuitam promissionem erga bene agentes. 2. *Timoth.* 4. 8. Vel correctiva erga malè agentes. Quam rursus possumus distinguere tripliciter in *castigantem* seu *emendantem* erga filios & amicos *Hebr.* 12. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. In *praeparantem*, quam & retrahentem ac reprimentem dicere liceat; erga electos nondum conversos, sive remotè sive proximè & ipso instanti ante conversionem *Act.* 9. 3. 4. quo referri potest *Ps.* 83. 17. Denique in *vindicantem* seu punitivam propriè & strictè sic dictam, quam exercet erga reprobos. *Adjuncta* seu propria hujus justitiae punitivae sunt, 1. quod Deo sit essentialis & necessaria (quomodo & reliqua Dei attributa) atque adeo realiter idem sit cum Deo. 2. Quod consequenter non dependeat à liberâ Dei voluntate: quasi scil. esset effectum aliquod voluntatis divinae. 3. Quod sit attributum relativum: &, quod ad egressum sui, hypotheticum: neque enim in actum exit, nisi positâ creaturâ ejusque peccato: haut aliter ac misericordia respicit miseriam creaturae, vel actualem, vel futuram vel possibilem. 4. Quod normam & mensuram externam nullam habeat, sed solum intrinsecum dominum, jus, & potestatem Dei: breviter Deum ipsum, ens & agens primum, perfectissimum. Hinc etiam

etiam rectè dicitur: Deus non vult aut agit aliquid, quia justum est: sed quia vult aut agit hoc, ideo justum est. *Effecta* ejus extra Deum sunt, *tum* lex poenalis, & inde resultans jus seu δικαίωμα, cum poena. Jus seu δικαίωμα, quod hic spectatur, distinguendum est a jure, quod in Deo spectatur, & quasi norma justitiae illius. Hoc enim est immanens quid, realiter à Deo non distinctum: illud vero est emanans quid, & tanquam effectum extra Deum realiter ab illo tanquam concomitans aut adjunctum, aut relatio ex eâ resultans. Hoc quatenus naturale [pag. 559] est praecedit omnem voluntatem Dei, in signo sc. rationis seu in instanti naturae: illud vero totum quantum est, eam sequitur, quippe una cum lege atque imperio ex libero ejus decreto promanans. Porro haec lex poenalis seu hoc δικαίωμα punitivum, quamvis essentialiter unum idemque sit, tamen propter additionem seu accessum legis fidei, seu foederis novi, aliud est ante lapsum, aliud post lapsum. *Illud* tantum versatur circa legis moralis immutabilis, ut & symbolicae de arbore vitae; & scientiae boni mali transgressionem *Gen.* 2. 17. *Hoc* verò circa transgressionem non tantum legis moralis sed & additamenti novi de fide & gratia Christi, quod vocamus evangelium. Hinc resultat debitum majus & extensivè & intensivè. Habet enim evangelium novas gratiae promissiones in Christo mediatore: quae faciunt novum objectum credibile, seu novam partem objecti credibilis. Hinc tenetur homo virtute fidei etiam in hoc objectum tendere; seu fidem suam ad illud extendere: quia Deus veritatem illam ipsi revelat & revelando fidem ejus mandat; atque hominem ad hoc fidei officium obstringit. Estque posterius hoc δικαίωμα rursum vel veteris testamensti tempore ἐπαγγελίας, cujus formula *Deut.* 27. *v. ult. Exod.* 20.5. 7. Vel Novi Testamenti, cujus formula *Joh.* 3. 19. 36. coll. cum *Hebr.* 3. 2. 3. *Joh.* 15. 21. 23. 24. & 26. *v.* 8. 9. 10. Observandum autem non extendere se hoc δικαίωμα amplicatum (ita loqui liceat) ac occasione supervenientis novi foederis, ad illos quibus non est revelatum; uti analogicè colligimus ex *Rom.* 2.12. Alterum & ultimum effectum justitiae punitivae est *poena*, quae etiam per metonymiam metaphoricam *ira* dicitur. De qua peculiari loco communi ex professo agitur. Hic tantum ἐν παρόδῳ distingue subjectum poena proprie sic dictae & consequenter objectum justitiae vindicativae aliud esse vas dilectionis, Christum scil. τὸν ἠγαπημένον; alia vasa odii, & irae reprobos scil. & damnandos, aut damnatos tum homines tum angelos. *Finis* justitiae vindicativae, respectu *hominum*, ut absterreantur & moneantur *Jes.* 26. 9. respectu *Dei* ut in vindiciis gloriae suae acquiescat. Vide *Jes.* 1. 24. *Ezech.* 5. 13. *Prov.* 1. 26. *Problema: Utrum ut textus* 2. Pet. 3. 9. *ita &* Ezech. 18. 21. & 32. 11. *de peccatoribus convertendis tantum, an verò de omnibus & singulis etiam nunquam convertendis intelligendus sit. Comparatum*, & proxime, affine justitiae divinae est justitiae Christi mediatores quà talis: quam tamen à justitiâ essentiali Dei quae est ipse Deus, accurate distingue, ne in errorem Ossiandri (quem vide à *Calvino* in *Instit. Conr. Schlusselburgio in catal. haereticor. Meisnero in Anthropologia*, refutatum) incidas. Vocatur quidem justitia Dei, quia scil. ex Deo est *Phil.* 3. 9. *Rom.* 10. 3. qui novum foedus sancivit, sponsorem dedit, ejus vadimonium & debiti exolutionem pro nobis acceptavit, ac nobis [pag. 360] imputavit per fidem. Habet illa justitia spectata ex parte Dei judicis ad Christum rationem poenae, ex parte Christi ad Deum quidem satisfactionis, ad nos verò meriti; ex parte nostri, seu ut in nobis terminatur, nosque ejus participes sumus, rationem gratiae, seu doni gratuiti. *Oppositum* justitiae judiciariae Dei, est προσωληψία: quam ideò ab eâ longe removet scriptura *Rom.* 2. *v.* 11.

2. De

2. De justitia Dei punitivâ hodie controvertitur, an illa in Deo sit necessaria, quod ad egressum scil. seu exercitium: ita ut Deus necessariò puniat peccatum, quandocunque illud commissum fuerit. Unde dependent controversiae in loc. comm. *de satisfactione Christi, & de Justificatione* determinandae; An satisfactio & justitia Christi fuerit necessaria; sive absolutè ex necessitate naturae divinae quia justitia est Deo essentialis & naturalis, sive hypotheticè ex supposito Dei de comminatione legis poenalis. Sociniani omnia illa negant. Ex orthodoxis sunt qui affirmant absolutè & simpliciter saticfactionem jure Dei naturali esse necessariam; & consequenter remissionem peccati absque interventu satisfactionis esse simpliciter impossibilem, quippe naturae Dei repugnantem. Alii defendunt hypothetice ex suppositione decreti & legis poenalis Adamo latae esse necessariam: ideoque alium redemtionis modum fuisse & nunc esse impossibilem. Alii denique videntur nullam necessitatem satisfactionis agnoscere: sed a verbulo aut nutu Dei (ut loquuntur) totum opus redemptionis suspendere. Nos nundum videbimus rationes, cur receptam à pluribus Socinismi Antagonistis sententiam deserere, & hypothesin hanc dogmatis de satisfactione Christi adversariis tradere debeamus. Sint ergo argumenta haec pro sententia affirmante, quae si omnia non tenent pro primâ ejus explicatione, saltem tenebunt pro secunda. I. *Argum.* Ex *Jesa.* 1. 14. & 33. 14. *Hab.* 1. 12. 13. 2. *Thessa.* 1. 6. *Exod.* 34. 7. *Psal.* 5. 5. 6. *Ex.* 20. 5. *Deut.* 4. 24. *Hebr.* 10. 30. 31. & 12. 29. *Rom.* 2. 2. 3. 5. & 3. 6. & 12. 19. *Num.* 14. 18. *Nah.* 1. 3. Quae descriptio ostendit Deum naturaliter odisse peccatum, hoc est peccatum ei displicere: & posito objecto non posse odium suum ex necessitate naturae suae adversus illud exserere. II. *Arg.* *Rom.* 1. 32. collatum cum communi sensu omnium hominum, qui ut naturaliter Deum concipiunt necessario esse aliquem Deum, sic eum gubernatorem, justum, & vindicem intelligunt. Hinc naturalis conscientiae accusatio *Rom.* 2. 16. & in oppressione ac injuria quacunque ad Dei justitiam provocatio; hinc & excogitata innumera ἱλαστήρια placando numini; & lustrationes, expurgationes, hinc à sacrificiis profani omnes procul esse jussi. Ex antiquitatibus ex professo illa eruit *Stulkius de sacrificiis Gentilium.* Post quem excerpta exhibuit *Grotius* ad calcem libri sui *de satisfactione* [pag. 361] *Christi.* Ut nunc axiomata omnibus insculpta ex. gr. ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα: & alterius poëtae: *Aspiciunt oculis superi mortalia justis*, & similia infinita una cum Theologia mythologicâ de Nemesi, Rhadamanto &c. praeteream. Quae certe plus aliquid, quam liberum Dei institutum aut imperium, cujus oppositum aequè esse potuisset, indicare videntur. III. *Arg.* Sequeretur hoc absurdum: quod Deus posse concipi sub opposito hujus attributi, injustus sc. Atqui hoc fieri non potest sine abnegatione Dei. Quicunque enim concipit Deum sub opposito attributi cujuscunque divini ex. gr. scientiae, voluntatis, potentiae, &c, ille Deum indirectè negat. Exceptio quae ex attributo misericordiae hic opponi posset, facile deluitur negando parem rationem esse necessitatis aut libertatis in egressu seu exercitio justitiae & misericordiae divinae: quod Deus creaturae non obligetur, sed creatura Deo: De quo infra. IV. *Arg.* Videtur à posteriori id etiam pie colligi posse & huc facere *Rom.* 3. 25. 26. quod sc. Deus dederit filium unicum, & commoverit coelum & terram, ut admirabili illo opere redemptionis defungeretur. Quod si justitia non fuisset satisfaciendum, vix concipi potest cur cum verbulo aut nutu, aut mille aliis modis facile esset remittere peccata, tantae molis opus occeperit. Per se quidem haec ratio non sufficit

sufficit; tamen non minoris forte momenti est, quam rationes sententiae adversae. Scio rationes nostras non exiguis difficultatibus urgeri, nec forte tam evidenter omnes tolli: tamen experiemur an Antagonistae Socinianorum etiam hac in parte defendi possint, an non potius in illorum sententia (quae alioquin per se absurdi nihil in Deum aut fidem implicat) permanendum sit. Saltem quidquid sit de naturali necessitate puniendi peccatum, firmum stat ex immutabili decreto & lege aeterna Dei etiam naturae & menti omnium hominum indita peccatum ex sua natura mereri poenam, nec posse à peccato quem absolvi nisi placato numine. Fontes solutionum adversus objectiones tum heterodoxorum, tum ex Orthodoxis doctiss. *Twissi Vindic. l.* 1. *part.* 2. *digr.* 8. sunt isti: 1. Distingue poenam in satisfactione in genere dictam. ab hac poenae aut factionis specie, seu speciali ejus modo. 2. Distingue volitionem seu actum voluntatis divinae quo vult quid ex necessitate naturae seu jure naturali & tamen liberè concomitantur: à volitione qua vult per indifferentiâ & liberè antecedenter, cujus sc. oppositum potuisset velle. 3. Distingue turpirtudinem seu deformitatem peccati, à reatu. 4. Egressus attributi divini relativi, quod respectum habet ad creaturas est necessarius ex hypothesi & positis ponendis. Sic Deus necessario agit per & secundum omnipotentiam,posito, quod extra se quid agit. Sic determinatè & certo novit hoc vel illud futurum contingens, posito sc. decreto suo de illo contingenti. Sic adorationis, [pag. 362] & cultus naturalis officium Deo debetur, ex hypothesi scil. seu suppositâ creaturâ rationali. Sic necessario Deus continua manutenentiâ suâ influit in quamque creaturam eamque in esse conservat: posito scil. quod velit eam existere. Nam sineillâ manutenentiâ & influxu perpetuo existere nequit, ut nec sine concursu operati: cum dependentia creaturae à creatore in essentiâ; existentiâ, operatione sit essentialis. Sic gubernatio & judicium justum necessario competit Deo circa peccata secundum dominium & jus suum naturale, posita scil. creatura rationali & peccati permissione; quia necessario subjacet Deo omne rationale aut ad obedientiam aut ad paenam pro defectu, ad compensationem injuriae majestati & gloriae ipsius illatae. Haec, aliaque in ipsa *Disputatione* objectionibus pro re nata tunc applicanda relinquebamus. Nunc visum est in iterata editione hujus disp. breviter objectiones & exceptiones praecipuas perstringere. Quarum I. Misericordia est attributum Dei essentiale & necessarium; nihilominus egressus seu exercitium ejus est liberum; miseretur enim Deus quorum vult *Rom.* 9. Ergo par est ratio justitiae punitivae. *R. Neg.* consequentia ab egressu necessario aut libero unius, ad egressum alterius. Ratio imparitatis est, quod Deus nemini obligatur, nemini quidquam debet, *Roman.* 11. 33. 4. *Lucae* 17. 10. ideo miseretur aut non miseretur pro libero suo beneplacito. Sed homo obligatur Deo, ad subjectionem & obedientiam, aut ad vicariam compensationem per debitam poenam. Ideo necessario aut debitam obedientiam Deo praestat, aut à Deo punitur, non vero liberè, (antecedenter scil.) II. Si in obedientia hominis citra interventum constitutionis seu liberae voluntatis divinae necessario & ex necessitate naturae divinae meretur poenam, ergo obedientia pari ratione meretur praemium. *R. Neg.* consequentia. Ratio disparitatis ex solutione praecedentis argumenti huc applicetur. III. Sequeretur Deum ad extra operati ex necessitate naturae; quod absurdissimum. *R. Neg. minor* cum distinctione. Deus cum ad extra libere operatur, necessario divino modo & convenienter suae naturae operatur, ex gr. cum liberè producit hunc aut istum hominem, necessarium est ut producat ratione prae-

praeditum: aut si liberè velit angelo aut homini aliquid revelare, necessarium est revelet veritatem: aut si liberè producat mundum necessarium est, ut eum gubernet. Vide infra in *appendice part.* 1. *Thesi* 4. *cit. Cajetanum.* IV. Sequeretur Deum non posse dispensare; sed necessario punire quando & quantum potest. Sed hoc absurdum. *Resp. Neg.* consequentia. Dilatio poenae, aut dispensatio quod ad tempus aut modum libero Dei arbitrio in hanc aut illam partem determinari potest, quamvis τὸ punire seu ipsa poena in se & absolutè considerata sit necessaria. [pag. 363] Idem responderi potest de gradibus seu incremento poenarum in inferno, siquidem damnati nunquam cessent peccata peccatis accumulare. De quo quidem satis molesta disquisitio. Interim ex eo, quod vix aut difficulter sic assequimur, ut & nostro & aliorum curiosis ingeniis satisfaciamus, non est subvertendum quod assequi possumus & satis perspicimus. V. Sequeretur Deum necessario debere conservare hominem damnatum: Atqui videtur absurdum. *R. Negatur minor.* Posito enim hominem à Deo liberè productum & libere permissum peccatum: sequitur necessario illum puniendum, & per consequens necessario in existentia conservandum, quamdiu punitur aut puniendus est. An autem poena justè aequivalens cuilibet, peccato, necessariò debeat esse aeternae, secundum jus Dei naturale, adeo ut Deus absque implicatione contradictionis non posset aliter decernere; hâc vice non disputamus: cum absque hoc propositae objectioni satisfactum sit. VI. Sequeretur terminos esse contradicentes, peccatum & non puniri: Sed hoc absurdum. Ergo. *R.* Termini proximè & immediatè implicantes contradictionem sunt, Dei universale, supremum, & absolutum, dominium & potestas in hominem: & hominem non esse subjectum aut obligari Deo supremo domino ad actualem obedientiam, aut illa deficiente ad vicariam ejus compensationem; quod sit per poenam. Hic tam cruda implicatur contradictio, quam si quis dicat Philippum esse patrem Alexandri, & Alexandrum non esse filium Philippi: Socratem esse Hermachi legitimum dominum, aut Principem, & Hermachum non esse servum aut subditum Socratis. VII. Deus potest mitiorem poenam inferre quam peccatum meretur: ergo potest per potentiam absolutam universam poenam suspendere. Minor prob: Quia Deus potest remunerari ultra condignum: ergo potest punire citra condignum. *R.* Probetur perspicuè consequentia majoris. 2. Probatio minoris invalida est: utitur enim ista hypothesi, Quod par sit ratio boni & mali, in ordine ad praemium conferendum, & ad poenam inferendam. Eos eam *Neg.* Deus enim nulli creaturae rationali praemium debet, nec sibi debitor est ex necessitato naturae, sed tantum ex libera gratia & promissione? Sed contra creatura rationalis necessario debet Deo obedientiam aut vicarium compensationem; & sic consequenter Deus in ordine ad illam sibi ipsi, seu absolutae potestati, juri & justitiae suae debiter est. Abnegaret ergo se ipsum, si hoc debitum juris sui naturalis sibi non praestaret: sed non abnegare seipsum, si hominem quem ex gratia & liberaliter (circa intercedentem promissionem) non praemiaret VIII. Potest Deus cruciatum infernalem alicui inferre absque omni demerito; ergo etiam potest non obstante demerito quocunque omnem [pag. 364] poenam suspendere. Consequentia probatur, quia multò pronior est ad benefaciendum, quam ad puniendum. *Resp.* Consequentia majoris cum suâ probatione non parum examinari posset. Sed sufficiat nunc ad minorem excipere. Incertum per incertum, dubium per multò magis dubium probari. An extensio illa potestatis & juris divini in creaturam satis solidè probetur infra dispiciemus.

APPENDICIS AD DISPUTATIONEM THEOLOGICAM

DE JURE ET JUSTITIA DEI

PARS PRIMA. [1])

De Jure Dei cum ante hac ageremus, constituebamus distinctionem juris divini in naturale & positivum, seu in necessarium & liberum. Cujus distinctionis apud Scholasticos & qui eos sequuntur neglectae aut non satis excultae explicationem & applicationem uti tunc admodum utilem judicabamus, quippe per tam multas theses, hypotheses, & quaestiones theologicas se diffundentem: ita nunc operae pretium nos facturos arbitramur, si eam denuo ad modum controversiae uberius pertractemus, & ab objectionibus virorum Doctorum, quae post illud tempus in lucem prodiere, pro virili vindicemus, aliaque nonnulla subjiciamus, quae ad illustrationem disp. *nostrae* de Jure & Justitia Dei *pertinere videbuntur. Quod ad controversiam de praesenti distinctione.* I. Ejus statum constituemus. II. Rationes pro sententia nostra indicabimus. III. Objectiones, & exceptiones solvemus. IV. Porismata deducemus, & per modum problematum controversorum determinabimus.

1. Est igitur quaestio: An sit jus aliquod divinum in Deo immanens, Deo naturale, necessarium, & immutabile, ita ut Deus absque implicatione contradictionis per absolutam suam potentiam & potestatem non possit velle aut non velit posse aliquid mandare aut facere, quod juri illi repugnet, Vel sic, An sit aliquod jus Dei in ordine ad creaturam, quo ipse absolutè teneatur & obligetur, ita ut posito subjecto seu objecto idoneo, creatura scil. rationali, non possit in excercitio & egressu istius juris actum debitum & juri illi homogeneum omittere, aut contrarium actum excercere, aut ut ab aliis exerceatur praecipere. Vel sic, an ullum sit jus Dei in ordine ad creaturam rationalem, quod quidem aptumnatum sit in praeceptum se diffundere, ad cujus revelationem, mandatum, ad utramvis contrarietatis aut [pag.365] contradictionis partem Deus libere se habeat & indifferenter: ut in istam aut in istam partem absque violatione & abnegatione potestatis, potentiae, perfectionis, & sapientiae suae, hoc est, absque abnegatione sui ipsius apud se primum decernere, deinde extra se secundum decretum suum revelare, praecipere, exequi possit. Vel sic, cum quaedam sint, quae à Deo ex necessitate naturae suae, & non secundum antecedentem libertatem voluntatis aut liberum decretum agi dicuntur, an inter ea etiam numeranda sint aliqua praecepta creaturae rationali praescripta, & obligationes inde in creatura rationali existentes. Vel sic, An omne jus Dei ex quo & secundum quod quid mandat aut mandare potest creaturae rationali, aut tanquam sibi debitum quid exigit & postulat ab ea, sit mutabile, liberum, & quod posset aut potuisset aliter à Deo decerni, & consequenter in aliud aut contrarium praeceptum diffundit: an vero aliquod sit simpliciter necessarium & immutabile, quo Deus non possit positis ponendis obligare creaturam rationalem, siquidem velit aliquam producere & existere. Alii sic proponunt, an omnia apud creaturas rationales in ordine ad Deum & inter se justa & recta sint, tantum quia Deus vult, an vero quaedam justa sint & dici possint, quae Deus aliter velle non potest, ad quae necessario obligentur creaturae, & consequenter an

---

[1]) *Resp.* M. ANDREA LANSMAN Amstelod. *Ad diem* 21. *Decemb.* 1644.

ter an dici possit, Deum ea velle & mandare; quia antecedenter, & per prius justa & recta sint. Scholastici sic quaerunt, An omnia praecepta decalogi sint mutabilia aut dispensabilia. Subinde quaerunt An omnia sint juris naturalis. Sed tum confundunt jus naturale humanum, quatenus inest & adest homini, cum jure naturali divino, quatenus illud inest aut adest Deo in ordine & revelatione ad hominem. Solet etiam controversia in hypothesibus quibusdam proponi, & speciatim huic aut illi actui applicari: quas infra in ipsa disceptatione, & consectariis perstringemus.

2. Argumenta nostra sunt. I. *Arg.* Dependentia creaturae rationalis à Deo, quâ scil. rationalis est, & in genere moris ac in ordine ad rectam rationem tam necessaria est, ut oppositum ejus repugnantiam dicat in terminis, ac contradictionem implicet: Huic dependentiae passivae à parte creaturae, respondet dependentia activa à parte Dei, cujus oppositum itidem contradictionem implicaret. Vel sic, Omnis creatura rationalis Deo subjici debet rationaliter, & obligatur ad obedientiam, si Deus ipsi quid mandet, aut ab ea postulet: ergo ex vi relatorum est in Deo jus subjiciendi sibi & obligandi creatura rationalem ad obedientiam; quod abnegare non potest, aut ejus oppositum decernere ac praecipere sine implicatione contradictionis. Esse aute tale jus necessario, & immutabiliter in Deo, hoc est antecedenter ad omnem liberum voluntatis actum, probatur. 1. *quia* Dei primitas, independentia, perfectio, suprema potestas, & similia divina [pag. 366] attributa hoc requirunt & tale jus fundant. Quod si ergo haec attributa in signo rationis antecedant Dei voluntatem seu libera Dei decreta, ergo & jus Dei, secundum quod datam quamcunque creaturam rationalem sibi subjicit, & ad obedientiam obligat. 2. *quia*, (ut ab analogiâ seu à pari argumentemur) necessariò & immutabiliter in Deo est adorabilitas quippe reciprocum Dei attributum, nec data quacunque creatura rationali per liberum Dei decretum oppositum ejus decerni potest, sine implicatione contradictionis: Ergo jus aliquod in Deo est ante liberum decretum. Antecedens putamus in consesso esse apud eos, qui sententiam contrariam tuentur. 3. *Quia* (ut rursum à pari concludamus), dependentia in actu aut potentia, cujusque datae aut dandae aut dabilis creaturae à Deo, in genere scil. entis, & naturae, & causae secundae, est creatura necessaria & essentialis; ita ut Deus non possit oppositum per liberam voluntatem apud se decernere, aut extra se in tempore exequi, absque repugnantia in terminis & sui abnegatione: poneretur enim alius Deus, praeter Deum alia scil. causa prima, aliud independens, primum, &c. Iam vero dependentia naturae rationalis, ut talis, in genere moris, bonitatis moralis, & rectae rationis, a Deo & ente primo, perfectissimo, optimo, primaque & summa atque archetypa veritate, bonitate, recta ratione, prima, item & summa ac absoluta potestate, & potentia; non minus est necessaria, quam dependentia cujusque naturae irrationalis in essentia, existentia, operatione sibi connaturali. Neque enim bonitas moralis, ejusque principium ac fundamentum intellectus ac voluntas rationalis, in illo altiori & peculiari gradu entitatis ac bonitatis, magis independens est, quam quodcunque aliud ens. Necessario ergo tenetur quaelibet natura rationalis, secundum actus rationalis seu rectae rationis convertere & movere se in Deum tanquam primam & supremam rectam rationem, eique tanquam principio & exemplari & normae se conformare ac subjicere. Oppositum Deus libera voluntate sua decernere, & secundum hoc decretum mandare non potest, sine abnegatione bonitatis ac potestatis suae. 4. *Quia* (ut ad hominem

nem

nem argumentemur) obedientiam & subjectionem in genere necessariam esse statuit sententia adversa; ut etiam homo teneatur aeque ad blasphemiam Dei, ac ad adorationem, siquidem Deus ipsi praeciperet, pro ut praecipere posse, haut obscurè innuit. Si ergo obedientia & obligatio ad eam, quotiescunque Deus quid praecipit, necessaria est in creatura rationali, nec oppositum ejus statui potest sine repugnantia in terminis: sequitur ex vi relatorum, jus aliquod obligandi ad illam obedientiam esse in Deo, quod ab illo abnegari, & cujus oppositum decerni aut praecipi non potest sine implicatione. Hoc si [pag. 367] concedatur, habemus quod volumus, jus scil. Dei naturale in ordine ad creaturam, quod antecedat liberam Dei voluntatem, ita ut illud deponere, aut ejus oppositum decernere non possit. II. *Argum.* Quia justitia punitiva ante omne liberum Dei decretum, seu antecedenter ad Dei voluntatem est in Deo: ergo aliquod jus Dei in ordine ad creaturam rationalem. Consequentia patet, quia non potest justitia esse absque jure & vice versa. Minor in confesso est, maximè apud hodiernos sententiae adversae defensores, aliosque accuratos Socinismi Antagonistas, in controversia de satisfactione Christi. Et nos supra de ea egimus in *disp. de jure & Justitia Dei.* Conferatur etiam D. *Maccovius disp. locor. commun. part.* I. *disp.* 22. — III. *Argum.* Ab absurdis consequentibus. I. *quia* sequeretur, nullum esse atheismum, Epicureismum, diabolismum. Magiam, odium & abnegationem Dei, blasphemiam, &c. quem Deus non possit liberè velle mandare & ipso facto mandare tanquam moraliter aut spiritualiter bona ac sibi placentia, quippe praestita ex debita obedientia Majestatis divinae. Quidquid enim potest cadere sub praeceptum, eo ipso cum praecipitur à Deo non est peccatum aut malum, sed facit Deus ut peccatum fiat aut sit non peccatum: sed omnia illa modo recensita possunt cadere sub praeceptum, ex sensu adversariorum. Quid si ergo quis dicat Deum liberè posse velle & revelare ac praecipere: ut homo cognoscat & credat nullum esse Deum; Deum Patrem, Filium, Spiritum Sanct. non esse unum illum verum Deum, creaturam hanc illamve; imo & ipsum diabolum esse unum illum solum verum Deum; Duos esse Deos Manicheorum; esse Aeonas Valentini, creaturas quaslibet, immo & diabolum religiosè colendum & adorandum; Deum non condidisse mundum, nec cum providentia sua regere: insuper dicat Deum posse velle & praecipere, ut homo sibi non obediat, se non cognoscat, colat, religiosè honoret tanquam Deum, sed diabolum: huic fidat, hunc amet ex toto corde, ex omnibus viribus, Deum vero unum & trinum odio habeat, abneget, blasphemet, in hunc absurdorum labyrinthum necessario compingitur sententia adversa, quae nullo colore praesciendi possunt. Jam vero ex quo tanta absurda per se, necessario, & evidenter sequuntur, illud ipsum pro absurdo habendum est. 2. *quia* sequeretur Deum posse abnegare seipsum, non tantum indirectè & implicitè, sed exsertè, & directè, praecipiendo scil. homini aut angelo, ut credat ista: Ego non sum Deus, non sum Deus tuus à te colendus, amandus &c. super omnia, non sum bonus, perfectus, omniscius, omnipotens creator & gubernator mundi, justus. Aut ut in tertia persona de se ista externè praedicet, aut intus cordi hominis inscribat, [pag. 368] & tanquam objectum fidei credenda proponat: Deus non est justus, omniscius, creator &c. Christus non est Deus ὁμοούσιος nec Messias mediator Dei & hominum &c. Adamus morte non morietur, etiamsi edat de fructu vetito: non puniet Deus infideles aut impoenitentes. Ratio nulla dari potest, cur ista mendacia minus credenda proponere ac praecipere possit, quam

quam quaecunque alia: siquidem omnia illa solummodo à libero Dei decreto, & mandato dependeat, ut in hanc vel illam partem voluntate signi & mandati à Deo determinata proponantur. 3. *quia* sequeretur potuisse Deum liberè decernere, & secundum decretum suum creare homines & angelos, qui talem habuissent legem, quae singula peccata adversus decalogum tam commissionis quam omissionis praescripsisset, & rationem peccati seu ἀνομίας ab omnibus actibus humanis & angelicis abstulisset atque adeo rationem oppositae bonitatis & obedientiae illis contulisset: ita ut peccatum nullum existere potuisset imo ne quidem concipi; illique omnes necessario, non per gratiam Dei sive confirmationis, sive restitutionis, sive primam sive secundam, ab omni peccatiumbra immunes fuissent, tanquam per naturam, & ex necessitate naturae: ferè ut Deus, cui lex nulla posita. 4. *Quia* sequeretur potuisse liberè Deum decernere, & secundum decretum creare homines aut angelos, sine synteresi, conscientia, atque adeo omni lege naturali seu aeterna: apud quos rectae rationis conformitas cum prima & suprema recta ratione, & consequenter discrimen boni aut mali in actibus rationalibus tam in specie quam individuo consideratis nullum habuisset locum: non magis quam in bruto, aut lapide, aut sole, aut arbore. Brevier potuisse creaturam rationalem fieri, quae esset planè exlex, quippe aut supra omnem legem moralem, ceremonialem, quamcunque aliam, ut Deus; aut infra legem, ut brutum, lapis, arbor. 5. *Quia* sequeretur, nullum actum humanum posse dari etiam religiosum actum e. gr. invocationem religiosam diaboli, juramentum per nomen ejus, divinum amorem ejus tanquam summi boni, fidem in illum tanquam in primam veritatem, fiduciam & spem in illum tanquam in primam bonitatem &c. qui ita habeat conjunctam sibi malitiam aut ita sit intrinsecè malus, ut per circumstantia quam mutari non posset materia sufficiens peccati & sic actus ille reddi bonus. 6. *Quia* sequeretur, posse Deum liberè decernere & facere, ut creatura rationalis sibi quacunque ratione quid praecipienti in genere & universaliter non obediat: nec etiam in specie praecipienti credat falsum, aut aliud quodcunque peccatum faciat contra primum, secundum, tertium praeceptum, cum Deus rationem malitiae & ἀνομίας ab eo auferret. Posterius absurdum, tanquam ad hominem, supra tetigi, ut ostenderem adversam sententiam absurdis & [pag. 369] contradictionibus involvi. 7. *Quia* consequenter hinc inferretur, Deum si velit, posse esse autorem aut approbatorem inobedientiae, hoc est, autorem & causam saltem moralem peccati peccatorum (juxta 1. *Sam.* 15.) quippe qui docere possit hominem, aut illi mandare, ne sibi quodcunque praecipienti aut praecepturo obediat. Nulla enim est obligatio in homine, nec jus obligationis in Deo, quod necessario & antecedenter ad Dei voluntatem ac legem hoc impedire possit secundum adversarios: Neque enim praecipit Deus sibi Deo suo obediant, quia justum est: sed contra justum est, quia Deus nunc sic vult & praecipit, qui tamen oppositum aeque velle & praecipere possit. Nihil potest hic excipi ab adversariis, quam inobedientiam illam universalem hominis aut omnium hominum, siquidem esset ex praesupposito praecepto Dei de inobedientia, non fore tunc peccatum, sed virtutem & actum obedientiae. Sed videat, an & quomodo sanis hominibus labyrintheam istam inobedientem obedientiam & obedientem rebellionem seu inobedientiam persuadere possint. Ego saltem fateor, me tam cruda nec capere nec concoquere posse. 8. *Quia* sequeretur non posse ulla ratione defendi hypothesin illam contra Socinianos, de essentiali & absolutè necessaria justitia punitiva Dei, deque necessitate

tate satisfactionis pro peccato: quam tamen adversae sententiae patroni hactenus nobiscum defenderunt. 9. *Quia* tandem sequeretur, nullam esse repugnantiam in terminis, nullam implicationem contradictionis, nihil Deo absolutè impossibile. Ut enim nonnulli Dei potentiam, Dei rationem & logicam male asylum faciunt contradictionum & absurdorum: sic metuendum ne tandem quis ex hypothesi sententiae adversae & à pari inferat, Deum liberè posse decernere & secundum decretum facere ut homo sit irrationalis, & brutum rationale, & canis sit lapis aut homo, & viceversa, & corpus sine quantitate, & accedens sine subjecto, & idem Petrus Romae moriatur, & Ultrajecti vivat, & Coloniae quiescat & Lutetiae moveatur, aliaque similis sexcenta, quorum partem notavimus in *disp. de Potentia Dei*: ubi vide. Facile enim erit illis, qui portenta haec parturiunt aut alunt, praetexere, nullam necessitatem & immutabilem rationem se habere antecedenter ad voluntatem Dei, cur ille, qui tanquam liberum agens nunc illa ad extra sic decrevit, & fecit in creaturis, oppositum decrevisse aut decernere non possit: quandoquidem libera voluntas Dei sit sola, prima, suprema causa omnium ad extra. IV. *Arg.* sit supernumerarium & probabile, desumtum à consensu sapientium, qui hanc rem proprius considerarunt. A multis enim (fateor) in terminis & abstractè quaestio proposita non fuit, ac proinde distinctio non intellecta, ab aliis non satis exculta penitissimè usque ad finem eam defendendo, & ad particularia applicando. Primum [pag. 370] ergo huc conferenda quae Theologi dicunt de essentiali, suprema, & absoluta potestate, majestate, ac dominio Dei, quod Deus posita aliqua creatura in actu abnegare non potest, & cui materialiter subesse tenentur omnes creaturae, formaliter & rationaliter creaturae rationales, quippe solae talis subjectionis capaces. Jam vero ubi potestas naturalis, necessaria, ante liberum voluntatis actum, ibi jus homogeneum. Siquidem jus nihil aliud est quam qualitas moralis personae competens ad aliquid habendum aut agendum. Consulant studiosi nostri data occasione, quosvis locorum comm. scriptores, & Scholasticos. *Deinde* omnes Scholastici illi & Casuistae, qui exserte ista statuunt, Aliquibus actibus humanis ita esse conjunctam malatiam, ut ab illis prorsus sit inseparabilis; & contra aliquibus ita intrinsecam esse bonitatem, honestatem & justitiam, ut ab iis divelli non possit: Item Aliqua esse naturaliter justa, & ideo praecepta, quia bona; aliqua vero fieri justa institutione divina, & bona esse quia praecepta, quorum materia non pendet ex dominio Dei; ita ut absoluto dominio Deus uti non possit ad materiam obligationis mutandam; quae praecepta ideo sint naturalia, in qualibet circumstantia obligantia. Adhaec non posse legem natnrae quo ad communia ejus mutari, aut ex cordibus hominum aboleri. Denique omnia praecepta decalogi, saltem tria primae tabulae praecepta non esse dispensabilia. Vide *Thomam* cum Thomistis, I. 2. *q.* 100. *art.* 8. (ubi nominatim,) *Cajetanus* 2. *qu.* 57. *art.* 2. & *q.* 94. *art.* 5. & 6. *Bonaventuram ad* I. *dist.* 47. *qu.* 4. in quem *commentar Petri Capulli*, *Scotum* cum Scotistis exhibet egregie explicatio *Rhadae in controversiis part.* 3. *controv.* 16. § 2. Ex recentioribus *Vasquez ad* I. 2. *disp.* 97. 3. & 179. 3. Quem citat & sequitur *Ferd. à Castro Palao in opere morali tract.* 3. *disp.* 6. *puncto* 3. §. 6. ubi de dispensatione legis circa exemplum Abrahami sic loquitur: *Supponendum est aliqua esse praecepta naturalia immutabilia, quaeque in qualibet circumstantiâ praecepta sunt. Haec censentur esse omnia illa, quorum materia non pendet ex dominio Dei, qualia sunt mentiri, falsos Deos colere, odio Deum habere.*

Alia

Alia vero sunt, quorum materia ex dominio Dei pendet: Haec, inquam, si Deus uti velit suo absoluto dominio, non obligabunt: quia mutabitur materia obligationis. Cum his faciunt omnes alii Scholastici exceptis *Occamo*, *Aliaco*, *Gersone*, *Almayno*. *Azorius* tam rigide in hanc partem contendit, ut non vereatur dicere, peccatum repugnare rectae rationi, etiam si nullus esset Deus. Quam solidè, hic non disquirimus. Accedant Theologi qui distinguunt cultum Dei in naturalem & institutum, ut *Amesius* & qui illi hanc distinctionem praeformarunt. Ad haec illi, qui asserunt Deum antecedenter ad liberum suum decretum sibi debitorem esse & ad aliquid teneri, cujus oppositum decernere nequeat. Sic Ursinus comment. ad Jesa. 3. v. 10. *Sibi enim ipsi tanquam summo* [pag. 371] *bono gratificari, & suo honori consulere Deus debet ex ordine justitiae suae: creaturis non debet, sed ex gratuitâ benevolentiâ dat beneficia, quaecunque dat. Maccovius tom.* 2. *disput. theologic. p.* 304. rectè statuit hominem semper obligari ad obedientiam: quae hypothesis non videtur convenire cum sententiâ adversâ, quam alibi ex professo defendit.

3. Sententiâ nostrâ satis jam firmata, restat adversam excutiamus, quae olim quaestione de dispensatione praeceptorum decalogi forte excidit uni atque alteri ex *Scholasticis* modo *cit.*; quamvis ad finem cum omnibus hypothesibus & consectariis non defenderint: sed nuper occasione disceptationis de fidei objecto, an possit esse falsum, huc delatus Theologus recentior (caetera ut orthodoxiae perquam studiosus, sic subtilis & perspicax) *D. Maccovius*, in *disputat.* nuper editis *ad decalogum* in 8. & cum eo doctiss. quidam ipsius discipulus ipso vivente & approbante in libello cui tit. *Vindiciae* &c. & altero cui tit. *Mantisa* &c. eam ex professo defendendam suscepit; confirmatione opinionis istius etiam accersita ex disputationibus hodiernis Antagonistarum Pelagianismi, inter quos eruditiss. *Twissus* & *Rhaetorfortis*, quorum ille in *defensione Perkinsi contra Arminium lib.* 2. *sect.* 5. *criminat.* 2. iste *exercitat.* 2. *contra Arminianos cap.* 3. defendunt, esse aliquid justum, qui Deus vult non contra Deum velle, quia justum est. Carptim idem axioma indicare videntur *Calvinus lib.* 3. *institut. cap.* 23. *Perkinsus in libello de Praedestinatione ex Alico*, *Polanus syntagm. lib.* 2. *cap.* 26. §. 4. Sed posteriores extra disputationem, & omnem adversae sententiae intuitum hoc dixisse, ac proinde per distinctionem additam facile dicta eorum cum nostris conciliari posse patebit ex solutionibus nostris mox subjiciendis. Quod ad *Twissum* & *Rhetorfortem*, non arbitror eos aliquid aliud voluisse, quam nullam extra Deum esse regulam, mensuram, rationem, causam Dei voluntate, aut Deo volente ac decernente priorem, à qua in liberis decretis (speciatim electionis & reprobationis) dependeat. Nullam etiam esse regulam, normam, rationem ac formam justitiae ultra & supra liberum beneplacitum & supremam, absolutam ac liberrimam Dei potestatem, quaerendam, ad quam Dei praeteritio, reprobatio, decretum non dandi gratiam & gloriam, sed peccatum permittendi aut hominem sibi permittendi & propter permissum peccatum damnandi ad gloriam justitiae suae, exigi debeat, aut unde à priori deduci à nobis possit: sed sufficere nobis, si certi simus ex verbo Dei de τῷ ὅτι, quod scilicet Deus apud se ab aeterno ita decreverit inter hominem & hominem: τὸ διότι vero, cur hunc elegerit, non esse ultra quaerendum; quia ejus causa quaeritur, cujus causa non est, ut loquitur *Augistinus*. Totum autem fundamentum hujus disceptationis contra Pelagianos in eo collocandum [pag. 372] est. Quod nihil sit antecedenter ad voluntatem Dei aut juris, aut attributi in Deo (sive justitia,

 sive

sive gratia, sive misericordia appelletur) secundum quod Deus debitor est & obligatur creaturae rationali, ad peccatum ipsius impediendum, & ad gratiam ac gloriam illi destinandam ac praeparandam, & in tempore conferendam. Unde necessario sequitur non esse de decretis illis Dei electione scil. & reprobatione comparativa quaerendum, an justa sint, an Deus sic potuerit decernere absque προσωποληψίας & absque laesione justitiae suae, quia falso contra *Roman.* 11. *vers.* 35. praesupponitur decreta illa Dei seu actiones Dei immanentes esse formaliter actus justitiae distributivae, sicut actus illi emanantes, quibus Deus justè suum cuique tribuit ex antecedente ipsius permissione, & foedere cum Christo & cum membris Christi in Christo initae *Hebr.* 6. 10. 2. *Thess.* 1. 6. 7. coll. cum *Rom.* 8. *vers.* 18. Hoc solum velle eruditiss. illos theologos indubium erit illi, qui scopum, filum & conclusionem totius disputationis penitius perspexerit. Et cum ipsi per Dei gratiam etiamnum superstites sint, poterunt data occasione declarare, an eo sua trahi velint, quo à recentioribus modo cit. trahuntur.

4. Accedamus nunc ad examen argumentorum. I. *Argum.* Si fluerunt aliqua praecepta ex natura Dei, tum voluntas Dei non esset prima regula justitia: sed posterius absurdum; quia omnium rerum ad exstra est regula. *Resp.* 1. Voluntas libera non est prima regula bonitatis, justitiae, & juris in Deo; nec in actionibus ad intra (quod adversae sententiae autores directè fatentur;) nec etiam in actionibus ad extra: quod alibi extra hanc disceptationem non diffitentur; in quaestione scilicet de necessitate poenae & satisfactionis pro peccato: ubi primam regulam in momento naturae & signo rationis, faciunt essentialem Dei justitiam punitivam, quam sequatur, & non possit non sequi Dei decretum, & ex decreto mandatum, ac comminatio; secundum quam Deus actu puniat. Ad haec in quaestione de adoratione Deo debitâ & tribuenda, quam Deus postulat à creatura rationali, ubi contra Socinianos, primum fundamentum statuunt, non Dei voluntatem signi, aut beneplaciti; sed adorabilitatem, seu excellentissimam & perfectissimam naturam Dei, quae ab aeterno in aeternum non potest non Deo competere, & secundum quam non libere antecedenter, sed liberè concomitanter Deus creaturae rationali officium adorandi decrevit praecipere & praescribere. Supra *Maccovium* citavimus docentem, creaturam rationalem necessario Deo obligari. *II. Arg.* Si aliquid esset bonum & justum antecedenter ad Dei voluntatem: tum Deus ex obligatione & officio illud velle & facere teneretur. Atqui hoc absurdum [pag. 373] Deus enim nullo modo officio aut obligationi morali subest. *Resp.* Deus non subest officio ulli morali ab extra, quia nemini debitor est, nullaque causa est extra Deum, quae illum possit obligari aut determinare. Sed ab intra obligare potest (ita loquar) non vero subesse: qui sibi ipsi est debitor, nec potest seipsum abnegare. Sic pater in divinis obligatur ad amandum filium, non potest enim non amare; filius obligatur ex necessitate naturae divinae ad operandum à patre, non potest enim non operari à patre, quotiescunque operatio extra Deum instituenda est. Sic etiam in actionib. ad extra, posito productam esse creaturam, Deus obligatur eam perpetua manutenentia sua ac continuo influxu conservare (quamdiu eam esse vult) insuper eandem tanquam primus motor movere, & gubernare ad suam gloriam *Prov.* 16. 4. *Rom.* 11. *vers. ult.* Hoc immutabiliter bonum & justum est, cujus oppositum velle non potest. III. *Arg.* Si quid esset intrinsecè justum & bonum ad beneplacitum Dei: tum necessario regularetur beneplacitum ad illud volendum. Ad Dei beneplacitum est prima regula, quae à nullo primo regulatur: alias non esset Deus infinitè justus & bonus

& bonus &c. *Resp.* Non potest Deus aliquid velleproducere in creatura, aut ei quid mandare ut faciat contra gloriam suam, & subjectionem atque obedientiam à creatura ipsi debitam, aut contra honorem filii Dei, aut contra honorem Sp. S. Non potest mandare aut velle mandare ut omnes ac singuli homines & angeli abnegent ac blasphement Filium ac Sp. S. eosque non honorent; sicut honorant patrem; imo abnegent, blasphement, odio habeant Deum unum & trinum, quod ad personas, attributa omnia & opera tum essentialia tum personalia; IV. *Argum.* Sequeretur dari bonum & justum, quod à primo & summa non flueret: Daretur enim effectus qui in primam causam resolvi non posset. *Resp.* Consequentia negatur: nullum ejus nexum video. Sed explicabunt sequentia. V. *Arg.* Si Deus quid velit, quia justum est; sequeretur Deum extra se & quod ad volitum & quod ad volitionem liberrimè non velle, sed necessario se creaturis communicaret: Sed hoc absurdum. *Resp.* 1. *Instantiam* damus, & quidem ex mente adversarii in quaest. de Justitia Dei punitiva, cujus egressus seu effectus est ad extra, & tamen ita necessarius, ut non possit fieri oppositus. De quo infra. 2. *Consequens* negatur. Deus necessitate absoluta non debet velle & producere e. gr. hunc hominem hunc canem: sed ex hypothesi, posito quod jam velit producere istum hominem puta Titium, non potest non producere eum secundum ideam suam, & secundum definitionem hominis; nec potest velle oppositum, hoc est, eum producere irrationalem, aut ubiquitisticum seu immensum, aut rationem illi dare sine omni synteresi, & conscientiā, aut eum producere tanquam [pag. 374] primum & supremum αὐτεξούσιον, Deo non subjectum, nec ab illo dependentem quod ad bonitatem naturalem & moralem, nec consequenter Deo collateralem. Sic posito quod Deus voluerit incarnationem & quidem libere; non potuit non assumere humanam naturam sine peccato: ne verificarentur horrendae illae propositiones, Deus est peccatur, Deus est damnatus. Quo tamen non negatur, Deum liberè suam bonitatem extra sese communicare, aut extra se operari. Rectè hic distinguit Cajetanus ad 1. 4. qu. 190. artic. 8. *Divina voluntas, licet sit simpliciter libera ad extra, tamen ex suppositione unius actus liberi potest necessitare ad alium, ut, si vult promittere absolutè, necessitatur ad implendum promissum, & si vult loqui aut revelare, necessariò debet revelare verum, si vult gubernare, non potest nisi justè gubernare, si vult habere subditos ratione utentes, non potest non esse legislator eorum.* Ibid. distinguit determinari non posse voluntatem divinam se ad volendum, ut aliquid sit vel non sit; sed bene determinari posse respectu complexorum; ad rectitudinem eorum, quae sunt, aut quae vult esse. 3. *Breviter* si hoc argumentum adversae sententiae absolute procedit, tum nulla erit repugnantia in terminis & poterit Deus extra se libere velle ac producere quaevis absolute impossibilia & implicantia: Quod absurdorum omnium praecipitium, quomodo salva hac consequentia evitari possit; velim ab aliquo doceri. Confer *disp.* proxime consequentem *de Potentiâ Dei.* VI. *Arg.* Sequeretur peccatum non esse ἀνομίαν, nec nunquam in legem peccari, quin peccatur in naturam & voluntatem Dei, quae erit instar legis primitivae. *Resp. Neg.* conseq. Peccatur ab homine immediatè in legem Dei revelatam, & simul peccatur mediatè ac consequenter in Deum autorem legis & supremum, qui legem fixit. *Psal.* 51. *vers.* 6. 1. *Sam.* 2. 25. *Daniel.* 9. 8. Et passim peccatores arguuntur quod contra Deum peccarunt. Cadunt ergo omnia quae argutantur, quod nihil opponatur Deo aut physicè, aut moraliter sed tantum effectus Dei. Frigus opponitur soli, effecto ignis, calori scilicet, immediatè; & nihilominus ipsi igni mediatè

diatè scil. seu consequenter. Quae distincta nota & frequentata est tyronibus dialecticis in cap. de praedicamenta substantiae. VII. *Argum.* Omnium bonarum & malarum actionum norma est lex: nam nisi Deus eam nobis revelasset ac tulisset, nesciremus discrimen inter bonum & malum morale, nec etiam peccaremus, sed omnes actiones essent indifferentes: ergo nihil est bonum, nihil justum, nullum jus antecedenter ad Dei legem. *Resp.* Consequentia negatur. Quod ad nos & cognitionem nostram, seu à parte nostra, & quod ad jus obediendi nullum est jus, nullum justum, nulla forma aut ratio justitiae seu bonitatis moralis ante nostri existentiam, & rectae rationis, syntereseos, [pag. 375] legis divinae cujuscunque actualem communicationem ac revelationem: est tamen aliqua bonitas, rectitudo, justitia, ante legem revelatam quod ad Deum seu à parte Dei & quod ad jus divinum obligandi & imperandi, habendi quid à creatura rationali, aut in ea, per eam circa eam quid agendi. Talis bonitas, rectitudo, justitia, tale jus antecedit ordine naturae immo & tempore omnem actualem legis revelationem, quae fit huic aut illi homini. Antecedit etiam in signo rationis in ordine ad Deum & in ipso Deo quod ad aliquam partem adjecti seu materiae legum divinarum, antecedit, inquam, ipsum decretum Dei. *Deinde* conferri huc potest distinctio Scholastic. apud *Becanum in Theolog. Scholast. p.* 156. edit. in 8. lex aeterna est remota seu mediata regula humanorum actuum: recta ratio est proxima. *Denique*, si hoc argumentum procederet, tum aequè deberet negari antecedens Dei decretum, ac antecedens jus divinum naturale. Si enim primo & postremo per se & absolute omnis rectitudo & bonitas à creaturis debita, tantum procedit & pendet à lege Dei actu revelata: ergo nulla dabitur bonitas & rectitudo in actibus voluntatis divinae internis, seu in decretis Dei. VIII. *Arg.* Deus simpliciter ad omnia extra se est exlex: & sicut à naturâ suâ non astringebatur, ut praecepta sua daret hominibus; ita ab eâdem astringi noluit, ut haec vel illa, talia vel non talia daret. *Resp.* I. Est exlex à lege, quam figit homini, formaliter scilicet sumendo legem ut lex est; sed non est liber & absolutus ab omni materia seu contento legis, ut oppositum ejus possit aut praecipere; aut ipse facere ex. gr. ut credat se non esse Deum, & aliis mandet hoc credere, opposite scil. ad primum decalogi praeceptum. 2. Ex hypothesi, cum & quando vult praecepta dare, necessario dat bona & justa: nec in genere potest facere aut velle oppositum. 3. In specie etiam nonnulla dat justa antecedenter ad liberam voluntatem suam, quippe ad quae *necessario terminetur*, desumta scilicet, *ex intrinsecâ natura & bonitate suâ:* ut loquitur *Radaloco* supra *cit.* Qualia sunt in primo Decalogi praecepto. Ut homines cognoscant verum Deum patrem, filium Spir. Sanct.; ut eum ament, honorent, ei obediant, & se subjiciant; è contra, ut angelum bonum aut malum, aut hominem quem, aut solem, aut lunam, aut arborem, aut lapidem &c. non habeant pro uno solo vero Deo, nec ut Deum religiosè colant. IX. *Argum.* Si Deus legem ferret necessitate naturae, sequeretur eum non posse non eadem semper jubere & vetare, quae jubet & vetat. Quod absurdum esse patet ex immolatione Isaac, & spoliatione Aegyptiorum. *Resp.* Distinximus in *disp.* nostrâ *de Jure & justitia Dei;* multa esse quae Deus aliter potuisset velle & mandare, non tamen omnia. X. *Argum.* Si antecedenter quid bonum ad voluntatem [pag. 376] Dei, sequentur quid prius esse voluntate Dei, & dari aliquid bonum independenter à voluntate Dei, & consequenter voluntatem esse dependentem. *Resp.* Non est absurdum, si dicatur Deum dependere à seipso: siquidem

τὸ

τὸ *dependere* & τὸ *prius* θεοπρεπῶς accipiatur, in signo scilicet rationis, absque compositione in Deo, aut distinctione reali. Sic scientia indefinita possibilium, item ideae divinae (quae non sunt ad intra, nec terminantur in Deo, sed dicunt respectum ad aliud quid extra Deum) sunt antecedenter ante voluntatem & decretum Dei. Quin imo omnia attributa primi generis, ut & intellectus habent se antecedenter ad Dei voluntatem. Sufficit ergo evitari hoc absurdum, quo statueretur dependere Deum ab aliquo extra se, aut proponi ac revelari nobis à Deo aliquod bonum independenter à voluntate Dei: independenter dico quod ad revelationem & mandatum. Nam potest esse quaedam ratio boni & recti in ordine ad hominem, quae antecedat voluntatem Dei in signo rationis. XI. *Arg.* Si Deus potest permittere blasphemiam, odium sui &c. ergo potest praecipere. *Resp. Neg. consequens.* Pari ratione quis inferat: Si Deus potest ἀνομίαν qua talem seu peccatum quodque permittere, ergo & facere. Nam τὸ praecipere dicit agentem, actionem, & efficientiam moralem. Posset ergo esse autor peccati. Urgetur porro hoc *arg.*: quod multo minus repugnet Deo mandatum blasphemiae, quam permissio; quia praeceptum est externum quid, voluntas permissiva est internum & essentiale Dei attributum. *Resp.* 1. Sed haec aut illa actualis permissio, & terminatio voluntatis permissivae non est Deo intrinseca & essentialis magis, quam mandatum Dei. Aeque enim libere aliquid permittit ac mandat. 2. Posset quis eodem modo argumentari, facere peccatum minus repugnat Deo, quam voluntas permissiva peccati: quia illud est externum quid, hoc vero essentiale Dei attributum. Ubi hanc consequentiam dissolverit opponens, videbit & suam eadem opera solutam. XII. *Arg.* Lege, ejusque promulgatione sublatâ nullum potest esse discrimen justi & injusti: Ergo blasphemia non est peccatum, nisi ex hypothesi legis prohibentis. *Resp.* Discrimen nullum est boni & mali apud hominem seu quod ad cognitionem hominis, cui lex lata revelata non sit: est tamen apud Deum. Ubi nulla est recta ratio in homine, immo ubi nullus homo, ibi nullum discrimen, boni aut mali, immo nec veri & falsi. Sed inde non sequitur apud Deum non esse; qui est prima recta ratio, prima & suprema veritas & bonitas. Immo potius sequitur verum & bonum eorumque discrimen à falso & malo, omnem revelationem & legem ordine naturae praecedere, quatenus scil. sunt objectum legis & revelationis? non vero per ea demum constitui. Quasi quis dicat, bis [pag. 377] duo esse quatuor, totum esse majus suâ parte, Nihil simul posse esse & non esse, bonum non esse malum, Deum esse honorandum, aliaque axiomata aeternae veritatis tam practica quam dogmatica, esse indifferentia ad veritatem & falsitatem usque ad revelationem huic aut illi homini factam. Analogicè huc applicari potest distinctio de futurorum contingentium determinata veritate. De qua in *dissertatione* nostra *de Termino vitae.* Atque haec quidem argumenta, quae pro adversâ sententia adferri solent. Exceptiones ad nostra argumenta sequenti parte perstringemus.

COROLLARIA AFFINIA.

1. *An jus forense Mosaicum immediatè divinum & à Deo traditum, ac proinde sapientissimè constitutum nullibi repugnans juri naturali, aut divino morali seu perpetuo; in omnibus Rebuspublicis Christianis habeat, aut saltem habere debeat vim legis?* Resp. Neg. *de communi theologorum consensu.*

2. *An*

2. *An prae jure Romano, quod nos communiter & in omnibus obtinet, ubi* **scil.** *per specialia & propria statuta non abrogatur, quodque naevis suis non carere dicitur (dato hoc, inquam, non concesso, neque enim hoc ager noster est,) vim legis habere debeat?* Neg.

3. *An ad minimum obtineat aut perpetuò obtinere debeat vim legis in judiciis criminalibus aut saltem in poenis capitalibus, uti disputat* Piscator in praefat. ad comment. in Leviticum; *quem nonnulli sequuntur, inter quos* Zepperus in explic. legum Forensium Mosis, *&* Maccovius in disput. Theolog. tom. 2. *seu* locor. commun. disp. 14. Resp. Neg.

4. *An opinio, quae vel in totum vel ex parte jus hoc forense vim legis perpetuae & communis ubique obtinere velit, satis conveniat cum doctrina de statu populi sub Nov. Testam. & de libertate Christiana?* Neg.

5. *An non dici possit vim legis habere; quia & quatenus judicia tribunalium nostrorum in his aut illis causis, quod ad materiam & rem ipsam, cum eo conveniunt, aut etiam libere modulum & exemplum ejus subinde sequuntur, atque ad illud pro arbitrio suo sententias suas efformant?* Resp. *Si quis cum ita loquitur, nihil aliud intelligi velit; ab errore contra theologiam de libertate Christiana se quidem liberat, non tamen ab ἀκυρολογίᾳ seu locutione admodum impropria & catachrestica, ne dicam à contradictione.*

6. *An dici possit, vim legis habere, quando & quatenus haec aut ista Respublica partem aliquam aut leges aliquot ex eo decerpit & pro lege sancit, quae contineant aut meram repetitionem & applicationem juris naturalis & divini moralis, aut talem determinationem, quae cum jure divino & naturali non tantum conveniat, sed etiam praesenti statui & regimini istius populi maximè accommodata judicetur?* [*pag.* 378] Resp. *Idem, quod supra. Non magis enim sub isto formuli Jus Mosaicum vim legis habet, quam Jus Anglicanum, Norwegicum, Russicum, Persicum, Turcicum &c. nec non dicta philosophorum, responsa & consilia prudentum sive Jurisconsultorum sive Theologorum & Casuistarum, imprimis synodorum, aut facultatum theologicarum, ad haec decisiones Rotarum Neapolit., Romanae &c. Arresta curiarum, Pariensis, Theolosanae &c. camerae Spirensis &c. ubicunque cum jure divino & naturalis probe consentiunt, aut moribus & statui nostro prae aliis juribus accomodatissima judicantur.*

7. *An ergo paris autoritatis sit quodcunque jus extraneum, quod vim legis apud nos non habet, cum jure Mosaico?* Resp. *Matereal iter seu in genere doctrinae & disciplinae & consequenter, in genere moduli ac exempli, ad quod aut identicè aut analogicè leges condi possint.* Neg. *est enim divinae perfectionis & autoritatis. Sed in genere legis quà talis seu formaliter ita dictae.* Aff. *Neque enim Deus positive magis praescripsit e. gr. Reipublicae nostrae, Jus Mosaicum, quam Anglicanum, aut Norwegicum.*

8. *An praejudicium adferatur libertati, & potestati, Reip., ubi obtinet Jus Romanum, aut Anglicanum, aut quodcunque aliud sapienter constitutum, & moribus istius populi accomodatissimum: si instar dogmatis theologici & casus conscientiae defendatur, Jus forense Mosaicum perpetuo habere, aut debere habere vim legis?* Aff.

9. *An quia ICC. nostri eximiam, aut saltem aliquam cognitionem sibi acquirere debent Juris forensis Mosaici, illudque in consiliis aliquando suis allegant, & quia tribunalia nostra conformiter illi juri judicant, quotiescunque ita usu venerit, quia denique Respublica partem aut partes ejus aliquot in legem sancit, aut sancire potest, an, inquam,*

inquam, hoc ipso dici non debeat habere vim legis juxta cum recepto Jure Romano, & statutis propriis? Neg. *nisi improprie & catachresticè.*

10. *An ex eodem fundamento negari possit Jus forense Mosaicum in N. T. abrogatum esse, quippe adhuc oblinens vim legis, & consequenter Theologos hactenus male in hac abrogatione constituisse partem libertatis Christanae?* Neg.

11. *An ex eodem fundamento sequatur ICC. nostros eaque proprie ornandos esse titulo Doctorum Juris Mosaici, ac civilis Romani, non minus quam olim V. T. inter Levitas dicti* γραμματεῖς καὶ νομικοὶ 1. Scribae & Legisperiti, *qui proprie juris istius Mosaici consulti, interpretes & Doctores erant, ac secundum illud consulebant & determinabant?* Neg *Vt enim rei veritati non conveniret, ita etiam praejudicaret aliquantum doctrinae theologicae de abrogatione legis mosaicae, & de libertate Christiana.*

12. *An titulis Doctorum Theologiae dicat & in se complectatur Juris forensis Mosaici doctorem?* Resp. *quatenus cognoscit & docet Theologus τὸ historicum, & τὸ dogmaticum seu doctrinale illa parte sacri codicis comprehensum, Aff. ut* [pag. 379] *etiam de jure ceremoniali. Non vero quatenus observationem ejus tanquam legis obligantis conscientiis hominem applicat & imponit, ac secundum illud in foro conscientiae judicat, casus conscientiae determinat, consilia scribit. Sic enim solius Juris divini moralis Doctor est.*

Sed haec applicata ad distinctionem cum & sub quâ nostri hodie dici possint aut debeant Doctores juris canonici, ex professo & pluribus persequimur in *disp. de Jure canonico ;* & forte in *disp. de Legibus divinis & humanis.*

APPENDICIS AD DISPUTATIONEM THEOLOGICAM

DE JURE ET JUSTITIA DEI

PARS SECUNDA [1]).

Ad argumenta, & solutionis priori parte à nobis productas istae exceptiones & instantiae ab amico submissae sunt; quae, nisi solide & perspicue diluantur, obstare dicuntur, quo minus in sententiam nostram hactenus descendat, qui contrarium defendit. Hoc ergo agamus.

Instant. 1. *Si Deus res aliquas extra se sic & non alio modo necessario vult, idque propter illarum bonitatem vel malitiam intrinsecam, jam voluntas Dei esset regulatum, at voluntas Dei nunquam est regulatum, sed semper regulans. Quia regulans & regulatum necessario realiter differunt, hoc est tanquam causa & effectum.* At in Deo nihil sic Differt. *Resp.* 1. Ad argumenti majorem, distinguendam esse bonitatem creaturae sic ipsi intrinsecam, ut non dependeat à Deo; sed Deus ab ipsâ. Haec sic innuitur, conceditur totum argumentum quia nihil contra nos. Sed si intelligitur bonitas in actibus Dei circa creaturam, & in ipsâ creaturâ formaliter inhaerens & effectivè seu principiativè à Deo dependens: jam distinguimus regulatum in illud, quod proprié dicitur tale: & in id, quod analogicè. Posteriori modo si accipiatur, *negamus* minorem Est enim in Deo lex aeterna: uti docetur ab omnibus Theologis: nominatim à *Scholasticis ad* 1.2. *qu.*93. *artic.* 1. cui

[1]) *Resp.* M. Andrea Lansman Amstelod. *Ad diem* 29. *Mart.* 1644.

1. cui non subjicitur divina essentia, quia est ipsa lex. *Ibid artic.* 4. Est etiam in Deo idea, quae habet rationem, artis, & exemplaris, & principii operationum Dei ad extra: uti docent *Scholastici ad* 1. *qu.* 15. *artic.* 1. 2. 3. & nostri theologi cum ipsis: quorum aliquos indicamus in *disp. de scientiâ Dei.* Si ergo volitionis divinae & legum, quas fert creaturis, & operationum externarum circa creaturam, aliqua regula, norma, lex, Principium in Deo ponatur θεοπρεπῶς [pag. 380] acceptum, utique minime evertit Dei essentiam & voluntatem primam indepedentem, ἄναρχον. Hoc ipsum 1. *part.* hujus *disp. thesi.* 4. ex *Cajetano* ostendimus. Et docent communiter theologi nostri cum Scholasticis, ubi disputant voluntatis divinae causam esse voluntatem divinam, in ordine scilicet ad volita, & quod ad attingentiam passivam. 11. Ad *priorem* probationem minoris *respond.* voluntas mandati proprie à Theologis dicitur regulare nostram voluntatem nostrasque actiones & in ordine ad nos, & sic nullo modo regulatur. Sed ideo non repugnat, eandem comparatam cum voluntate beneplaciti, cujus effectum est, regulari ab eâ tanquam norma. Rursum voluntas beneplaciti seu decreta Dei sunt regula mandati, immo & omnium externorum Dei operum: nec tamen repugnat volitiones & decreta illa regulari (θεοπρεπῶς hoc intellige) à prima & perfectissima Dei essentia per varia attributa, primitatem scil., simplicitatem, immutabilitatem, aeternitatem &c. nobis in verbo Dei manifestata ac descripta: ita ut secundum illam & non aliter Deus velit & decernat, quidquid velle aut decernere potest de creaturis, & circa creaturas. *Ad posteriorem* prob. *R.* Omne regulans à suo regulato realiter differre tanquam causam & effectum, *Neg.* In divinis operatio patris ad extra, est regula & exemplar operationis Filii *Joh.* 5. *v.* 17. 19. Nec tamen hujus operatio ab illius realiter differt, tanquam causa ab effectu. Quin & persona patris est exemplar & filii est εἰκὼν *Col.* 1. & hic illius est character *Hebr.* 1. Non tamen sequitur hic esse causam & effectum: quamvis non negemus revera differre. Rursum potentia generandi in patre est principium quo, seu secundum quod generat filium: nec tamen τὸ genetare à potentia generandi realiter differt tanquam effectum à causa. Spiritus sanctus sumit à filio, & ab illo revelat ac loquitur *Joh.* 16. *v.* 13. 14. 15. Nec tamen locum hic habet causa & effectus. Egressus & actus attributorum secundi generis (puta scientiae, voluntatis, justitiae, misericordiae, veracitatis, potentiae) circa creaturas, regulantur secundum modulum & perfectionem attributorum primi generis: ita ut Deus simplicitur, independenter, immutabiliter intelligat aut velit. Nec tamen attributa primi & secundi generis inter se differunt realiter. II. Instantia *haec firmatur sequenti* Except. *seu* Prolepsi: *Nec responderi potest, Deum esse sui ipsius regulam. Praeterquam enim quod phrasis insolens sit: Deus Deum regulat. hoc accedit, quod hic quaestio sit, non an aliquid in Deo sit, quod Deum regulet, sed an aliquid extra Deum tale sit. Ideo frustra respondebitur quod momenta & signa rationis posse admitti in Deo regulans & regulatum. Quaeritur enim hic de regulante extrinseco non intrinseco. Item, si dicetur, illud extrinsecum (v. gr. justè jurare &c.) pendere à natura Dei, tum respondemus hoc esse totum, quod negatur, adeoque esse petitionem principii. Resp.* I. Non est phrasis tam insolens: si cum illa complures alias compares [pag. 381] quae in scriptura occurrunt, quas θεοπρεπῶς accipiendas novimus. Ut cum Deus dicitur judicari *Rom.* 3. secum quasi luctari & contendere *Hosea.* 11. deliberare & consulere *Ephes.* 2. 2. *Reg.* 22. Cum jurat per seipsum & per animam suam *Hebr.* 6. ubi distinguimus aliquo modo (minime tamen realiter) jurantem, & eum per quem jurat

jurat. Sic Deus movens à quiescente, evigilans à dormiente distinguitur; misericors à justo miserans & parcens à puniente & affligente, judex ab absoluto & supremo domino. Ne quid dicam de phrasibus illis, quibus Deus dicitur esse à seipso, operari seu producere aliquid à seipso, & quod filius sit Deus de Deo, lumen de lumine. II. Falso praesupponitur & sumitur, quaestionem hic non esse, an Deus reguletur, mensuretur, aut determinetur ab aliquo extrinseco. Quia utrique hoc strenuè negamus. Quod si quaestionem mihi proponat, respondebo negando: & in *priori parte disp.* satis perspicuè respondi. Ac propterea non frustra respondi, Quo ad momenta & signa rationis posse admitti in Deo regulans in regulatum. III. Sed urget necessario ad extrinsecum aliquod regulans admittendum nos compelli, quia ipse neget extrinsecum illud in creaturis aut circa creaturas, pendere à natura Dei, adeoque esse petitionem principii, cum nos hoc affirmamus. *Resp.* Eodem halitu omnia attributa divina, quae respectùm dicunt ad creaturas neganda essent; totaque doctrina philosophica & theologica de implicatione contradictionis, deque simpliciter & absolutè impossibili subvertenda esset. Fons erroris est, quod quae ab intra sunt, quamvis in ordine & cum respectu aliquo ad extra, quaeque ab ipsa natura atque attributis Dei dependent proximè atque immediatè, quo minus ea aliter quam sic operari aut facere possit; putantur esse ab extra, atque inde proximè atque immediatè dependere: quia scil. dicunt seu involvunt respectum ad extra atque inde denominationem aliquam extrinsecam recipiunt. Deinde, quod perperam putatur, quidquid extra Deum habet rationem termini, aut objecti esse causam aut antecedens aliquod à quo Deus pendeat tanquam posterius à priori, determinabile à determinante, regulatum à regula, effectum à causa, passivum ab activo. Prior falsa hypothesis, seu falsum lemma eliditur ab omnibus locorum communium scriptoribus, & Metaphysicis, cum dicunt tale vel tale quid repugnans in terminis & contradictorium non posse à Deo fieri, quia scil. repugnat naturae veritati, bonitati & perfectioni divinae in lumine naturae & scripturae nobis revelatae. Neque enim potest Deus operando extra se, abnegare seipsum. Sed exemplis de quibus inter nos convenit, rem declaremus. Non potest producere humanam naturam infinitam aut alium quem Deum, aut creaturam moraliter malam aut motum seu praemotionem in [pag. 382] creatura rationali ad peccatum quà tale; non potest accidens conservare sine suâ substantia, nec factum infectum reddere, nec mutare aliquid in praeexistens; non potest voluntatem hominis sic movere & cum eâ sic concurrere, ut in eliciendam actione suâ vim patiatur aut violentetur (de quo operosè *Vasqu. ad.* 1. 2. *disp.* 26. & *I. Alphons. Curtel in lecturis ad* 1. 2. *q.* 6. *art.* 4.) Hic passivè in objecto & termino ad quem, seu à parte creaturae, seu rei producibilis, in quâ formaliter est, si possibilitas effectus quaesiti consideretur, dicitur esse repugnantia in terminis: sin vero activè seu principiativè in termino à quo seu à parte Dei productivi aut productoris possibilitatis ejusdem rei seu effectus quaesiti consideretur, dicitur repugnare naturae & perfectioni divinae: & hoc est in quod ultimo resolvitur & reducitur impossibilitas rerum, quippe primam radicem, rationem & memsuram omnis possibilitatis rerum, guippe primam radicem, rationem & memsuram omnis possibilitatis producendi activè, cui consequenter respondet possibilitas aut impossibilitas productionis, passivè, atque adeo possibilis existentiae rerum. Haec doctrina constans, atque apud omnes in confesso: quam cum hic praesupponimus, alibi & suo loco à nobis explicatam & probatam in *disp. de Potentia*

tentia Dei part. 1. *in fine* & *part.* 2. *in principio*, & ab autoribus ibi citatis, minime petimus principium; sed potius negantes, si pergant, dicendi essent negare principia communis philosophiae & theologiae, quae hactenus utrinque in confesso fuere. Nihil autem refert, quod non secundum nostrum concipiendi modum & κατ' ἀνάλυσιν prius subinde intelligimus ad extra in termino à quo seu in objecto, repugnantiam & contradictionem, hoc enim est à posteriori colligere & venari, quid sit simpliciter possibile, quid non. Est tamen secundum ordinem naturae à priori & κατὰ σύνθεσιν accersenda ex ipsâ Dei naturâ, tanquam primâ ac propriâ radice & principio effectivo ut contingentiae aut necessitatis, sic etiam omnis possibilitatis in creaturis, & consequenter, indirectè seu per oppositum, omnis impossibilitatis. Absolutè enim & in genere actus natura prior est potentia, & potentia activa prior est potentiâ passivâ, atque haec ex illa resultat. Sic Dei natura & perfectio est prior quocunque alio extra Deum, sive possibili sive futuro, & quibuscunque rerum modis & affectionibus. *Posterior falsa* hypothesis, seu falsum lemma est, perfectionem Dei ab intra, cum respectu ad extra ad aliquid futurum aut possibile, non posse ad illud referri, immo non posse relationem illam rationis seu denominationem extrinsecam admittere, nisi una dependeat ab illo extrinseco tanquam priori principio, aut causa, aut mensura & regula determinante. Quod figmentum absurdissimum est, & plane ἀνακόλουθον. Vitam aeternam à Deo promissam accipiunt singuli fideles propter Christum; & est oppositum hypotheticè [pag. 383] impossibile ut fiat, aut ut Deus illud velit ac faciat. Non tamen dependet Deus ab aliquo extrinseco, verbo scilicet promissionis, aut homine fideli, aut vita aeternâ promissa: sed tantum à seipso (ita loquar): hic enim & non alibi est radix ac fundamentum impossibilitatis *Heb.* 6. 18. 2. *Tim.* 2 13. Quod peccatum hominis non potuerit expiari sine satisfactione, dependet a justitia Dei punitiva, non contra. Quod futurorum contingentium sit determinata veritas, dependet à voluntate & scientia Dei non contra. Quod potuerit mundus ex nihilo produci, dependet à potentia creativa Dei; non contra. Quod homo sit sublex Deo & teneatur Deo obedire quidquid ipsi mandaverit, nec possit esse αὐτεξούσιος, dependet à suprema potestate, & absoluto Dei Dominio; non contra Quod creatura non possit non dependere à Deo, dependet à Dei primitate & perfectione; non contra. Veritas principiorum theoreticorum & practicorum, quae homini naturaliter insita, dependet à Deo tanquam prima veritate; non contra. Promissionis impletio in creaturis, aut circa eas dependet à Dei veracitate & perfectione *Heb.* 6. *Rom.* 3.; non contra. Nullum ens potest esse metaphysicè seu natura sua malum: cujus impossibilitatis prima radix invenitur in natura Dei, & inde dependet; non contra. Et sic in omnibus aliis potentia Dei per prius refertur ad possibilia, & haec ab illa resultant ac dependent; non contra: quamvis relatione seu habitudine transcendentali ad se invicem referantur. Habent ergo possibilia in terminis, in ordine ad Deum ejusque potentiam, rationem correlati termini, aut objecti, non causae, aut principii, aut regulae; & sic indirectè seu per oppositum & negativè habent impossibilia & repugnantia in terminis rationem quasi correlati sive termini sive objecti, siquidem ad potentiam Dei comparentur. Uno verbo sunt ab intra & ex parte divinae naturae & potentiae impossibilia, sed relatè ad extra seu in ordine & cum respectu ad aliud quid, quod non est Deus. Deus alius praeter & extra verum Deum est incompossibilis, nec potest esse nec potest produci. Et tamen Deus non redditur dependens, si dicamus

camus Deum non posse velle talis Dei existentiam aut productionem; nec petitur principium cum hoc asseritur. Si quis enim tam absurdus sit, qui neget esse repugnantiam in terminis; aut Deum hoc non posse, eum ex natura & attributis divinis evidenter refutabimus, & ad absurdum deducemus.

2. III. Instant. *Deum ad falsum credendum item ad impossibile posse obligare. ut Abrahamum, item Jesaiam praedicentem Hiskiae mortem, Jonam praedicentem exidium Ninive, plenius discutiendum esset. Resp.* I. Ad exemplum Abrahami respondemus, illud minime, comparatum esse ad illud λίαν μέγα ζήτημα [pag. 384] & paradoxon invita omni sanâ Theologiâ astruendum: *Fidei divinae posse subesse falsum, & Deum posse alicui mandare ut credat falsum.* Nota est distinctio voluntatis Dei in beneplaciti, & mandati; quae cum utrinque in confesso sit, non est quod hic ex elementis locorum communium probationem ejus recoquamus, aut ad rancidas objectiones Pelagianorum operose respondeamus. Ut verbo absolvam, Negatur Deum Abrahamo praescripsisse ut crederet mortem filii, seu effectum & complementum mactationis. Neutram contradictionis partem; An morte ista violenta Isaacus periturus esset nec ne illi revelavit, nedum ut credendam praeceperit: hactenus enim erat illi voluntas Dei occulta, & non revelata. Contrarium ex textu ne minima quidem specie probabitur. Credebat Abrahamus, Deum per Isaacum (sive in vita servandum, sive ex mortuis suscitandum: utrumque enim erat possibile) propagaturum gentem magnam & inde tandem oriundum Messiam. Nec minus credere debebat, Deum sibi mandare, ut illum Isaacum mactaret, seque obligari ad obedientiam; prout etiam de facto obedientiam hactenus praestabat, ut filium suum decreto & voluntate sua offerret *Hebr.* 11. *v.* 17. Sed de hoc forte alibi, aut infra in problematis paulo fusius disputandum erit. Scholastici varias hic adferunt distinctiones, ut argumento huic satisfaciant: sed non putamus hanc esse simplicissimam & tutissimam. II. Illud de Hiskia & Jona satis explicuimus in *dissert. de Termino vitae.* III. An Deus possit hominem obligare ad impossibile, frustra huc adfertur. Sive enim affirmetur sive negetur; nihil facit ad probandam antithesin, quod Deus possit mandare sui odium, blasphemiam, & quodcunque aliud peccatum contra primum & tertium decalogi praeceptum. Sed forte infra in progressu ζήτημα hoc attingemus.

3. IV. Instant. *Deum sine demerito posse affligere innocentem creaturam.* At vero innocentem afflgere est res intrinsecam malitiam habens &c. *Resp.* 1. Quaestio erat an Deus salva sua natura & absque implicatione contradictionis possit velle & praecipere odium sui, blasphemiam, & quaelibet horrenda peccata contra primam decalogi tabulam, quorum aliqua *priori parte* hujus *disp.* recensuimus. Pro affirmativa adfertur hoc argumentum, quia potest aliquid habens intrinsecam malitia affligere scilicet creaturam innocentem. Sed *Neg.* consequentia, Non enim sequitur, à malo tristi seu λυπηρῷ an malum turpe seu culpae, Deus potest affligere, ergo potest peccare aut velle homini praecipere peccatum. Potest esse autor & causa mali tristis: ergo etiam mali turpis sive physica sive moralis sic ut ipse illud faciat, aut alteri praecipiat facere. II. Quod si dicat, statui & solidè probari à se & à Scholasticis ac recentioribus nonnullis, Deum [pag. 385] sine peccato & abnegatione sui ipsius posse etiam in aeternum cruciatibus infernalibus affligere creaturam innocentem: jam una statuit voluntatem in executionem illam Dei, nullam habere intrinsecam malitiam respectu Dei, quod non repugnet supremae, absolutae & liberrimae lumine

naturae potestati ac Domini Dei, sed optimè cum iis conveniat, prout illa nobis ex lumine naturae & scripturae patescunt. Unde ergo & cur hic fingitur in actu illo Dei intrinseca malitia? cum sive data sive consessa hac hypothesi (de qua non est hic disputandi locus) Dei optimè & justissimè hoc faciat, non quidem jure judicii tanquam judex secundum justitiam vindicantem, sed tanquam absolutus Dominus jure dominii secundum justitiam seu bonitatem dominantem. III. Quod si dicere malit. esse intrinsecam malitiam respectu hominis in tali actu, quo affligeret innocentem; eum tamen actum homini à Deo praecipi posse. *Resp.* Negari ergo actum ejusmodi ita intrinsece malum esse, ut nunquam possit honestari. Ordinariò enim praecipitur Medicis & chirurgis, ut urant, secent &c. & ex vi & conscientia vocationis affligant quosvis innocentes, qui modo opera ipsorum indigent. Extraordinario praecepit Deus Abrahamo ut filium innocentem mactaret, & recte ac pie fecit Abrahamus cum hoc voluntate sua ageret *Hebr.* 11. *v.* 17 Peccatum hic aberat, quia Deus qui erat supra leg m, *Non occides*, ex plenitudine potestatis absque ulla repugnantia naturae, bonitatis, & potestatis suae creaturam in ordine ad se & universaliter nocentem ac mortis debitorem (*Gen.* 3. cum *Rom.* 5. quamvis in ordine & Abrahamum & in particulari innocentem subjecit potestati Abrahami: legemque illi tulit peculiarem, quae erat quasi exceptio à lege communi, *Non occides innocentem.* Nulla ergo hic fuit malitia moralis, quam Deus praeceperit, quia nulla erat lex, quae Abrahamo hoc prohiberet. Similiter judicandum est de facto Pinehas *Psalm.* 106. Eliae 2. *Reg.* 1. Elizaci 2. *Reg.* 2. Israelitarum cherem in Cananitas exequentium, omnesque ipsorum agros sibi vindicantium. Vide *disp. de jure & justitiâ Dei.* Sed quin haec faciunt ad odium Dei, inobedientiam, & quaevis peccata erga cultum & subjectionem Dei naturalem, quae volunt à Deo posse praecipi.

4. V. Instant. *Eodem modo se habere voluntatem Dei ad volita, ut intellectum ad scibilia. Ratio est, quia si intellectus divinus ideo non dicitur res intelligere quia sunt, sed esse eas, quia intelliguntur: quia alias intellectus divinus esset mensuratum. Ergo tidam voluntas, si volet res aliquas, quia sunt bonae, erit mensurata à rebus, & per consequens posterior rebus quia mensuratum est posterius mensura. Resp.* 1. Argumentum tale est: Voluntas divina est mensura rerum, & non [pag. 386] mensuratur à rebus: ergo nullas res vult Deus, quia bonae sunt, sed bonae sunt, quia vult. Probatur antecedens à pari: Quia intellectus intelligit res, non quia sunt &c. posset concedi to'um argumentum, cum probatione. Nihil enim contra nos: Neque enim nos dicimus, Dei voluntati praesupponi aliquam entitatem, aut bonitatem, aut veritatem in creaturis, quae non sit & dependeat à Deo. Sed dices, sequitur ergo, odium Dei, blasphemiam, inobedientiam in genere & in specie &c. posse decerni à Deo, & secundum illud decretum in tempore homini praecipi, atque ab homine justè & benè praestari. *Resp.* Negatur sequi: non magis, quam sequitur, Ergo Deum posse in rebus creatis formaliter intelligere, & posse velle intelligere, omnia falsa, & contradictoria, e. gr. Duo & unum sunt quatuor, bis duo non sunt quatuor, quatuor & tres planetae non sunt septem, unum luminare magnum & unum luminare magnum non sunt duo luminaria magna, pars est major toto, pars mundi toto mundo, terrae tota terra, corrupta est virgo, factum est infectum, humana natura est & potest esse infinita, omnipotens &c. & defacto sic fuit in Christo, corpus est aut potest esse sine quantitate, accidens sine suo subjecto, peccatum originale in homine est aut potest esse substantia, quadratum est rotundum, par est impar, homo est lapis, aut lupus propriè

propriè dictus, equus est rationalis, voluntas violentatur aut potest violentari, & similia infinita. Et omnia haec tum non erunt falsa, sed vera: alioquin scil. Dei voluntas & intellectus essent mensuratum, & veritas in rebus esset mensura mensurans. Hoc syrma absurdorum consequentium si praescindere quis velit, necesse est dimittat absurdum illud & πρῶτον ψεῦδος, unde illa necessario sequuntur. II. Omnis veritatis & γνωστοῦ, sive theoretici & practici quod ad nos, seu respectu cognitionis nostrae causa & mensura est revelatio Dei naturalis aut supernaturalis, ita ut mihi hoc verum sit, quia Deus ita revelavit, non vero quia mihi verum sit aut fuerit ideo ita & non aliter revelaverit: est enim prima veritas revelans causa, principium & mensura omnis veritatis & cognitionis in homine, non contra. Nec tamen sequitur veritatis absolutè & in se consideratae primam radicem ac principium esse quaerendum in revelatione divina; hoc est in lumine naturali, aut in sacra scriptura: nam hinc sequeretur Deum summam ac primam veritatem, mensurari & dependere ab effectu & opere aliquo suo externo. Distingue ergo in Dei revelatione independentiam & prioritatem, quod ad nos, seu res aliquas extra Deum: & dependentiam ac posterioritatem (in signo scil. rationis) quod ad ipsam Dei naturam & perfectionem vitalem. Et sic Deus non potest aliter aut aliud quid revelare, quam conveniat naturae & perfectioni suae. Pari modo in ratione boni, Deus lege sua praescribit nihil [pag. 387] nisi bonum: neque enim potest esse αἴτιον συμβουλευτικὸν seu causa moralis mali turpis, non magis quam causa physica. Et nihil nobis, vel quod ad nos habet rationem bonitatis, nisi quia & quatenus Deus lege aliqua sua tanquam unica moralis bonitatis nostrae seu honestatis mensura illud nobis praescribit. Sed inde non sequitur omnem bonitatem & ideam bonitatis, quae est in Deo ab intra sed cum relatiane seu denominatione communicativi aut communicabilis in ordine & cum respectu ad creaturam, quod ad Deum, seu respectu Dei, qui est supra legem suam, dependere à lege hominibus lata: atque adeo dicendum, esse eam bonitatem & non aliter quia Deus lege sua ita sancivit, quae nobis est unica bonitatis & justitiae regula. Lex Dei est quidem prima & ultima radix & norma bonitatis, quod ad nos seu nostram obedientiam: nam voluntas beneplaciti divini quà talis non est nobis norma, nisi mediate & consequenter, quatenus à posteriori & ex signo nobis deprehenditur. Ut ergo legi divinae primo (quod ad nos) principio actionum moralium non repugnat, si dicatur dependere ab ipsius decreto seu voluntate, sic nec voluntati divinae repugnat, si θεοπρεπῶς dicatur dependere à Dei natura & attributis, hoc est, egredi & tendere extra se in aut circa creaturam secundum primitatem, simplicitatem, immutabilitatem, perfectionem, bonitatem, sufficientiam, scientiam possibilium, ideam, immo & secundum essentialem justitiam, veracitatem, potentiam, potestatem, majestatem, dominium. Nam tum Deus nec interne agendo, hoc est volendo & intelligendo, nec externe agendo, hoc est exequendo limitatur aut mensuratur ab ullo extrinseco: sed ab intrinseco à seipso, à natura scil. & perfectione sua. Distingue ergò velle Deum aliquid boni quia tale, & rursum aliquid esse bonum quia vult, uti nos jam distinximus, & omnia recte conciliata & sanae ac communiter apud omnes Christianos receptae philosophiae ac theologiae congrua videbis. Et rursum aliquid esse in meo ab intra, non ab extra, quamvis sit ad extra, seu dicat respectum ad extra. Ad illustrationem & confirmationem doctrinae de Possibilitate rerum, ejusque radice conferri possunt, quae disputant *Scholastici ad* 1. *dist.* 42. imprimis *Hen-*

Hendricus de Gandavo, ubi statuit possibilitatem cujusque rei fiendae attendi ex parte Dei, ita ut res dicatur à Deo factibilis, quia Deus potest facere, non è converso. Et *Scotus ac Bonaventura*, qui sic distinguunt: ut possibilitas rei seu creaturae sit ex ipsa formaliter, & accipienda sit ex parte rei vel creaturae: sed possibilitas ejusdem sit effectivè, principiativè & originaliter ex intellectu divino; eo quod potentia objectiva non possit accipi originaliter ex parte illius, quod originatur sed ex parte illius quod originat &c. Idem statuendum est de impossibilitate. Quae vide [pag 388] fusius explicata à *Petro Capullo in commentar. ad commentar. Bonaventura in* 1. *dist.* 42. *quaest.* 4. *punct.* 1. *&* 2. Nec possum praeterire, quin indicem, quam sanè & accuratè sententia haec, quam defendimus, in Academia Franequerana ante paucos annos ad disputandum publicè volente & approbante D. Maccovio proposita & explicata sit à genuino ipsius discipulo D. *Joh. Clutone* Theol. Doctore in *Idea Theologiae disp.* 4. *th.* 20. 35. 36. & *disp.* 11. *th.* 18. & *disp.* 19. *th.* 19. & *disp.* 40. *th.* 31. 32. Haec vel sola moderatis & perspicacibus ingeniis dubia omnia eximere possent: & cum conceptibus nostris fusius nunc expositis per omnia conveniunt. Operam non luserint studiosi nostri, si eum in hac, aliisque materiis consulant: supra multos alios faciet ad accurandos conceptus locorum communium.

Occasione libelli à Doctiss. D. Zydlovio D. Maccovii discipulo editis in qua sententiam nostram de Jure Dei ex professo oppugnaverat, scripsi ad eundem D. Zydlovium epistolam, quam quia ipse in Mantissa praedicti libelli edidit, visum est hic reponere ob materiae affinitatem.

Ornatissime & doctissime

D. ZYDLOVI,

Petis judicium meum de quaestionibus duabus à re nuper pertractatis libello, cui tit. *Vindicae Quaest. aliquot difficilium, &c.* Honestae tuae petitioni non possum refragari; quippe omnibus, imprimis tui ordinis, debitorem me profiteor. Sic ergo habes: quaestionem illam de adorationis objecto formali, cujus gratia libellus tuus potissimum conscriptus videtur, à te quod ad summam rei seu rem ipsam convenienter sacris literis, & hypothesibus orthodoxae Theologiae nostrae esse pertractatam, solidequè discussa, quae ab aliis possent aut etiam solent objici, adhaec detectum fideliter errorum quorundam syrma, quod contraria sententia mordicus defensa secum tractura & in Theologiam nostram invectura videtur; de quo non vana fuit praemonitio summi & veterani Theologi D. Gomari praeceptoris nostri, cujus verba exhibui in *appendice prima* ad *disp. de Adoratione Christi qua mediatoris.* Est itaque quod orthodoxiae & ἀκριβείας amantes hoc nomine gratias tibi agant, tuoque labore in concertationibus cum Remonstrantibus & Socinianis libenter utantur, fruantur. Hoc meum est judicium non tantum, sed & multorum ministrorum, aliorumque virorum doctorum, quos quidem audire mihi contigit. Quod ad alteram quaestionem. *An res sint ideo justae & bonae, quia Deus eas vult, vel an ideo eas velit, quia justae sunt:* fateor eam in genere & in Thesi à nonnullis Theologis (inter quos ex nostris mihi nunc occurrit. *Polanus Syntagm. lib.* 2. *cap.* 26. *axiomate* 3. *&* 4.) ita videri determinari, ,ac tu determinas; ab aliis eam involvi, saltem non satis explicatè determinari, [pag. 389] cum disputant. *An Deus de omnibus praeceptis legis dispensare possit.* Vide inter alios *Valentiam & Sylvium ad* 1. 2. *qu.* 100. *art.* 7. *aut*

8. si

8. si bene memini. Ut tamen candide dicam, quod res est, nondum video contrariam sententiam, quam antehac in *disp.* mea *de jure & justitia Dei* proposui argumentis tuis satis alioquin subtilibus elisam esse. Reponi enim potest axioma illud de libero Dei decreto seu voluntate tanquam prima causa nullam normam aut mensuram se priorem habente, ita limitandum esse, ex mente Theologorum, ut dicatur nullam velitionis divinae normam esse ab extra seu extra Deum: quo tamen non negetur normam & mensuram priorem (in sign. scil. rationis) esse ab intra & in Deo, hoc est, Deum seu naturam Dei & primitatem, perfectionem, potestatem seu dominium ejus essentiale supremum absolutum, divinae volitionis esse normam. Quomodo necessitate quadam Deus seipsum intelligit, vult seipsum & amat, nihilominus voluntate libera non quidem antecedenter, sed concomitanter: non potest enim velle seipsum non cognoscere, non amare, item non potest Pater velle non generare aut amare filium. Dices objectum voluntatis divinae hic esse actiones & relationes ad intra. Monstremus ergo actiones & relationes ad extra. Non potest Deus velle non cognoscere scientia indefinita omnia possibilia, non potest non omnium rerum ideas in se habere, quae sunt mensurae priores (in signo scilicet rationis) seu exemplaria omnium producendorum; ita ut Deus, posito quod velit existere hanc aut illam rem, non possit velle res aliter producere, quam suis quaeque ideis praeformatae ac praeconceptae sunt. Rursum Deus necessario (sed ex hypothesi creaturae rationalis peccantis) vult punire peccata secundum δικαίωμα suum (*Rom.* 1. 30.) & justitiam punitivam, nihilominus liberè; nec tamen justitia punitiva in egressu seu exercitio suo antecedenter libera est, ita ut possit Deus velle non punire, posito scilicet peccato. Quod si hic nolis succumbere objectionibus Doctissimi Twissi adversus justitiae necessitatem, uti te nolle arbitror, utique vides argumenta tua non esse ἄλυτα. Sin vero in Twissi sententiam concedas, paulo aliter erunt instruendae & applicandae responsiones & exceptiones nostrae. Sed de his accuratiorem disquisitionem diligentiae tuae relinquo: mihi enim non vacat nunc ex professo tua excutere, & theses meas relegere, alteri occasioni hoc reservandum est. De hypothesi seu consectario hujus quaestionis, *An Deus possit praecipere aut velle praecipere peccatum;* exempli gratia blasphemiam, odium Dei, &c. sic censeo, illud non satis tuto & prudenter ex thesi generali, quae extra omnem dubitationem & difficultatem nondum in luce posita est, sed potius duritiem & difficillimas consequentias ejus suadere posse, quaerendam aliquam limitationem, [pag. 390] aut saltem amplectendam tantisper aliquam ἐποχὴν circa thesin generalem. Scholasticis non infrequens fuit de istius generis durioribus quaesitis exempli gratia, *An Christus potuerit assumere aliam quamcunque naturam, aut humanam naturam peccatricem, &c.* libere disserere uti & inter eos *Occam. ad* 2. *dist.* 19. quaerit. *An Deus homini possit praecipere actum odii?* Nos tamen abstineri malimus ab omnibus, quae sonant in malum. Inter alia, quae nuper per occasionem in mentem veniebant, fuit & illud: videri ex tua sententia sequi, Deum providentia suâ activâ esse autorem peccati. Qui enim quid praecipit, est causa moralis seu αἴτιον συμβουλευτικὸν, uti eam appellat Philosophus. Vidisti procul dubio, quae Clar. D. *Maccovius*, & Eximius Doctor *Cluto* eleganter conceperunt de providentia Dei morali. Sed uti jam dixi, haec aliaque diligentiae tuae serio consideranda, & cum subtilissimi ac subactissimi judicii Theologo ac philosopho D. Maccovio conferenda relinquo. Ille hic tibi aquila sit in nubibus, per-

perspiciet proculdubio & candide exponet quid in hac causa sit liquidum. Scio urgeri à te contrariam sententiam petitione demonstrationis, sine qua alioquin tota defensio laboret petitione principii. Sed quamvis illa non tam evidenter exhiberi posset; non negandum tamen quin tutius sit in ea tantisper acquiescere cum aliqua dubitatione seu formidine oppositi, aut saltem in doctae ignorantiae asylum potius concedendum, quam in horridiorem illam sententiam excurrendum. Praeterquam quod aliquae stricturae veritatis in scriptura & lumine naturali se ostendant, unde demonstrationem moliri nobis videmur. Posita enim necessaria creaturae rationalis à Deo non tantum ut primo ac summo principio naturali sed & morali dependentia, & consequenter ejusdem secundum rectam rationem ad Deum tanquam summam rationem subjectione & adhaesione: non potest non lex illi ferri, quae obliget ad obedientiam Dei in genere, & ad cultum, quem vocant, naturalem; nisi admittere velimus contradictionis implicationem, hoc est, essentialis dominii divini ac juris in creaturam rationalem, hoc est ipsius Dei abnegationem. Si enim Deus dimittere & absolvere potest creaturam rationalem ab obligatione, qua necessario ad subjectionem & obedientiam tenetur, sequitur Deum posse abjicere jus suum & dominium speciale in illam creaturam. Atqui hoc videtur absurdum; primo quod tollat nobis solutionem argumenti capitalis contra justitiam Dei punitivam (quod est, si Deus antecedenter libere miseretur peccatoris; ergo sic etiam punit peccatum, ita ut possit non punire): Secundo quia videtur hoc minimè convenire cum tuis assertionibus de absoluta Dei potentia & supremo dominio. *P.* 144. *P.* 163. Tertio quia fundatum est in productione [pag. 391] istius creaturae, non tantum ut generaliter existentis ac bonae juxta cum aliis, sed etiam ut rationalis, quae capax sit obedientiae & λογικῆς λατρείας haut aliter ac potestas ac existimatio patris inter homines fundata est in generatione filii, quae abjici & abnegari non potest, nisi & ipsa generatio negetur. Quod si forte excipiat quis, hominem in genere quidem ad obedientiam aut subjectionem Dei necessario teneri: sed non ad hanc aut illam in specie: respondeo, nisi aliqui actus in specie & forma designentur, per quos & in quibus homo necessario teneatur obedientiam suam erga Deum exserere, sequeretur tum nullam esse necessariam obedientiam (genus enim nihil aliud est quam sua species, realiter scilicet). Deinde quicunque actus obedientiae ponantur, pariter posse dici Deum habere sed illos aeque ac ad alios libere antecedenter, ut possit eos velle aut non velle, velle eos praecipere aut non praecipere, aut contrarium praecipere, e. g. ut homo Deum non cognoscat, ut nullam habeat & retineat Theologiam, synteresin, & conscientiam naturalem, ut Dei veritatem & causam in injustitia detineat aut condemnet, ut odio habeat Deum, ut Diabolum adoret atque honoret tanquam Deum (ad quod peccatum tentatus fuit Christus *Matth.* 4.) ut corde credat, ore doceat ac profiteatur Aeonas Valentini; duos Deos Manicheorum, verum Deum esse simulatorem, autorem peccati, tyrannum, Diabolum (quae horrenda & abominanda nostris ecclesiis impingunt Jesuitae Monasterienses in *Credo Calvini sequarum*) ut desperet; ut Deum tentet & blasphemet, ut minimam quamvis creaturam, imo vilissimas & pessimas suas cupiditates plus diligat, quam Deum, ut eas habeat pro summo bono, Deum vero non habeat, ut omnes species & modos idololatriae & magiae exerceat; quae unquam apud Ethnicos aut Pontificios in usu fuere. De permissione quod objicitur, nihil est: aliud enim est peccata permittere, hoc est non impedire, & aliud actu positivo ac directo

directo ea praecipere: illic enim nihil aliud est quam mera negatio actus seu cessatio ab actu. Sed quo abripior? non vocat mihi aliis curis nunc distento, defoecata mente haec aliaque ultro citroque agitanda examinare, & si quae huic quaestioni affinia praesertim apud Scholasticos occurrant, inquirere & conferre; qui si optatam veritatem non adferrent, saltem cotem & limam ejus non contemnendam praestarent. Velim te, qui nunc hic habitas, hoc serio agere, advocato in auxilium perspicacissimo judicio D. Maccovii. De thesi non ita apud te laboro; quandoquidem post problematicas utriusque partis disceptationes facile per limitationem commoda conciliatio inveniri posset, uti supra indicavi. Sed ab hypothesios defensione usque ad finem, video abhorrere animos multorum, saltem omnium, cum quibus hac de re contuli: [pag. 392] nec tu ab omni formidine & ἐποχῇ alienum te ostendis *p.* 143. tantum lucem te quaerere & aliunde avidè exspectare profiteris, ut ab argumentis à te allatis semel expediri possis. Quâ quidem declaratione apud aequos rerum arbitros te liberas à crimine, imo & a justà suspicione haeresios. Quod si visum fuerit appendice aliqua, aut saltem disputatione Academicâ ulterius hypothesin explicare & consequentiarum catenam praescindere, deque ipsa thesi magis pressè, & limitatè disputare, non dubito, quin omnibus melius satisfacturus sis. Deum precor studiis tuis quam cumulatissimè benedicat, Cl. D. Maccovius ex me salveat, & ex Rev. ac conjunctissimis collegis meis D. Schotano ac D. de Maets. Ultrajecti VII. Kal. Junii CIↃ. IↃC. XLIII.

Appendix aliquot problematum, quae cum disputatione edita non fuerunt.

I. *Prob.* An Deus possit infernalibus cruciatibus affligere hominem innocentem? *Resp.* Quaeritur hic de afflictione ipsa in se & materialiter spectatâ; non autem formaliter & in ratione poenae spectatâ. Nemo enim ita nugatur uti disputet Deum posse imponere poenam, ubi non est culpa: hoc enim crassissimam implicaret contradictionem. Pro parte affirmante stant ex Scholasticis non pauci. Et ex nostris *Twissus lib.* 1. *Vindiciar. gratia contra Arminium part.* 2. *section.* 4. *digress.* 4. quem alii nonnulli sequuntur. Nos malumus inclinare in partem negantem; quod rationes adversae sententiae tam solidè & evidenter concludentes hactenus deprehendere non potuerimus, ut sententiae renuntiare debeamus. Et dato, utrimque aeque validas rationes in ambiguo nos detinere, potius tamen acquiescitur in parte mitiori, aut saltem circa oppositam ἐποχὴ tantisper suscipitur. *Prima ratio* sit, Si Deus innocenti creaturae citra ullum demeritum possit cruciatum aliquem minimum inferre; ergo & gradibus aliquot majorem, corporalem scil., & denique mortem: Et sic hoc possit, quidni cruciatum in anima & corpore aeternum. Quis enim genera, gradus durationem cruciatuum circumscribet, & Deo hic quidquam praescribet. Minorem sic videntur probare: Si Deus non possit creaturae innocenti suum esse auferre cum dolore & cruciatu, aut eidem non possit tribuere ullum esse dolorosum: sequeretur Deum ex justitia teneri ad conservandam creaturam in sua ἀναλγησίᾳ, & sanitate. Sed posterius est absurdum. Nam tum non posset Deus liberè auferre valetudinem, quam homini liberè tribuit, nec posset hominem innocentem occidere; nec posset eum annihilare, eique absolutum esse auferre, siquidem teneretur in bene esse eum conservare. *Resp. Neg.* consequentia majoris. Alia enim ratio est temporalis cujusque

afflictionis,

afflictionis, & alia aeternae mortis: quae aeternam abjectionem à facie Dei non tantum, sed & vermem conscientiae, & desperationem, [pag. 393] necessario involvit, subjectivè scil. si consideretur in creatura rationali. Atqui repugnantia est in terminis, si statuatur homo innocens imagine Dei praeditus & legi ac voluntati divinae conformis idemque mortem infernalem sustinens, hoc est verme conscientiae corrosus, & desperans, immo & blasphemans Deum: nam cruciatus ille, vermis, desperatio, sine intermissione, non est absque blasphemia. Atque hoc praecipuum adversae sententiae argumentum meo quidem judicio: quod cum insolubile non sit, facile de aliorum solutione despiciemus. Alii forte ad minorem ejusque probationem quid dicendum putabunt; sed haut opus. *Secunda ratio* est, sequetur hoc absurdum, minus licere Deo in hominem innocentem, quam in proprium filium innocentem. *Resp. Neg.* consequentia. Erat enim filius in se justus, & innocens: sed imputative & tanquam sponsor potest dici nocens, maledictus scil. propter peccata nostra, quae in se susceperat. *Tertia ratio*, Si est de jure Dei, ut creaturam innocentem non affligat, ergo justitia ejus hoc exigit. Sed posterius est absurdum ergo. Prob. minor; quia justitia suum cuique tribuit, & nulli suum aufert. Atqui nullum est creaturae suum ad quod tribuendum aut non auferendum Deus obligetur. *Resp.* Absolute non obligatur Deus ad aliquid dandum: sed bene obligatur ad creaturae non imponendum aut inferendum tale quid, quod repugnantiam in terminis involvit. Sic e. gr. non potest homini imponere aut mandare simpliciter impossibile, ut scil. potentia, aut perfectione, sit aequalis Deo, aut ut sit in essentiâ sua ejusque praesentia, motu, &c. sicut angelus. Reliquas rationes, quae ibidem adducuntur, quia exsertè concludunt de cruciatu aliquo corporali, non vero de morte infernali, & praesupponere videntur veritatem consequentiae majoris, in prima ratione, (quam nos negamus) hic praeterimus. II. *Probl.* An Deus jus habeat obligandi hominem ad aliquid impossibile; idque probetur exemplo Adami ante lapsum. *Resp. Neg.* Erat enim illi possibilis perseverantia in statu innocentiae, in sensu scil. diviso. Nota est distinctio inter causam actu & causam potentia, & rursum inter potentiam seu possibilitatem causae, & effectus. Prior Adamo omnino tribuenda cum *catechesi* nostra *quaest.* 9. Quod autem à nonnullis subtractio gratiae hic intervenisse dicitur, duriuscule aut ambiguè & obscure mihi dictum videtur. Deus enim actu positivo & contrario non magis abstulit homini gratiam primam seu habitualem in creatione collatam, quam angelis lapsis. Sed utrobique negative tantum cessavit ab ulteriori collatione gratiae secundae & subsequentis, confirmantis sc. excitantis & praemoventis ac praedeterminantis: cujus necessarius concursus negari non potest, absque luxatione theologiae de Dei primitate, scientia [pag. 394], voluntate, gratiâ, potentiâ, providentiâ &c. Si objicias, non fuisse ergò possibilem effectum ex praesuppositione cessationis seu negativae illius deficientiae Dei; concedimus illo respectu non fuisse effectum possibilem in sensu composito: sed negamus inde sequi simpliciter Adamo fuisse impossibilem. Possibilitas enim erat in ordine ad causam secundam, quae pro sua parte habebat sufficientem potentiam: sed non in ordine ad causam primam, cujus praecursus adfuturus non erat. Absolute ergo dicendum Adamum potuisse facere: cum distinctione dicendum effectum potuisse existere, & non potuisse; diverso scil. respectu: ut jam explicuimus. Si quis aliud & tutius quid adferre possit, nec hic ingenium humanum sistendum existimet; utique non invidebimus. Cogitet modo certa & receptis veritatibus Theo-

logicis

logicis conformia adferenda esse. III. *Probl.* An omne bonum morale possit dici secundum naturam, & omne malum morale contra naturam. *Resp. Aff.* si intelligatur natura primigenia ut à Deo creata; non vero ut corrupta *Ephes.* 2. 3. Deus enim naturam hominis creavit bonam, eique indidit inclinationem & facultatem ad bonum. *Genes.* 1. *v.* 27. *&* *ult.* *Ecclesiast.* 7. 29. Legem notificantem & obligantem illi insculpsit, & vim ratiocinandi rectamque rationem contulit, per quam conclusiones ex principiis insitis educeret, & πρακτοῖς quibusque applicaret. Quae duo postrema ne quidem post lapsum tanquam relictae scintillae plane aboleri potuerunt: quamvis multis modis ab hominibus occultentur aut corrumpantur. *Rom.* 2. 14. 15. cum *Rom.* 1. 19. 20. 21. 22. 23. *Actor.* 17. 25. 26. 27. 28. Convenienter huic sententiae applicari possunt placita philosophorum quae collegit *Lipsius in Manud. ad Philosoph. Stoicam lib.* 2. *dissert.* 14. *usque dissert.* 19. — IV. *Probl.* An omnis cognitio eorum, quae ad vitam humanam moresque vivendi pertinent, possit dici naturalis, aut lex naturae, aut legis naturae. *Resp.* si accuratè loqui velimus aliud est ipsa lex naturae formaliter propriè, & strictè sic dicta, quae scil. continet principia practica (de quibus in *disp. de Atheismo;*) & aliud est axioma morale seu praeceptum universale & generale proximè ex principiis illis fluens. seu per ratiocinationem deductum: & aliud praeceptum speciale, seu determinatio particulares cujusque casus ex principiis, axiomatis, & praeceptis modo dictis per legitimam subsumtionem aut analogicam secundum particulares actionum circumstantias applicationem deducta. Determinatio & applicatio illa fit dupliciter vel secundum jus divinum positivum, vel secundum permissivum. Et rursum vel circa actiones sua natura, specie, & objectivè adiaphoras (nam in individuo nullae actiones humanae propriè sic dictae sunt tales); vel circa actiones, non quidem intrinsecam malitiam habentes, sed sonantes in malum e. g. [pag. 395] occidere hominem, persequi parentes, fratres, liberos. Omnia ergo haec sunt juris, legis, & cognitionis naturalis *vel eductivè vel reductivè:* quod ex ea vel per necessariam consequentiam & subsumtionem ratiocinando educi possint aut debeant; aut quod ad eam reducantur tanquam illi convenientia, aut saltem illi minime repugnantia; qualia sunt leges forenses Mosaicae, & leges quaecunque Politicae positivae (si recte & juste latae sint) omniaque judicia legem ad factum applicantia, & monita ac praecepta parentum, omniumque superiorum, modo obedientiae Deo debitae non repugnent. Talia quidem in specie Deus jure suo positivo non determinavit, sed jure permissivo legitimam & rationalem determinationem circumstantiis rerum & personarum proportionatam, superioribus potestatibus jure seu lege suâ positiva permisit, & inferioribus parendi necessitatem imposuit. Quae reductive tantum sunt juris & legis naturalis, aliquando opposite & contradistinctè ad ea quae eductivè sunt talia, dicuntur esse juris humani merè arbitrarii seu positivi, & negantur esse juris ac legis naturalis. His distinctionibus bene observatis concidunt commenta illa de consiliis, de monitis, de actionibus praestantibus & laudandis, deque πρέποντος seu decoro, ad quae tamen quilibet homo praecisè non teneatur, & cujus omissio aut oppositum non sit peccatum. Si de actionibus in individuo loquuntur (uti loqui debent,) certè non parum hallucinantur. Semper enim homo ad alterutram contradictionis partem (positis ponendis) secundum dictamen & judicium rectae rationis tenetur: & in quamcunque partem inclinaverit, semper moraliter bene aut moraliter malè inclinat; quorum

rum illud prosequi, istud fugere tenetur. V. *Probl.* An etiam ad legem naturae & moralem revocandae & secundum eam mensurandae sint actiones in externis quibusdam ad vitam hominis animalem, & civilem conversationem spectantibus ut cibo, potu. somno, sermone, gestibus, vestibus, corporis cultu &c. & an determinationes in specie seu objectivè circa illa fieri possint ac debeant & conscientiae rite instrui juxta regulas juris divini & naturalis. *Resp. Aff.* ex 1. *Corinth.* 10. 31. *Philipp.* 4. 8. 1. *Corinth.* 11. 13. 14. *Deuteron.* 22. 5. *Jesai.* 3. 16. 24. 1. *Petr.* 3. 2. 3. Plura huc facientia vide in *disp* nostris *de Excelsis mundi.* Accedit ratio illa ex epistol. *Judae vers.* 10. Quod homines in iis, quae ad vitam animalem pertinent, naturaliter corrumpuntur. Immo quam plurima & εὐπερίστατα peccata in iis obrepere possunt & solent: contra quae quotidie invigilandum. Adeo ut periculosè illi disputent, qui illa titulo minutiarum, aut vilium & sterilium speculationum, aut leviorum peccatulorum, aut rerum civilium & politicorum, consuetudinum ac morum, à cura theologiae & conscientiae amandant. Confer *disp.* nostram *de* [pag. 396] *Theologia practica.* VI. *Probl.* An omne illud possit dici merè adiaphorum. nec determinari per legem naturae aut moralem, quod & quia non sit semper & absolute observatu necessarium, ita ut oppositum ejus aliquando à Deo mandari, & ab homine sine peccato fieri possit? *Resp. Neg.* Jus naturae, & consequenter lex atque officium hominis, in quod se diffundit, est vel *absolutum vel hypotheticum. Illud* est quod omnes homines absolutè, & ad semper obligat, ita ut actus oppositus nunquam honestari possit. e. gr. blasphemia, adulterium, falsum testimonium. *Istud* est quod absolutè & ad semper omnes homines ita non obligat, ut aliquando actus oppositus honestari & sine peccato fieri non possit. Suntque hujus tria genera aut gradus, 1. est eorum quae sonant in malum, & consequenter prima, absolutâ, ac potiori proaeresi fieri non possunt, sed tantum succedanea, positis scil. ponendis: sic non debemus homines occidere; debet tamen Magistratus in justo bello, & ut puniat facinorosos, & privatus quisque in casu inculpatae tutelae. 2. Est eorum, quae absolutè, communiter & ordinario fieri non debent: sed bene extraordinario, speciali scil. seu particulari lege intercedente. Quae lex variis modis notificatur, aut explicitè & exserte, aut implicitè. *Illo modo*, rursum dupliciter, aut per legem pluribus communem & externè promulgatam, omnibus individuis casibus ejusdem speciei applicandam. Qualis est de ducenda vidua fratris *Deuteron.* 25. de detondendis captivae foeminae capillis *Deuter.* 21. de alendis comis Nazareorum *Numer.* 6. aliter ac lege communi 1. *Corinth.* 11. Aut per legem propriam & externam individuo propositam: ut de venditione omnium bonorum *Matth.* 19. De punitione innoxiorum liberorum Achan *Josuae* 7. de auferendis vasis Aegyptiorum *Exod.* 12. Aut per legem propriam & internam uni individuo, & quidem interno instinctu ac motu revelatam, ut Elizeo 2. *Reg.* 2. & Eliae 2. *Reg.* 1. coll. cum *Luc.* 9. Et Pinehas *Numeror.* 25. Et levitis *Exod.* 32. coll. cum *Deuteron.* 33. *v.* 9. Et Abrahamo *Genes.* 22. Isto modo cum implicitè hoc per casum absolutae aut majoris necessitatis ab ipsa lege concessum aut exceptum subintelligitur. E. gr. Jus absolutum est, & legis naturae ut nemo carnem propriam odio habeat aut laedat, aut mutilet, sed contra foveat ipsam *Ephes.* 5. Et tamen docet idem jus ac lex naturae in casu & ex hypothesi praesentissimi periculi, digitum abscindere, aut corpus vulnerare, ut totum hominem à gangraena liberes, aut praesenti morti ex carcere aut aqua eum eripias. Docet

natura

natura turpe esse foeminae, si radatur. & viro si prolixos capillos alat 1. *Corinth.* 11. Eadem nihilominus docet oppositum utrobique esse faciendum in casu morbi, aut alterius necessitatis. De viro muliebri veste induendo idem statuendum [pag. 397] ubi patria liberanda, aut innocentis vita tyrannidi subtrahenda, aut in carcere corpus tegendum, cum nihil aliud suppetit; nec tamen repugnare illud *Deuteron.* 22. Prohibet natura conjugium cum sorore, eadem tamen suasit illud filiis Adami. Ex Casuistis Pontificiis non pauci statuunt in casu extremae necessitatis posse quem aliena bona contrectare, ne fame pereat. De quo nos in praesentiarum non disputamus. Huc referri potest exemplum de stipendiis ministrorum: quod necessitatis & juris naturalis est. Et tamen Paulus positis ponendis ab ecclesia Corinthiaca noluit recipere. Quod simili in casu imitandum est omnibus ministris. Confer *disp.* nostram *de stipendiis Ministrorum.* Est ergo utrumque juris & legis naturalis: Sed prius habet se ut lex generalis, posterius ut lex specialis. Quam distinctionem sub istis terminis habet *Polanus lib.* 6. *cap.* 10. Rursum distingui potest lex in ordinariam & extraordinariam. Sunt alii qui prius vocant legem; & posterius exceptionem à lege. Quo nomine appelletur, saltem constat, licere quid aliquo in casu aut ex certa aliqua hypothesi, quod absolute, communiter, ordinario, & semper non licet: Et tunc jus juri, lex legi non repugnat, sed tantum distincta & diversa sunt, tanquam partes integrantes unius & totius legis ab eodem legislatore Deo sancitae & revelatae siquidem consideretur lex specialis ut explicite proposita; tunc enim lex specialis habet se ad legem generalem, ut novum & insuper adjectum additamentum & ampliatio, illi coordinata & collateralis. Sin vero consideretur, ut implicitè in ea contenta, & subintellecta in mente atque intentione legislatoris & ex indicio legum ac principiorum primorum atque universalium de absoluta & perfecta caritate & obedientia Deo debita: dicendum est specialem legem generali subordinari, & ex ea educi. Ita ut simili fere modo de convenientia & distinctione utriusque judicandum sit, quo Ethici de convenientia & discrimine justitiae & aequitatis. Et Casuistae ac JCC. communiter conciliant justitiam particularem suas cuique possessiones vindicantem, cum usucapione: cum utraque ad justitiam referatur tanquam pars ad totum integrale, aut tanquam species ad genus seu totum universale; & utraque ex primis ejus principiis deducatur. Et Theologi omnes de praeceptis ceremonialibus affirmant, quod cedere debeant moralibus, de praeceptis secundae tabulae. quod cedere debeant praeceptis primae tabulae. Unde tamen non sequitur posteriora non esse legis naturae, moralis, immutabilis; aut praecepta praeceptis opposita, obedientiam obedientiae. Omnia ergo haec secundum legem generalem & secundum specialem quae generalis legis appendix & additamentum (exceptio à regula, casus reservatus, legis interpretatio. ampliatio, extensio, [pag. 398] aut quocunque alio nomine appelletur) praestita aut praestanda ad jus divinum & naturale revocanda sunt: nec inter adiaphora numeranda, tanquam nullo praecepto sive absoluto sive hypothetico, explicito aut implicito circumscripta. VI. *Probl.* An jus naturale, prout stricte sumitur, pro sola natura noto, & supernaturali contradistinguitur, repugnet supernaturali. *Resp. Neg* Est enim à Deo autore naturae sancitum & revelatum: consequenter verum vero, bonum bono non repugnat. Deinde non differt quod ad materiam suam à lege morali supernaturaliter revelata: scil. quantam & quousque communem cum eâ habet materiam. Extensionem autem & limites

limites hujus juris & legis naturalis tribus capitibus circumscribunt *Scholastici ad Thomam* 1. 2. *qu*. 94. *artic*. 2. Requirit enim lex naturae ab homine nonnulla ut est ens: nonnulla ut est vivens & animal: nonnulla ut est rationalis. Quae ibi videnda. VII. *Probl.* An ergo ex jure naturali, ut contradistinguitur supernaturali, ratio & modus colendi Deum deduci potest, aut sub eo subsumi? *Resp. Neg.* In genere quidem & indefinitè quomodo Deus sit colendus; & negative quomodo non sit colendus, in multis inde ostendi potest: sed positive & in specie cultus Dei naturalis, ut nunc post lapsum modificatus est, ex eo deduci aut sub eo definite atque explicite subsumi non potest. Multo minus cultus institutus. Haec ergo à supernaturali revelatione exspectanda. Quae cum in *loc. com. de Necessitate & perfectione scripturae*, & *de theologiâ, deque usu rationis in rebus fidei* abundè explicentur, non est quod pluribus absurdum illud rituum sacrorum in cultu publico fulcrum, à natura petitum subruamus. Sunt ritus quidam communes naturaliter necessarii, aut civiliter decori, sed illi non sunt sacri & mystici, ex. gr. natura docet, si concionator velit ritè, & commodè distribuere coenam, ut derecto ore, aut ut stans & erecto corpore hoc faciat, si commodè à communicantibus agenda illa spectare & audiri velit. Civile decorum postulat, ut minister decorè vestitus, absque defluente muco è naribus, absque natante in ore saliva &c. concionem habeat. Sed haec omnia communia sunt in schola, in curia, in collegiis, in compitis &c. non vero propria, mystica aut formaliter sacra. VIII. *Probl.* An jus & lex naturalis ab omnibus hominibus cognoscitur: & per contrarium sensum inferri possit, non esse illud juris naturalis, quod ab omnibus non agnoscitur. *Resp. Neg.* Aptum quidem natum est ut ab omnibus cognoscatur, & debebant illud omnes cognoscere: sed multis modis lumen illud exstinguunt conclusiones ex principiis male inferendo ut videre est *Roman.* 1. 21. 22. *Judae. v.* 10. Quod si per jus & legem naturae intelligantur tantum prima principia practica, fatemur ea ab omnibus, qui rationis [pag. 399] usu praediti sunt, admitti, percepta modo terminorum explicatione. Vide *disp.* nostram *de Atheismo.* Quo sensu autor *anonymus definitionum*, quae una cum *Nazianzeni* ex bibliotheca Augustana editae à Davide Hoeschelio, & Heidelbergae in 8°. excusae 1591. *τί εἰσι κοιναὶ ἔννοιαι; αἱ οἴκοθεν τὸ πίστον ἑτοίμως ἔχουσαι, καὶ μηδενὸς ἑτέρου δεόμεναι πρὸς ἀπόδειξιν.* IX. *Probl.* An & quomodo honestas actionis alicujus à legibus humanis, & determinatione Magistratus derivari ac suspendi possit: ita ut autoritate & determinatione illa posita aut sublata, ponatur aut tollatur licitum & honestum in foro conscientiae, convenienter juri divino & naturali? *Resp.* 1. praesupponenda est distinctio nostrorum Theologorum, inter directam & immediatam obligationem, & inter indirectam, seu mediatam. Illa legibus, & autoritati humanae in conscientias tribui non potest, sed tantum divinae: ista potest. 2. Altera distinctio est: Leges & determinationes Magistratus sunt vel permittentes tantum seu tolerantes, vel approbantes & praescribentes. Priores versantur mediate & indirecte circa actionem in se & in foro conscientiae illicitam, immediate & directe circa positam rationabilem & necessariam tolerantiam aut permissionem istius mali, quod tolli non potest; idque ad evitandum majus malum. De judiciis, defensione, aliisque actibus Magistratus circa illud malum, aut super illo malo secundum legem permissivam, similiter distinguendum est. *Posteriores* versantur circa actiones in se & suo genere licitas: quibus modum ponunt & quas publico bono limitant ac circumscribunt, quale sunt succes-

siones

siones in haereditates, contractus emptionis & venditionis, & pretia rerum venalium, & contractus mutui atque usurarum, quae jure divino & naturali non sunt illicitae. 3. Distinctio est, Jus divinum & naturale aliud est positivum, aliud permissivum. His distinctionibus praemissis dicimus Magistratus autoritatem, leges, judicia modum ponere rebus & actionibus in se & suo genere non illicitis, nec jure divino aut naturali prohibitis; de quibus jure divino permissivo potestas determinandi & applicandi secundum circumstantias rerum, personarum, locorum, temporum ipsis concessa est. Et cum rationaliter ac juste circa eas legibus suis determinat, constitui tum illas in genere & statu licitorum: e. g. ut nummi isto pretio aut valore, non majori aut minori numerentur, ut ista hora aut isto tempore naves solvant, ut post istam aut istam horam vespertinam sine lucerna nemo in publicum prodeat, ut carnes agninae ante mensem vernum non sint venales in macello, ne piscatores halecum ante tale vel tale tempus rete ejiciant, aut captos haleces verum exponant, ut foenus nauticum & vulgares usurae mercatorum tale vel tale pretium non excedant. Huc refer plerasque leges speciales militum. Unde consectarium educitur, [pag. 400] contra duas gravissimas hallucinationes & confusiones quae à nonnullis committuntur circa varios conscientiae casus: Quarum *una* est, cum modus & determinatio Magistratus circa ea quae sunt juris divini permissivi, & consequenter in se non illicita, extenditur promiscuè ad quaevis alia jure divino & naturali positivo prohibita & illicita. E. gr. cum dicitur usurae istae mercatoriae & nauticae, quibus Magistratus modum posuit, & quas ac quia recte & prudenter sic determinavit, sunt licitae: ergo & quaevis aliae etiam mordentes, à fratre attenuato exactae, & quidem retento pignore rei necessariae, qua carere non potest. Ratio consequentiae ipsis est, quia intercedit aut intercedere potest autoritas Magistratus, quae modum omnibus usuris, ita & istis ponere potest; & cum posuit, faciat eas absque omne scrupulo in se & in foro conscientiae licitas. Consequentiam illam, cum ratione subjectâ inconsequentem esse dicimus: quod ipsi facile videbunt, uti spero, si similem consequentiam quis nectat. Venditiones istarum & istarum mercium sunt licitae, & justum earum pretium; quibus & quia Magistratus (ad quos jure divino & naturali hoc pertinet) modum ita posuit: Ergo venditiones uxorum (quales alicubi in Africa etiam hodie usitatae discuntur,) & quidem tali vel tali pretio, sunt licitae; modo Magistratus modum aliquem venditionibus illi ponat. & pretium determinet. Quid respondebunt? An non dicent, ut dicere debent, Non esse merces illas venales jure divino & naturali, nec posse Magistratum eas facere venales, quamvis pretio magno aut parvo posito: Et quamvis Magistratus probaret talem venditionem, male tamen ipsum facturum, & simul malè facturos venditores & emptores; quia nemini propterea in conscientia licita foret venditio. Neque enim Magistratibus tribuenda est potestas determinandi contra jus positivum divinum & naturale, quod non minus usuras mordaces prohibet *Exod.* 22. *Levitic.* 25. coll. cum *Ezechiel.* 18. *ps.* 15. *Proverb.* 28. quam venditiones uxorum. Quod si enim Magistratus potestas huc usque extendatur, jam relaberemur in abominationes Antichristianas Papatus, quae Papae tribuunt potestatem contra jus de jure dispensandi, & de peccato non peccatum faciendi. Quidquid enim in se & per se jure divino aut naturali moraliter malum est, & ut tale ex scriptura aut recta ratione deprehenditur, non potest per Magistratuum leges, interpretationes, judicia, contractus, permissiones, indulgentias, tolerantias

rantias honestari & fieri moraliter bonum, nec potest lex positiva divina aut naturalis per contrariam legem Magistratus abrogari, aut de ea dispensari. *Altera* hallucinatio est, quod non distinguunt modum seu determinationem per leges, contractus, & judicia Magistratuum duplicem: quarum una sit circa rem in se & per se illicitam; [pag. 401] altera circa rem illicitam & malam. Hujus exempla dant leges Mosaicae circa polygamiam & libellum repudii *Deuteron.* 21. & 24. *Matth.* 19. circa stuprum virginis puellae captivae *Deuteron.* 21. Et Magistratuum Christianorum circa Synagogas, & libertatem religionis Judaicae, circa usuras mordentes Judaeorum aut aliorum quorumcunque foeneratorum, circa symposia in tabernis; Magistratuum reformatorum, circa privatam publicamve Papalis religionis professionem, & exercitium. Malum hic praesupponunt, non procurant: permittunt propter majus bonum, aut ad majus malum evitandum; non faciunt: tolerant quia tollere non possunt; non approbant: indulgent, seu lege non prohibent, nec poenis coërcent; neutiquam tamen mandant aut suadent: circumscribunt, limitant, determinant, imminuunt, cohibent quantum possunt seu tollunt in tantum; non vero tollunt in totum, aut ponunt, sed in medio relinquunt, adeo ut neutras & indifferentes se hic habeant leges eorum, quae malum non prohibent aut mandant. Duo ergo actus sunt in legibus, contractibus, & judiciis eorum, sicut in providentia divina circa peccatum. Quorum prius est nuda seu pura permissio, seu non actio, quae impropriè & reductivè actio dicitur, quae directè & immediatè versatur circa malum quà tale e. gr. lectio rosarii, & invocatio sanctorum aliaeque superstitiones, quas domi privatim exercent Pontificii in Belgio & foederato: aut otiosae & ebriosae compotationes, quas nonnulli azoti & bonorum dilapidatores quotidie in tabernis exercent. Haec lege aut contractibus aut judiciis nec probant nec improbant, nec prohibent nec mandant Magistratus nostri; sed tantum cum ita reperiunt, permittunt, seu in medio relinquunt, & legi sua de qua mox dicimus praesupponunt, tanquam materiam seu occasionem legis. Alter actus (qui propriè & directè actus dicitur) est circumscriptio, limitatio, modificatio, & determinatio istius mali, ne ulterius eat, aut alio modo quam certo illo ac determinato exerceri permittatur. Versatur potestas, lex, contractus, judicium Magistratus (quae à parte Magistratus in se & per se bona ac laudabilis.) 1. Immediate ac directè circa bonum, scil. circumscriptionem & mali permissi determinationem. 2. mediate & directe circa permissionem. 3. mediatè & indirectè circa malum, quod praesupponitur tanquam materia & occasio regiminis & determinationis Magistratuum, & cui modus ponitur. Ostendamus hoc rursum in exemplo posito: Titius rem familiarem suam dilapidat, quotidie aut frequenter in tabernis potando. Hoc malum, si novit aut videt Magistratus, permittit, hoc est lege sua aut poenis non impedit. Coërcet tamen, limitat, & tollit illud in tantum legibus & poenis, ne ille aut alius quis bibaculus in [pag. 402] tabernis ultra horam nonam vespertinam compotationes suas protrahat. Cum posterius prohibere, & non permittit, prius vero permittit & non prohibet Magistratus, neutrum probat aut suadet, neutrum in foro poli seu conscientiae licitum facit; sed tantum prius licitum facit politice, seu in foro soli. Atque hoc quidem exemplo multa alia ejusdem generis quae in quaestionibus moralibus & casibus conscientiae agitari solent, prompte & perspicue explicari & expediri possunt. Ut providentia divina circa mala versatur non tantum circumscribendo & limitando, sed etiam in bonum convertendo:

vertendo: sic Magistratus legibus & judiciis suis mala in bonum convertit, iis in bonum utitur, & facit ut alii iis bene, aut saltem minis malè utantur: unde tamen non sequitur malum esse bonum, aut à Magistratus legibus & judiciis probari, tanquam bonum. Malum enim & bonum quamvis in existentia sua illic conjuncta sint, & conjunctim seu ἀχωρίστως Magistratus potestati, regimini, curae, legibus, & judiciis objiciantur: unum tamen non est alterum, nec mutatur in alterum, nec actus versantes directè circa unum sunt actus circa alterum, nec adjuncta & effectus unius sunt adjuncta & effectus alterius: sed habent se ad invicem cum causis, adjunctis, & effectis suis per accidens. Sic e. gr. ut Israelitae filios susciperent ex duabus uxoribus simul, erat illicitum in foro conscientiae, non tamen in foro politico; ubi malum hoc permittebatur non tantum, sed legibus insuper mali ejus effectus in bonum convertebantur, ut iis bene uterentur. *Deuter*. 21. Ita in ἀταξίᾳ & circa eam ordinem servari voluit Deus: quamvis ipsam ἀταξίαν non voluerit. Plura alia problemata hic tractari possent: sed quia pleraque ad loc. comm. de legibus (forte aliquando à nobis peculiari diatriba explicandum) referri possunt, & temporis augustia nunc vetat ulterius ire, hac vice finio.



DISPUTATIO QUARTA.

DE NECESSITATE & UTILITATE DOGMATIS DE SS. TRINITATE. [1]

Qui clanculum subruant dogmatum Christianorum veritatem, plerumque prius in quaestionem vocant eorundem momentum & pondus, ut homines in securitatis somnum inducti, tanto facilius veritatem illam excuti sibi patiantur, nec decertent pro fide, quae semel data est sanctis. Hodiernos Anti-Trinitarios narcoticis ejusmodi nimis quam familiariter uti videas: neque id omnino frustra, obstetricante quippe & succurrente ipsis profani hujus saeculi Epicureismo & Libertinismo. Nos itaque pro veritate, Ecclesiâ, & utriusque autore Deo uno & trino, quamdiu vita suppetit, decertaturi & juniores in hac palaestra pro modulo ingenii & [pag. 467] *conscientia officii nostri exercitaturi, disseremus breviter.* I. *De Necessitate Dogmatis de Trinitate.* II. *De ejusdem utilitate, seu praxi.* III. *Subjiciemus consectarium, de Anti-Trinitaria harescos tolerantia.*

1. Ad accuratiorem quaestionis primae enodationem duo praecognoscenda. I. Quid sit dogma de Trinitate II. Quid sit dogma necessarium, seu articulus (ut vocant) fundamentalis. I. *Primo*, Dogma de Trinitate notat non tam negativam & elenctivam Theologiam, quam positivam seu assertivam; non tam rationem hanc aut illam, quam ipsas Theses, propositiones. seu assertiones; non tam hypotheses aliasque theses minus principales, quam principales Theses; non tam modum & methodum grammatice, rhetorice, & logice dogma illud explicandi, quam ipsam rem explicatam: non tam formam ac modum per philosophicas & logicas notiones, distinctiones; & axiomata dogma hoc contra pseudo-rationarios quoscunque tutandi, eorum subtilitates persequendo & ad absurdum redigendo. breviter non tam antemuralia quaedam, quam ipsam arcem veritatis. quam simplicitate & soliditate fidei insident & insidere docentur omnes Christiani. etiam infantes & lactantes; non tam particularem explicationem hujus aut illius Doctoris sive scholastici sive ecclesiastici, sive antiqui sive recentis, (quamvis hac in parte ὀρθοδοξωτάτου) quam communem & catholicam Christianismi & antiqui & hodierni (utut in multis aliis misere distracti) fidem & professionem publice & privatim ubique sonantem: de quà verissimè usurpare liceat illud Vincentii Lyrinensis: *Quod omnes, quod ubique, quod semper*. Haec antitheta autem sic accipi volumus non quasi alterum membrum susque deque habeamus: sed tantum ut ostendamus pii alicujus praesertim idiotae sincera professione circa πρῶτον & absolute fundamentale recte se habente, nec justa

[1] *Resp.* PETRO JOHANNIS SAANVLIET Amstelredamensi. *Ad diem.* 16. *&* 23. *Februar.* 1639.

justa suspicione in contrarium laborante, multum à fortioribus & posse & solere conniveri ad hallucinationes, ignorantias, dubitationes, confusiones circa alterum antitheti membrum: *tum* quia defectus suos deplorans docilem se praebet, *tum* quia vera fide habet & tenet granum illud sinapi, hoc est minimum illud veritatis salutaris praecisè ad communionem ecclesiasticam & animae salutem necessariae. Quod consistit in his thesibus capitalibus. 1. Esse tres revera distinctos, partem sc. filium, & Spir. s. non distinctos ut nomina, aut attributa, aut ut operationes, officia, seu munera unius ejusdemque personae; sed sic distinctos ut sint & possint dici alius & alius: hoc est. esse distinctas hypostases. 2. Et tres illos ac unumquemque eorum esse unum illum verum Deum creatorem, conservatorem, [pag. 468] redemptorem; quem una religione colimus. 3. Esse ordinem ut subsistentiae. ita & operationis istarum hypostaseon. Patrem scil. esse à nemine filium esse à solo patre per generationem; Spir. s. per processionem à patre & filio. Vide Symbola Conciliorum, & Harmoniam Confessionem. Alia autem ratio est adultorum & perfectorum (ut vocantur *Hebr.* 5. *Phil.* 3.) nominatim Doctorum, imprimis si ecclesia haeresibus θύραθεν circumfundi, aut intus turbari incipiat, aut illi mordicus & ex professo illa δευτέρως, ὑποθετικῶς, & ἑπομένως necessaria oppugnent ac oppositos conceptus & opiniones suas cupide εὐκαίρως ἀκαίρως spargant. Quamvis enim idem fundamentum fidei habeant cum simplicioribus, non tamen in iis ignorantiae, & dubitationes illae ita transmittendae, ut justis praesumtionibus ad uberiorem πρώτου fundamentalis declarationem, & δευτέρου discentiam adigi nequeant, ne tandem excusso πρώτῳ fundamentali, & larva hypocriseos abjecta maligni & peccantes illi humores in gravem ac periculosum totius ecclesiastici corporis morbum aliquando erumpant. Quin & Doctorum aliorum, per recidivam hanc ignorantiae & dubitationis, quamdiu ea laborat, simpliciter ad dispensationem mysteriorum fidei ineptum putamus. Quomodo enim eam dextre & plene explicabit? quomodo eam solidè contra adversarios tuebitur? Neutiquam autem hic intelligimus per dogma Trinitatis, aut ad illud referri patimur falsas quorundam hypotheses; audaces & incertas conjecturas potius quam assertiones; argumenta, si quae sunt nugatoria & straminea quibus causa potius tradi videtur, quam defendi; inexplicabiles & vanas subtilitates quibus seipsos implicant magis quam explicant; Quae omnia tanquam naevos & strumas à systemate & corpore hujus doctrinae distinguimus. Quantus autem sit error eorum qui talia urgent, aut aliis tanquam primò aut secundò necessaria obtrudunt, hic non est dicendi locus. Sufficit hic preecognosci, non esse illa partem aut appendicem hujus fundamenti, nedum ipsissimum fundamentale hujus dogmatis.

II. *Secundo*, necessarium hic dicit necessitatem finis. Potest autem ea intelligi dupliciter 1. vel necessitas professionis dogmatum ad externam unionem & communionem ecclesiasticam, in externa, visibili, & particulari ecclesia. 2. vel necessitas fidei istorum dogmatum ad communionem internam & invisibilem cum Christo, & aeterna salute per ipsum; seu cum Dei gratia & gloria. Distinctionem hanc pluribus explicuimus, & probavimus in *Disp. de Articulis & erroribus fundamentalibus*. Opponitur autem necessario seu fundamentali dogmati ex sensu adversariorum doctrina quaelibet Theologica minus principalis; sive ea sit problematica in scholis & ecclesiis: de qua per libertatem prophetandi liceat in utramvis partem modeste sentire & pro re nata dicere; sive saltem sit talis, de qua etsi cum aedificatione ecclesiae in utram-

vis

vis partem [pag. 469] non ita conveniat disserere. non impedit tamen error circa illam: quo minus quis in communionem ecclesiastici coetus recipiatur, aut siquidem existens jam membrum ecclesiae ad errorem illum deflexit, in ea retineatur. Quaeritur autem utra necessitas hic intelligatur. Nos praesupposito, semper eas distingui, & alicubi separari; hic tamen utramque conjungimus, & statuimus tam ad salutem aeternam seu internam communionem cum gratia & gloria Dei, quam ad communionem externam cum ecclesia visibili & particulari ejusque privilegiis necessarium esse, ut quis corde credat & ore confiteatur mysterium Trinitatis. Confessionis autem & cognitionis evidentia, constantia, ubertas, quam latitudinem admittat, & quomodo gradibus varietur distincte indicavimus in *Disputat.* modo cit. *de artic. & error. fundamentalibus*. Remonstrantes doctrinam hanc faciunt problematicam, hoc est, talem, ut veritas ejus simpliciter ignorari, insuper rationibus, exceptionibus, adhaec consequentiis in Ecclesiis Christianis modeste scil. oppugnari, & contraria sententia proponi atque urgeri possit, salva unione & fraternitate ecclesiastica. Ratio autem palmaria haec est, quia hactenus illi credere non possunt, nec à quoquam probatum vident, Deum Anti-Trinitarios à salute excludere; & consequenter illos à fraterna communione Ecclesiae non esse arcendos. Hanc opinionem ipsorum colliges *primo* ex *Apologia cap.* 3. *fol.* 53. coll. cum *praefatione N. N. ad Remonstrantes*, apologiae praemissa, *signo* 2. *fol. verso* Et *ibid.* examine *praefat. fol.* 6. *verso & fol.* 19. *Deinde* ex *Responsio ad Excerpta DD. Proses.* 85. *Tertio* ex *Vedelio Rhapsodo lib.* 1. *c.* 6. 7. 8. Ex quibus scriptis tam perspicue id demonstravit Cl. D. *Vedelius in Arcanis Arminianismi*, ut supervacaneum sit pluribus hoc agere. Post illud tempus editus est libellus nostrate lingua, titulo **Den Rechten Remonstrantschen Theologant**, quo hoc gnaviter agunt, ut persuadeant Socinianos (celeberrimos hodie Anti-Trinitarios) non esse à communione fraterna excludendos, nec errare fundamentaliter, quod scil. probari nequeat illos à salutis spe exclusos. Nuper ex illa cohorte tenebrio quidam cum omnem fraternitatem & salutem Mahumedistis & Pontificiis negare se praetendat, huic judicio haut obscure subtractos velit Socinianos, quibus (quod novum & inauditum hactenus) conjungit *David-Joristas*.

De Argumentis nostris, quae pro affirmante sententia contra Remonstrantium opinionem adducturi sumus, praemonemus I. ea evictura tantam necessitatem, ut homines cum erroribus Anti-Trinitariis in communionem Ecclesiae nostrae aut cujusquam Christianae recipiendi non sint; aut siquidem in communionem ejus antea recepti ad haereses illas declinaverint, & necessariam hanc cognitionem ac fidem pertinaciter excusserint. [pag. 470] in ea neutiquam sint retinendi: quod explicite magis & consectarii vice infra repetemus. II. Praeterea, non posse cum salutari Dei gratia communionem habere, aut aeternae salutis participes esse, siquidem quis hanc veritatem pertinaciter repudiet atque oppugnet. Quamvis autem demonstratio prioris necessitatis sufficeret, tamen utramque in hoc negotio agnosco, & conjungo. In quibuscunque aliis quaestionibus sive juris, sive facti non itidem Non pauci enim sunt casus in quibus alicui receptio in communionem ecclesiae externae & visibilis (imprimis ministro in communionem & societatem ministerii) recte & εὐτάκτως denegari potest & solet, quem tamen omni communione remotiori, aut generali, aut implicita cum omni Christianismo, nec etiam omni vel minima connexione cum gratia Dei & aeterna salute destitutum nolimus pronuntiare. Distinctionem hanc incul-

inculcavi in *Disput. de Articulis & erroribus Fundamentalibus:* quâ omnia Remonstrantium κρησφύγετα, & stramineae consequentiae pro unione sectarum indistincte & subdole ab ipsis tantopere jactata; adhaec pro retentione ministrorum Remonstrantium in communione & ministerio ecclesiarum Belgicarum (contra judicium Synodi Dordracenae) valide eliduntur, ipsique remoto προφάσεων supparo in lucem protrahuntur. Distinctionem talem velint nolint admittere ipsi coguntur nisi in ἄλυτα & ἄτοπα quamplurima compingi velint. Ex. gr. An in communionem coetus & ministerii sui recipiant Remonstrantes Christianum aliquem ex papatu nuper emersum, siquidem mordicus adhuc retineat, non quidem imagines ipsas cultu religioso adorandas, sed Christum per imaginem crucifixi aut crucis adorandum, atque adeo ejusmodi imagines in templis erigendas, ut & imaginem Spir. s. atque adeo coram iis incurvandum, ut Christum per ipsas tanto majori cum attentione & devotione adoremus. Quod si non recipiant, an ergo ab omni Christianismo, ab omni salute simpliciter illum excludant? Rursum quaero an Anti-Trinitarium aliquem e. gr. Valentinum Gentilem, Servetum, Socinum, Ostorodum, Voidovium, Smalcium, Crellium (siquidem moderationem & pacem, proprium illud symbolum Remonstrantium juxta cum illis profiteantur) in coetuum suorum, aut etiam ministerii societatem recepturi sint, non obstantibus haereticis & blasphemis (ut nos arbitramur) dictis ac scriptis eorum de Trinitate. Si dicant se non recepturos, sive propter conscientiam aliorum, sive ob politicas sive ob ecclesiasticas rationes, declarent ergo, an certo ex verbo Dei persuasi sint praedictos illos Anti-Trinitarios non posse salvari, sic stante ipsorum fide. Sed non est quod eos ultra urgeamus; ipsi sibi contradicentes distinctionem hanc aperte proponunt & proposito suo (quam rectè hic non disquirimus) applicant in Vedelio [pag. 471] Rhapsodo lib. 2. cap. 5. p. 121. *Nostrum tamen non esse tristius quidquam decernere contra eos qui necessaria ista convellunt &c. Praestare itaque in mitiorem semper partem inclinemus &c. Deo cordium inspectori relinquentes supremum de eâ justicium, & sufficere rati, ut ab eorum communione abstineamus ex lege & praescripto domini Jesu, citra ullam aliam noxam.* III. Praemonemus argumenta nostra (quidquid forte contra ea Sociniani exceperit) concludere evidenter & αὐτοκατακρίτως contra Remonstrantes. Ipsi enim nullo exceptionum colore aut omnia aut aliqua impugnare queunt, nisi negent aut Dei unitatem, aut τὸ ὁμοούσιον filii & Spir. s., atque ita aperte in Socinianorum castra profugiant.

3. I. *Argum.* Ex *Matth.* 28. 19. coll. cum *Marc.* 16. 16. 1. *Johann.* 5. 7. ubi proponitur hoc dogma tanquam scitu & creditu ad salutem necessarium. II. *Argum. Ex* aperto testimonio *Johan.* 17. 3. coll. cum c. 14. 1. *&c.* 20. 31. *&* 1. *Joh.* 5. 20. ubi de filio, & 2. *Corinth.* 13. 13. ubi de Spir. s. III. *Argum.* Non tantum necesse est cognoscere an seu quod sit Deus, sed etiam quis sit ille verus Deus, alioquin homines cum Pharaone quaererent, quis sit Deus Israelitarum. Jam vero proprius articulus Theologiae supernaturalis, quo etiam imprimis à naturali distinguitur; est cognitio: Quod verus Deus sit pater, filius, Spir. s. ergo. IV. *Argum.* Necessarium est credere unum verum Deum esse patrem, quod etiam ipsi Sociniani in genere fateri coguntur, dum libris suis praescribunt, *De uno Deo patre;* etiam necessarium est credere filium ejus, & Sp. s. Ratio est, quia filius est unus idemque ille verus Deus cum patre, ut & Sp. s. Et qui patrem cognoscit, negat, diligit, odit, in illum credit, cum

cum illo unionem & communionem habet, ille etiam filium cognoscit, negat, diligit, odit, &c. & contra qui filium non novit, negat, odit, &c. ille una patrem non novit tanquam unum verum Deum, eum negat, odit &c. Quod invicte probatur ex *Joh.* 14. 1. & 5. 23. & 7. 28. & 8. 19. 54. 55. 58. & 15. 21. & 16. 3. Apposite ad hanc rem Hilar. l. 9. de Trinitate: *Cum enim Christus ait, credite in Deum, & in me credite, quaero, in quo se in naturae discreverit, qui non discrevit in honore? Dicens enim & in me credite, cum dixisset, & in Deum credite, anne per id, quod ait. Et in me, non & suam intelligitur significasse naturam? Naturam plane separat, si fidem separat* Et paulo post: *Uniens se fidei Dei & naturae ejus se univit, cum memorato Deo in quem credi oporteret, & in se docuerit esse credendum; Deum se per id docens, cum credendum in eum sit ab his qui in Deum credant.* Adversus haec argumenta excipi non potest à Remonstrantibus, omnem necessariam & salutarem fidem Trinitatis esse de tribus illis nudis verbis solummodo, *patris sc. filii, & Spir. s.* aut de chimaerico quodam idolo seu perversa imaginatione quâ sumitur quid pro quo. Creatura scil. temporalis [pag. 472] pro ipsa unica & perfecta natura Dei (quod vocant Spir. s.). Haec enim cognitio pure nominalis sine re, aut potius perversa conceptualis repugnans ipsi rei nullo modo est vera, nedum ut sit veritas fundamentalis. Est enim veritas conformitas conceptus cum re. Sicuti Ligistae in Gallia concipientes Henr. IV. tanquam Dom. Biarnensem (quod alioquin seorsim & per se falsum non erat) eumque tanquam talem solummodo agnoscentes, & regem Galliae eum negantes, quin immo sub tali forma (siquidem ipse se ostentaret, & alii eum agnoscerent) ei maledicentes, & resistentes; non poterant dici habere necessariam & fundamentalem cognitionem Politicam de vero ac legitimo de Rege Galliae, nec sufficientem cognitionem ad debitum obedientiam isti Regi praestandam. Habebant enim tantum perversam & Ligisticam imaginationem, apprehendentes pro Dominatore Galliae idolum aliquod sub titulo Biarnensis, quod nihil minus erat quam Rex Galliae. V. *Argum.* Sine quo dogmate necessaria & summa causa gratiae salutaris & salutis cognosci aut credi non potest, illud ipsum est cognitu & creditu necessarium; Sed sine dogmate de Trinitate &c. Ergo. Probatur minor; Quia cognosci non potest quis sit supremus autor & operator salutis nostrae, quod objectum vitae aeternae. Quicunque enim non agnoscit filium esse personam divinam & unum illum verum cum patre Deum, ille creaturam facit causam efficientem, & objectum suae salutis, & consequenter gloriam quae soli aeterno Deo competit enti creato tribuit. Consideretur locus 1. *Joh.* 5. 10. οὗτός ἐστι θεὸς ὁ ἀληθινος καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Sic qui Spir. sanct. non cognoscit esse personam, ille non cognoscit autorem & agentem principalem communis gratiae salutaris (2. *Corinth.* 13. *vers.* 13. 1. *Corinth.* 12. *vers.* 1. 2. 3. 6. 11.) Actiones enim sunt suppositorum, non vero accidentium. Et persona divina est objectum nostrae gratitudinis atque adeo omnis cultus divini; non vero accidens aliquod sive creatum, sive increatum, quod fingitur. VI. *Argum.* Quod alia fundamentalia (quae ne ipsi quidem Remonstrantes negare ausint talia esse) fundat, & unde illa necessario dependent, ita ut sublata Trinitate omnia illa corruere necesse sit, illud ipsum est dogma fundamentale; immo fundamentum fundamenti, & πρώτως ac κατ᾽ ἐξοχὴν fundamentale. Sed tale est dogma de Trinitate. Inde enim pendent dogmata, de Missione filii, de adventu ejus in carnem, de ejus satisfactione; de suscitatione sui ipsius & aliorum, de missione Sp. s. & divinis ejusdem operibus, illu-

minatione

minatione scil. sanctificatione, consolatione. Docuit hoc satis triste exemplum Socinianorum, qui oppugnando mysterium Trinitatis, eo prolapsi sunt, ut & illa modo dicta & omnia fere alia Christianorum dogmata mirum in modum haeresibus [pag. 473] suis conspucarint & subverterint. VII. *Argum.* Cujus dogmatis negatio est infidelitas, impietas, apostasia, & Antichristianismum, ejus affirmatio est necessaria & fundamentalis ; Sed dogmatis de Trinitate &c. Ergo. Minor probatur, ex 1. *Johan.* 2. *v.* 18. 19. 20. 22. 23. 24. & *cap.* 4. 1. 2. 3. *Coloss.* 1. 15. 16. 17. 18. cum *v.* 23. & *cap.* 2. *v.* 2. 4. 6. 7. 8. 9. 10. Hic agitur de persona filii, quae nulla alia est quam persona divina, & consequenter ὁμοούσιος cum patre Deus. VIII *Argum.* Cujus dogmatis affirmatio à parte nostra, aut negatio à parte Anti-Trinitariorum necessario fundat & infert *aut* ἀσέβειαν impietatem, & recusationem cultus vero Deo praestandi, aut manifestam idololatriam; illud est, cognitu, & creditu necessarium : Sed tale est dogma de Trinitate. Ergo. Probatur minor *primum* quod ad nos ; si filium, & Spir. s tanquam unum verum Deum colimus cultu divino, qui uni Deo tantum conveniat (& non sint tamen unus ille verus cum patre Deus) utique crassam committimus idololatriam & tres Deos essentialiter tales fingimus ac colimus: sin Anti-Trinitarii non colunt filium, & Sp. sanct. tanquam verum Deum essentia cum patre unum, utique ab ἀσεβείᾳ, irreligiositate, immo ab Epicureismo & atheismo excusari non possunt. Quod si cum *Socino contra Francismum Davidis* & similes Anti-Trinitarios malint contendere, Christum quamvis essentia à Deo patre distinctum cultu divino esse colendum, jam tenentur idololatriae & duos Deos colunt, secundum rei veritatem & totius Christianismi judicium. IX. *Argum.* Quod Dogma habet quamplurimos & insignes usus practicos, hoc est (ut ipsi Remonstrantes loqui solent) quod promovet fiduciam & obedientiam Deo Christoque debitam, illud est necessarium ; non vero problematicum, de quo sc. sine noxa aut pietatis & bonae conscientiae jactura in utramque partem liceat libere prophetare. Sed dogma Trinitatis est tale. Ergo. Minorem infra probabimus.

4. Atque haec quidem argumenta directa ostensiva : subjicimus nunc quaedam ab absurdis consequentibus. I. Tum nulla fere dogmata supernaturalis Theologiae seu Christianae fidei qua talis probari possent esse fundamentalia. Experiantur Remonstrantes, enumerent illa dogmata, quae putant talia esse, ut nullo modo contrarium sentientes salvari possint; ostendant ex scripturâ eorum necessitatem, supra dogma Trinitatis, & κατὰ τὸ ῥητὸν, aut saltem *per consequentiam omnibus sanae mentis obviam & evidentem*, ut quidem hanc legem ipsi figunt *Vedel. Rhapsodi lib.* 2. *c.* 5. *p.* 12. 1. Addo etiam nonnulla dogmata naturalis Theologiae, posse haberi tanquam non necessaria, e. gr. Dei praescientiam omnium futurorum, immutabilitatem, & quod solus sit creator. II. Sequeretur fidem Christianam objecto fidei & cultus sui, non distingui, à Gentili, Judaica, Mahumedistica. [pag. 474] Si enim necessario non credat in unitate trinitatem, in trinitate unitatem, jam redigitur ad Theologiam naturalem, & symbolizat cum pseudo-religionibus modo memoratis. Quomodo autem Christiani fides tota essentia & forma distingui debeat apostasia & perfidia Judaica & quidem speciatim hoc dogmate de uno vero Deo, accurate & evidentissime contra Socinianos demonstravit Cl. *Vedelius* in *tract. de Deo Synagogae.* De Gentilium religione nuper aliquid notavimus in *Disp. de Gentilismo.* Addimus nunc tamen de Mahumedica, eam ex vagis & incertis Neo-Scepticorum hypothesibus vix posse convinci,

aposta-

apostasiae absolute exitialis; ea enim praeter pietatem & probitatem, statuit fidem unius Dei, & Christi tanquam magni prophetae ac legati Dei ex virgine nati, immo tanquam Messiae; ita ut in his fundamentalibus non admodum dissentire videantur ab Anti-Trinitariis Francisci Davidis sectatoribus; quos omnes aeterno exitio non devovebunt (uti opinor) Remonstrantes; solis scil. Socini sectatoribus, quia duos Deos vocant, aeternae saluti adscriptis. Quam recte supra alios infideles Mahumedistae de Christo sentiant, innuere voluit Remonstrantium quondam advocatus Grotius in tract. de Veritate religionis Christianae lib. 6. pag. 18. *Nos vero cum Jesum Dei filium dicimus, hoc significamus, quod ipse cum eum verbum ei dicit: verbum enim ex mente suo quodam modo gignitur: adde jam, quod ex virgine, sola Dei opera vim paternam supplente natus est, quod in coelum evectus Dei potestate, quae & ipsa Mahumeti confessa ostendunt Jesum singulari quodam jure Dei filium appellari posse, & debere.* Haec verba lectori Christiano *expendenda* relinquo. III. Sequeretur, non posse evinci errores, Cerintihi, Ebionis, Artemonis, Hermophili, Appolloni & similium monstrorum fuisse fundamentales, non magis quam Arii, Samosateni, Photini, Socini, Francisci Davidis, Serveti. Illis enim aeque ac istis proclive erit excipere se siquidem alicubi errent, paucula illa Remonstrantica fundamentalia tamen retinere, quae sunt: Quod sit Deus, & quod sit renumerator; quod sit unus Dominus Jesus Christus, Aut, ut verbis utar ἀνωνύμου in epistola apologiae Remonstrantium praefixa *Necessaria dogmata voco, quae ex officio nobis in Euangelio Jesu Christi praescripto necessario tenenda ac facienda sunt; ut aeterna salutis participes evadamus; quae tribus his comprehendo; Fide divinorum promissorum, obedientia divinorum praeceptorum, & debitâ scripturis, quibus praeter promissa ac praecepta, alia omnia divina oracula atque enuntiata continentur, reverentia.* Si supradicti haeretici non obstante sententia sua de Trinitate; Christi persona &c. protestentur suam religionem intra illos terminos manere, & mansuram, quantum per conscientiam & infirmitatem fieri potest; quibus scripturae testimoniis excludent illos è regno coelorum, & [pag. 475] consequenter communione sua ecclesiastica? Breviter quo colore, & qua conscientia Remonstrantica segreges coetus à Socinianis hactenus celebrant: cur scissum Christianismum non uniunt? cur novum scisma faciunt, & fovent; cur ad eos ad fraternitatem satis invitantes aperte non accesserunt, cum conscientia eos cogeret (ut praetendunt) à nobis secedere?

5. Argumentis nostris addimus consensum totius Christianismi, apud quem & testimoniis doctorum, & decretis synodorum, & statutis Politicis dogmatis hujus necessitas hactenus praescripta: solis Remonstrantibus in gratiam Sicinianorum dissentientibus. Nam Justinum Martyrem in partes suas frustra pertrahere conantur: ut ostensum est à DD. Professor. Leidensibus in *excerptis ex apologia*, & D. *Vedelio in arcanis Arminianismi.* De Salviano infra *part altera thesi* 3. quid dicemus. Porro catalogum autorum & testimoniorum non est quod hic texamus. *Symbolum Nicenum, & Acta* ejusdem *Concilii*, & *Concil.* 2. *Constantinopol. cap.* 7. *& symbolum Athan.* à toto Christianismo usque in hunc diem approbatum, à solis Remonstrantibus *Apolog. cap.* 3. acerbe & inique reprehensum, huic rei demonstrandae sufficeret: ὅστις βούλεται σωθῆναι &c. Addimus Hilarium lib. contra Auxentium sub finem: *Absistite ab Auxentio Satanae angelo, hoste Christi vastato, perdito fidei negatore, quam sic est regi professus ut falleret; sic fefellit; ut blasphemaret. Congreget nunc ille &c. mihi certe ille*

ille nunquam, quam diabolus erit, quia Arianus est. Neque pax aliquorum unquam optabitur, nisi eorum qui secundum patrum nostrorum apud Niceam tractatum, anathemizatis Arianis Christum Deum verum praedicabunt. Fulgentius libr. de Fide orthodoxa ad Donatum: *Proinde principaliter teneas sanctam Trinitatem, id est patrem & filium & spiritum s. naturaliter verum esse Deum, summum verum & bonum, unius naturae, essentiae* &c. Postea subdit: *Docet nos & admonet grave peccatum esse, si quis extra unum Deum alium credat. Alium sine dubio credit, quisquis in patre, & filio, & Spiritu s. diversitatem divinitatis existimat.* Confer & *Basilium l. 2. c. Eunomium,* in principio & in fine. Et *Eulogium apud Photium in Myrobiblo n.* 220. Plura adducere nec ratio thesium patitur, nec etiam necesse est, quia adversarii consensum non negant, saltem jam inde à tempore Concilii Niceni. Quod autem ante illud Concilium Catholicae Ecclesiae sensum longè alium fuisse velint Sociniani, & cum illis *Venator* in *Theologia vera & mera,* & Remonstrantes in *Apologia* & *Responso ad Excerpta* DD. *Profess. Leidens.* id abunde refutari poterit ex *Polani Symphonia Catholica & Syntagmate;* item *Paxilli* tractatu peculiari; cui tit. *Monomachia* & *Coccii Thesauro Catholico*: imprimis causam eandem agit *Calv. l.* 1. *Instit. c.* 13. *sect.* 27. 28. *Bellarminus lib.* 1. *de Christo cap.* 10. Quem vide Quamplurima loca patrum annotavit *Elmenhorstius in commentario ad Gennardium cap.* 1. Unum [pag. 476] tantum hic addimus Gregorium Neo-Caesariensem dictum Thaumaturgum. Sic is in 12. anathematismis cap. 2. p. 30. edit. Gerardi Vossii: *Si quis dicit carnem Christi* ὁμοούσιον, *id est, substantialem esse divinitati, & non confitetur ipsum in forma Dei, Deum esse ante saecula, & seipsum exinanisse, & formam servi accepisse, sicut scriptum est, anathema sit.* Idem in alia fidei expositione p. 23. *Eos vero qui communicant cum iis, cui rejiciunt* ὁμοούσιον, *(En* ὁμοούσιον, *in usu SS. patrum, Ante Concilium Nicaenum) tanquam alienum à Scripturis, & qui dicant aliquid ex Trinitate creatum esse, & ab una naturali divinitate separant: alienos existimamus, & cum nullo ex istis communionem habemus.* Vixit autem hic Gregorius a. 133. Constitutiones Politicae quibus veritas & necessitas hujus dogmatis confirmata, sunt Gratiani, Valentiniani, Theodosii, Martiani, Justiniani, quas vide in C. *de summa Trinit.* ubi prohibetur, ne quis publice de hac fide contendere audeat, & heterodoxi dicuntur Judaice & apostatice huic contradicere, & haeretici nominis infamiam sustinere, Christianorum & Catholicorum nomen illis negandum congregationes eorum prohibendas. Sic *L. Damnato C. de Heret. Manich.* inter alios Arrianis & Photinianis usurpatio nominis Christianorum plane interdicitur ut & *L. Ariani* & *L. Quicunque, d. t.* omnia privata & clandestina conventicula prohibentur; & *L. Quoniam* iisdem testimonialia judicia contra orthodoxos inhibentur & *L. Ariani* & *Quicunque* ecclesiae ipsorum nominantur *conventicula* & *quasi ecclesiae, parasynaxes.* Juxta hanc decisionem Juris Consulti, antiqui & recentiores, cujuscunque fuerint professionis, hoc dogma inter necessaria retulerunt. Est enim *praecipua pars religionis Christianae,* ut ex pontificiis *Cujacius;* est *fundamentum fidei orthodoxa,* ut ex nostris (tunc cum hoc scriberet) commentatur *Pacius.* Nec poterit, ut opinor, dari ullus interpres Juris, qui aliter sentiat. Adde ex Juris Graeco-Romani tom. 1. prolixum edictum Justiniani de Fide orthodoxa: ubi imprimis notanda ista capitula seu anathematismi p. 5. 33. (edit: gr. lat. Leunclavii & Freheri in fol.) *Si quis Fon confitetur Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum Trinitatem consubstantialem, unam Deitatem*

consubstantialem, & unam virtutem & potestatem in tribus subsistentiis seu Personis adorandam, talis anathema sit. Et pag. 535. *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, & Eutychen, & eos, qui similia eis sapuerunt vel sapiunt, talis anathema sit.* Videant nunc hodierni Remonstrantici, si qui sint, ICC. quomodo honorem nominis & professionis suae tueantur, cum Societatis Remonstranticae proprium genium & studium in haeresibus & *sectis funestissimis* (ut eas vocat Imperator) à toto Christianismo & ecclesiastice & politice proscriptis tolerandis si non interpolandis, calculo suo & patrocinio dignantur. Objectiones & exceptiones, [pag. 477] quaecunque adversus thesim nostram & argumenta hactenus adducta proferri possent, nunc non diluemus, ne studiosis materiam disputandi praeripiamus. Vide infra *part. alt. thesi* 3. & 4. Supra *thesi* 1. & *disp. de Articulis & error. fundam.* : ubi putamus abunde fontes solutionum à nobis suppeditatos; quos facile erit strophis & φλυαρίαις omnibus adaptare.

PARS II.

DE UTILITATE & PRAXI HUJUS DOGMATIS.

1. Socinianorum Theologia ut in plerisque dogmatis Christianis Libertino-Sceptica, & fere nulla est: sic in praxi misere strigosa, vix ultra Senecae, Plutarchi & recentium Enthusiarum ac Libertinorum, ut & Muhammedistarum moralia ascendens. Remonstrantes quam dextre praxin religionis intelligant & doceant (de factis ipsorum nobis hic non est disputandum) indicavi in *Tractatu* meo contra blasphemum *libellum Tileni* a Remonstrantibus nostrate lingua editum: cui nihil post annorum aliquot silentium reposuerunt, quam: *Se non capere, aut nescire quid velim.* Ago enim in illo tractatu de utilitate nostrae doctrinae de praedestinatione & gratia Dei ad praxim consolationis & novae obedientiae; & de ineptitudine Doctrinae Remonstranticae ad eandem. At hic non est ager Rhetoricae Socinianae. In *Confessione* suâ usus practicos doctrinae de attributis divinis (quae ibi tractant) seu de uno vero Deo satis fusè annotant: Sed praxin Trinitatis plane praetereunt. An quia utile tantum sit, verò purè putè speculativum (juxta distinctionem *Episcopii in Disput. privatis Disp.* 2. *thesi* 4.) ipsi declarent. Quod cum objecissent ipsis Cl. DD. Professores Leidenses in *Censurâ Confess. cap.* 4. nullum aliud responsum inter multa scommata, & dicteria tulere *Apolog. c.* 3. *fol.* 52. 53. quam : Usus illos, quos divinitatis conceptus praebet jam ante in capite de Naturâ Dei fuisse annotatos, nec alios proprios & novos ex personarum trinitate colligi posse. Nos contra statuimus cum orthodoxis, ut omnium articulorum fidei, sic etiam & hujus de Trinitate suos esse usus practicos, proprios scil. & peculiares. Sunt quidem omnes articuli fidei una copulativa, (ut de praeceptis legis dici solet) & in concursu ac causalitate suâ stant pro causâ seu principio uno: sed tamen quilibet seorsim tanquam causae partiales seu partes systematis & corporis fidei pro sua parte peculiari quâdam vi & proprietate agunt, movent, ac promovent ad praxin: haut aliter ac corpus organicum tanquam totum collectivum concurrit ad actiones vitales producendas, & nihilominus singulae partes in illo toto concurrunt & quaeque pro suâ parte operantur facultate & formâ propriâ.

2. Proba-

2. Probamus autem hanc sententiam nostram his argumentis. I. *Argum.* Quidquid à parte rei distinctum est aliquatenus (quamvis non realiter) praeterea in mente nostrâ distinctis conceptibus concipitur (quamvis partialibus & inadaequatis) nobis peculiares & aliquâ ratione distinctos usus tum objectivè tum effectivè suggerit. Sed unica essentia seu natura divina, & quaelibet persona divina, habent distinctas rationes formales, seu distinctos conceptus tum objectivos tum formales; quin etiam personae realiter inter se distinguuntur & sic à nobis concipi debent. Ergo distincta personarum quod ad originem, & ordinem seu modum tum subsistendi tum ad intus operandi visio & intellectio spiritualis distinctâ quadam perfectione, & voluptate ex luce illâ contemplationis exortâ mentem & voluntatem hominis perfundit atque afficit. Cur enim divina illa veritas, *In uno Deo est incessabilis trinitas*, lumine suo ad praxin sensus spiritualis, ac quiescentiae fidei, admirationis, reverentiae, honoris, gaudii, nos non excitet? Si enim omne verbum Dei timorem, gaudium, desiderium, amorem, humilitatem in nobis concitare debet, (*Jes.* 61. 1. 2. 10. *Psal.* 19. & 119. 8. 9. & 119. 72.) quidni & hoc verbum mirificum (ita loquar) de Trinitate. II. *Argum.* Cognitio & fides, quis sit unus ille verus Deus, habet usum & praxin verae religionis (Christianae scil.) immo magnam ejus partem facit; nec omnis ejus praxis haberi aut absolvi potest cognitione τοῦ, quod & quid sit verus Deus. Jam verò solum dogma de Trinitate tradit, quis sit verus Deus. Ergo. III. *Argum.* Si peculiaris & appropriatus ordo ac modus operandi personarum in operibus ad extra peculiari ratione peculiarem praxin objicit & suggerit, devotionem, scil. fidem, adorationem, amorem, fiduciam &c. Ergo dogma de Trinitate habet in mente ac voluntate nostrâ peculiares usus practicos. Sed verum prius. Major probatur, quia usus illi ut sic & sub illâ notitione non perciperentur, nisi prius concipiatur distinctus ordo personarum. Minor probatur; quia peculiarem habet usum; si Deum patrem secundum scripturas agnoscimus & credimus creatorem, filium redemptorem, Spir. s. consolatorem. Est quidem unum opus, & unus opifex, sed modus atque ordo operandi est distinctus. IV. *Argum.* Quia peculiari & distincto mentis conceptu & religionis actu tendimus in unam aliquam personam, ut eodem illo actu tunc directè & explicitè non tendamus in aliam: unde sequitur distinctam praxim religionis proximè oriri ex distinctione personarum, atque à distinctâ personâ proximè & immediatè terminari. Quod certè evincit proprios usus practicos fundari in Trinitate personarum. Antecedens probatur: Quia preces & gratiarum actiones distinctè & seorsim diriguntur ad Spir. s. aut ad filium, aut ad patrem; quod docet universalis [pag. 479] consensus & devotio omnium fidelium *Actor.* 7. 60. *Apocal.* 22. 20. 2. *Cor.* 13. 13. — V. *Argum.* Quia sequeretur doctrinam de triade in Deo ejusque distinctum conceptum plane sterilem esse (siquidem nullos peculiares usus ex se funderet) solum vero conceptum de monade utilem & sufficientem esse ad omnem pietatem; siquidem omnes usus ex illa sola, praecisè ac in se absque respectu ad triadem in nobis generari dicantur. Itaque fertilem & practicam non magis esse doctrinam de Trinitate, quam multa genealogica, geographica, physica, chronologica in scripturis. VI. *Argum.* Sequeretur Judaeos, Mahumedistas, item Arrianos, Socinianos medullam verae pietatis & praxeos ex doctrina de uno vero Deo ejusque attributis, sufficienter ad salutem posse habere: modo scil. fundamentalia illa de attributis Dei, quae Remonstrantes in *Confess.* & *Apolog.* creditu necessaria statuunt: admittant: quod plurimos eorum haut gravatè factu-

facturos arbitror. Unde & hoc sequeretur, non esse admodum laborandum, ut Muhamedistae & Sociniani saltem (qui Deum & Christum non negant) convertantur; siquidem enim pro modulo cognitionis suae praxim pietatis exerceant, quid tantopere indigent tam laboriosâ & periculosâ saepe religionis suae mutatione. VII. *Argum.* Pertinet ad praxin religionis, immo in eo est omnis praxeos fundamentum & quintessentia, ut is & talis Deus debitâ cognitione, fide, confessione, amore, timore, obedientia &c. colatur, qui & qualis coli debet, seu quem & qualem ipse se coli vult: Est enim haec genuina praxis ut honor, amor, fides divina soli vero Deo tribuatur, & non alteri. Vult itaque Deus se coli non unum tantum, sed & trinum, non tantum patrem, sed & filium cum spiritu s.; Atqui talis praxis nulla erit, ubi non praesupponitur cognitio dogmatis de Trinitate. Quidquid enim ex fide non est peccatum est *Rom.* 14. Et nihil volitum, nisi cognitum; & tantum diligimus quantum cognoscimus. VIII. *Argum.* Quod tanquam exemplum & norma intuendum nobis proponitur, tum ad consolationem tum ad imitationem, illud movet ac promovet in nobis praxin. Sed trium admirabilis unitas inter se respectu ejusdem divina essentiae tanquam perfectissimae conjunctionis exemplar proponitur *Johann.* 17. 10. 11. 21. 22. 23. coll. cum *Johann.* 10. 38. & 19. 11. Tenet autem Christianismus contra glossas Anti-Trinitatis, hic non intelligi conjunctionem solummodo voluntatis & consensus, sed ineffabilem illam in unitate ejus essentiae individuae, quae fundamentum est (ita loqui liceat) unitatis in volitione & consensu. Vide *Augustin.* & *Cyrillum Alexandr.* ad *locum. cit.* & *Hilarium libr.* 8. *de Trinit. Ambros. lib.* 3. *de fide c.* 2. *Athanas. serm.* 4. *contra Arrianis.*) Nam personae divinae *inconfusè uniuntur, & divisè discernuntur*, ut loquitur [pag. 480] Athanas. in Matth. 2. *Omnia mihi trad.* & *Nazianzen. orat.* 3. *de pace. Damascenus Orth. fidei lib.* 3. *c.* 5. immo est earum ἐν ἀλλήλοις μονὴ καὶ ἵδρυσις, *mutua immanentia & stabilitas.* Damascen. Orth. fid. l. s. c. 19. & ἀσύγχυτος ἐν ἀλλήλαις περιχώρησις *inconfusa. mutua comprehensio;* quam alii *circuitionem*, & *circuminsessionem* transferunt. (*Idem lib.* 1. *c.* 11. & 3. *c.* 5. *Cyrillus de Trinit. & personâ Christi.*) An non mediatio mysterii istius secundum scripturas cit. suavissimâ consolatione corda fidelium perfundet dum discurrunt ab unione patris & filii, ad communionem, mansionem, inhabitationem, arctissimam praesentiam patris per filium in nobis (*Joh.* 14. 23. coll. cum *Joh.* 20. 31. & 17. 10. 22.): & rursum ascendunt ab inhabitatione, & amplexu divino quam in se sentiunt *Roman.* 5. 5., ad unionem patris cum filio non κατ' οἰκονομίαν tantum, sed & κατὰ θεολογίαν considerato: in quam contemplationem ultima fidei & fiduciae salutaris fit analysis: hic enim summus totius religionis apex, hoc πρωτόπρωτον fundamentum: Deus unus & trinus. An non mutua haec possessio, περιχώρησις & inhabitatio Dei in nobis & nostri in Deo, verè tabernaculum σκήνη Dei cum hominibus, melius concipi, firmius apprehendi, suavius sentiri posset, si tanquam exemplum, motiva, στήριγμα, ἑδραίωμα infirmis & fluctuantibus conscientiis nostris admoveatur. Unio personarum deitatis, amor patris erga filium? Quidni liceat exclamare praeeunte loc. cit. servatore: Ego domine Iesu, patris tui sum; quia tuus sum, & tu es patris; Pater me diligit, quia tu me diligis, & pater diligit filium. Pater in me manet, & quis me separabit ab ejus dilectione in Christo *Rom.* 8.? Quia filius in me manet, & pater manet in filio. Haec quidem praxis consolationis. Nec minor hinc praxis excitationis ad imitandam hanc unionem, ut arctissime & ἀχωρίστως Deo nos ipsos uniamus per fidem,

& cari-

& caritatem, ut *undique sibi inhaereant Deus & homo* (Vide *Bernard. serm.* 71. *in cantica* & *tract. de amore div.* 4.) adhaec ut cum fidelibus studeamus servare unitatem spiritus per vinculum pacis *Ephes.* 4. Filius Dei dominus & caput nostrum cum patre unus est, & nos illi non uniemur? Personarum Trinitas in unitate essentiae & voluntatis à nobis creditur & adoratur; an non unitati & paci inter nos studebimus? unum cor & una anima erimus? Sed pluribus haec amplificari non sinit Ratio Thesium. Meditentur studiosi diligenter *loca cit.* & datâ occasione conferant quoscunque commentatores; imprimis ex nostris, *Calvinum* & reliquos à *Marlorato* conjunctos; ex Pontificiis I. *Ferum.* Exhibeo nunc tantum suavissimum illud dictum Bernardi tract. de Amore divino cap. 4. *Et haec est in nobis voluntas filii tui, haec pro nobis oratio ejus ad te Deum patrem suum: volo sicut & ego & tu unum sumus, ita & in nobis ipsi unum sint. Hinc est finis, haec est consummatio, haec est perfectio, haec est pax, hoc est* [pag. 481] *gaudium in Spiritu. s., hoc est silentium in coelo.* Et Augustini tract. 48. in Johannem: *Nos possumus dicere in Deo sumus & Deus in nobis. Ego & Deus unum sumus, nunquid possumus dicere? In Deos es, quia Deus continet te, Deus est in te, quia templum Dei factus es; sed nunquid quia in Deos es, & Deus est in te, potes dicere: Qui me videt, Deum videt. Quomodo unigentius dixit, Qui me videt videt & patrem, & ego & pater unum sumus? Agnosce proprium domini & munus servi. Proprium domini est aequalitas patris, munus servi est participatio salvatoris.* Adde celebrè illud Epigramma Melanthonis; *Nec tu nate Dei majus meliusve rogare, Aeternum poteras, optime Christe, patrem;* &c. Quod si verò excipiant Remonstrantes piissimos illos amore Dei & Christi serventissimos Socinianos, ad cultus ejus & praxim nihilominus eniti quamvis filii unionem cum patre essentialem non agnoscant: (Vide *Smalcium libr. de Divinit. cap.* 24.) *Respondemus*, falsum & absurdum dogma, seu idolum perversae imaginationis humanae, esse malum, atque adeo nullam verae solidaeque pietatis praxin posse fundare. Cujus axiomatis veritatem evidenter agnoscunt Remonstrantes (quamvis malè applicent) cum contendunt doctrinam de absolutâ praedestinatione & perseverantia omnem praxin plane subvertere, nedum ut faciat ad praxim. *Sed instant*; non ex dogmate suo de Trinitate habent eximium illum amorem Christi & fratrum; sed aliunde. *Resp.* aliunde habere non possunt, cum dogmate ipsorum funditus subvertatur. Amor erga Christum debebat esse divinus, veri scil. & aeterni Dei; at ipsorum amor, si quis sit, est humanus seu Christi ψίλου ἀνθρώπου. Jam verò ut praxis propria & actus elicitus fidei divinae, non est fides humana; sic praxis amoris divini non est amor hominis seu creaturae. IX. *Argum.* Praxis fiduciae, consolationis & gratitudinis nulla elici potest ex eo, quod in altissimâ rupe collocata sit salus nostra, in Jehova scil. justitiâ nostrâ, magno & forti Deo, & consequenter sit invincibilis quod ad impetrationem & applicationem: nisi fides praesupponat filium esse unum illum Deum, & tamen personam distinctam esse apud Deum, esse alium à patre. Usus hi amplificari solent *ad loc. comm. de Aeternâ filiatione & deitate Christi:* item *de ejus incarnatione, seu de persona mediatoris.* item *de ejus officio & satisfactione.* Ubi quaerendi. X. *Argum.* Ad praxim pietatis facit consideratio personae & deitatis Spirit. sanct. *Consolationis* est, quod datus sit nobis ut nos ducat in veritatem, nos obsignet, testetur cum spiritu nostro & nobiscum in aeternum maneat (*Johan.* 16. 7. 13. & 14. 16. 17. 26. *Rom.* 8. 15. 16. 26. *Corint.* 1. 22. *Ephes.* 4. 30) *Exercitationis* ad pietatem est, quod non debemus illum con-

contristari *Ephes.* 4. 30. ei resistere *Hebr.* 3. 12. 13. 18. Eum exstinguere 1. *Thessal.* 5. & quod debemus ei nos totos tanquam sancta illius templa consecrare 1. *Corinth.* 6. 19. [pag. 482] 20. ejus communionem desiderare & precari 2. *Corinth.* 13. 13. Quae amplificata vide in patrum & recentiorum concionibus de Missione Spiritus s. & in *loc. comm.* de *Persona Spir. sanct.* ut & in *commentariis ac concionibus ad loc. cit.* XI. *Argum.* Praxis pietatis est agnoscere & recipere summum testimonium de veritate religionis, & nullam ex divinis personis tanquam intestabilem à testimonio dicendo submovere. Atqui cognitio unius Dei sine cognitione trinitatis hanc praxim fundare nequit. Vide 1. *Joh.* 5. 7. 9. 10. 11. 12. 13. submovebitur enim à testimonio dicendo filius, & spir. s. quippe ex sententia Anti-Trinitaria non sunt prima veritas revelans. XII. *Argum.* Quia omnis doctrina scripturae est utilis ad praxim; 2. *Timoth.* 3. 16. Sed dogma de Trinitate (ut contra Anti-Trinitarios illud tenet Christianismus) est doctrina scripturae, & quidem primaria, multis locis proposita, generalis, unde reliqua Evangelii dogmata derivantur & necessario pendent. Ergo. XIII. *Argum.* Quod facit ad obedientiam fidei, piam humilitatem, & profundam sui ipsius abnegationem, illud facit ad praxin. Sed cognitio & fides mysterii Trinitatis facit imprimis ad talem obedientiam, humilitatem, & abnegationem sui ipsius. Quia nullo lumine naturali per viam causalitatis aut negationis investigari potest; nec cum jam τὸ ὅτι ex scriptura constat, ratione humana percipi, propter altitudinem veritatis occultae quantum ad τὸ διότι & τὸ *quomodo* scil. Itaque in multas angustias cogendae cogitationes nostrae, & frenum ingenio nostro quamvis reluctanti injiciendum. Atqui heroica praxis est seipsum & insanientem sapientiam suam contundere & vincere Non possum non huic proposito aptare verba Jul. Caes. Scaligeri Exercit. 165. sect. 9. *Interest enim & nostrae pietatis, & Dei immensitatis ea sentire de Deo, quae sentire non possumus: sentire quidem in ipso per ipsum, quae per nos sentire nequeamus.* Ne quis autem excipiat cognitionem non esse praxin nec sub ea contineri, aut ad eam reduci; reponimus dicta scripturae *Coloss.* 3. 16. *Philipp.* 1. 9. 10. 2. *Thessal.* 1. 9. Et sic Theologi omnes veram Dei cognitionem referunt ad primum decalogi praeceptum; cum quibus faciunt Remonstrantes in sua *Confessione cap.* 12. Breviter nemo potest Deum & Christum religione colere, ni fiat discipulus Christi & cognoscat quis Deus colendus sit. XIV. *Argum.* Cujus cognitio & fides facit ad odium & fugam errorum & malorum phantasmatum de uno vero Deo; insuper ad reprehensionem, laboriosam convictionem, & conversionem Muhammedistarum, Judaeorum, Arianorum, Socinianorum, aliorumque errantium; praeterea ad zelum precum pro iis errantibus; denique ad instructionem ignorantium, aut ad confirmationem dubitantium circa hoc dogma; ejus cognitio prodest ad usus practicos peculiares [pag. 483] juxta *Rom.* 10. 13. 14. 16. *Ephes.* 1. 18. & 4. 14. 15. 1. *Timoth.* 6. 3. 20. *Jacob.* 5. 19. 20. Sed dogmatis de Trinitate cognitio &c. Ergo. Nam ignoti nulla cupido. Si quis enim hoc dogma non cognoscat ejus veritatem non amabit, nec ullo zelo propagationem ejus procurabit. Qui tantum Deum ut unum novit & credit, non vero ut trinum personis, ille non decertabit, pro fide, quae semel data est sanctis, cujus pars est dogma de Trinitate. Breviter Deum trinum non glorificabit corde, ore, precibus, hymnis, confessione, apologia, martyrio. Atqui pars seu actus religionis est istis modis glorificare Trinitatem.

3. XV. *Argum.* Accedit consensus tum antiquorum, tum recentiorum, qui peculiares

culiares

culiares usus hujus dogmatis agnoverint. Hinc ejus dogmatis professio exigebatur à baptizandis (vide *Disput. de Symbolo apostolico thes.* 2. & *autores ibi cit.)* rudiores de eo catechizabantur, quod etiam sarcasticè ipsis objicit *Lucianus in Philopatri.* Quamvis *Jacobus Micyllus in notis* suis *ad Lucianum* dubium moveat; an tractatus ille sit Luciani. Sed nullam dubitandi rationem adducit. Preces, & doxologiae publicè fiebant ad personas Trinitatis conjunctim & seorsim; ut colligere est ex *symbolo Athanasii.* liturgiis & scriptoribus liturgicis; hymnis tum ecclesiasticis tum privatis in filium aut spiritum s., inter quos celebris: *Veni creator spiritus*, *Mentes tuorum* &c. Et Hymnus Ambrosii: *Jam lucis orto sydere* &c., & alius ejusdem: *Conditor alme sydcrum* &c. Et alius ejusdem: *Veni redemtor Gentilium* &c. & incerti: *Tu trinitatis unitas &c.* Et alius incerti, *Deus creator omnium* &c. Et alius: *O pater sancte, mitis atque pie* &c. & Bedae: *Primo Deus coeli globum &c.* Et Prudentii: *Da puer plectrum* &c. & Paulini: *Refulget omni luce mundus aureâ* &c. Et Anonymi: *Adesto sancta Trinitas.* Hos aliosque hymnos vide collectos à *Lud. Clichtoveo* cum commentariis, in libro cui tit. *Elucidiatorium Ecclesiasticum &c.* Post quem idem & alii praestiterunt, inter quos *Georgius Cassander in Liturgicis*, ubi & notis eos illustravit. Vide & *Prudentium in praefat. apotheosis*; & *in ipsâ apotheosi.* Inter mediae aetatis scriptores *Hildebertus* pium hymnum de Trinitate conscripsit: quem vide apud *Honsdorfium in Theatro ad* 3. *praec.* ubi citat *Vincentium Bellovacensem lib.* 25. *c.* 114. *Possevinus in apparatu sacro in Hildebertus*, ait hymnos illos inveniri apud *Antonium* (*Vincentium* voluit dicere) *speculi hist. tit.* 16. *c.* 3. Sed quia Vincentius ad manum non est: lectorum industriae locum inquirendum relinquo. Quibus hoc non vacat, legant eum in *Honsdorfii Theatro.* Non pauca etiam, quae huc faciant, conquiri possunt ex *scriptoribus de Divinis officiis*, uno volumine Coloniae 1568. editis *per Historpium;* qui iidem collecti tomum faciunt in *biblioth. patrum Margar. de la Bigne.* Exstant etiam *Liturgica Claudii de Sainctes.* Et *Liturgiae Graecorum*, *Syrorum*, *Armotriorum*, *Cophtitarum* [pag. 484] seu *Aegyptiorum* &c. quae omnes celebrant Trinitatem in unitate. Nazianzenus sent. spir. lib. 3. Πάντα μὲν αἰὲν ἄριστα &c. hoc est, *Optima quaeque decet divinitus edere facta, Imprimis Triados sed meminisse sacrae.*

Idem in praefat. ad carmina sua: Οἷον ἐμοὶ κτέαρ ἔσκεν &c. hoc est interprete Joh. Lango:

In rebus duris, luctus solamen acerbi,
Unum praesidium, spes fuit una mihi,
Communis splendor Triadis &c. Et in fine:
O mihi sit parata Trias, nunc undique telis
Quam pulsant: bellum supprime sancta Trias.

In voto & juramento episcopali peculiariter amorem suum declarat erga veritatem de Trinitate: Ὤμοσα τὸν λόγον &c. h. e. interprete Johan. Lango pag. 50. 51.

Per verbum juro, per numen scilicet ingens,
Principis aeterni principiumque Patris,

Arche-

Archetypi effigies, & par natura parenti,
Ad nos qui regno venit ab aethereo:
Juro iterum atque iterum, fidei pugnantia verae
Non errabundum dogmata prava sequi:
Nec me mente alia mentem mutare supremam.
Nec verbis verbum deteriore Dei.
Si triadis sanctae divinum scidere honorem,
Rebus in adversis turgida vela sequens:

Εἰ τριάδος θεότητα διατμήξαιμι &c. Formulae precum sub nomine Basilii, Chrysostomi, Damasceni &c. ex *libello precationum graecarum descriptae à Camerario*, & editae cum aliis recentioribus gr. lat. Ubi nota pag. 76. 77. in precatione matutinâ Gregoıii Nazianz.: σε καὶ νῦν εὐλογοῦμεν χριστέ μου, λόγε θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς ἀνάρχου, καὶ πνεύματος τιμία, τριττοῦ φωτὸς εἰς μίαν δόξαν ἀθροιζομένου. Et p. 81. in precatione vespertinâ Basilii. Εὐδοκία, καὶ ἀγαθότητι τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, μεθ' οὗ εὐλογητὸς εἶ, σὺν τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. Et pag. 91. in precatione Basilii post perceptam eucharistiam. Δέσποτα χριστὲ ὁ θεὸς βασιλεῦ τῶν αἰώνων, καὶ δημιουργὲ τῶν ἁπάντων &c. Quam ita concludit. σὺ γὰρ εἶ ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, ἡ πηγὴ τοῦ ἁγιασμοῦ, ὁ δοτὴρ τῶν ἀγαθῶν, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν, σὺν πατρὶ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων [pag.485] ἀμήν. *Pag.*145.150 exhibet formulas recentes piarum precationum, distincte & seorsim ad patrem, filium & spiritum s. *pag.* 227. exhibet formulas recentes gratiarum actionum: Ubi distinctè gratiae aguntur patri, filio & spiritui s. Nec praetereundum jam inde ex antiquitate usque in hunc diem celebre illud in oriente & occidente τρισάγιον, quo perpetuam sacratissimae Trinitatis ὁμολογίαν & δοξολογίαν in ecclesiis suis sonare voluerunt. De quo vide *Baronium in annal. ad ann.* 446. § 12. 13. Imprimis in operibus *Damasceni* prolixam epistolam de Trisagio; & eundem *lib.* 3. *de orthod. fide cap.* 10. Et *Johann. Meursii Lexicon Gracco-Barbarum:* ubi in voce τριάγιος multa de eo notavit. Si legantur homiliae patrum de Trinitate, de filio, de spir. s.; & qui dogmaticè ac elencticè dogma hoc tractant (quales *Nazianzenus*, *Athanasius*, *Basilius*, *Augustinus*, *Hilarius*, *Alcuinus*) videbimus non esse tam siccum & sterile, ut nonnulli arbitrantur: quod docent imprimis practicae meditationis preces, adhortationes, quibus *Augustinus*, *Hilarius*, tractatus suos concludunt, & *Nazianz. orat.* 1. *de filio*, & *orat. adv. Arrian.* & *de seipso* & *Orat. de Sp. s.* Idem in *Orat. in Pentec.* passim per totam. Omnibus illis antiquior *Clemens Alexandrinus in eleganti precatiuncula & gratiarum actione*, qua concludit suum Paedagogum. Quam vide. Recentiorum usus practicos, quos habent in *loc. comm. de Mediat.* imprimis in commentariis non vacat nunc conferre. Indico studiosis, pauculos, quos consului, qui seorsim & ex professo aliquid de iis adnotarunt, *Nicol.* scil. *Bifeldium*, *in Hypotyposi saniorum sermonum*, & Cl. DD. Professores Leidenses in *Censura confessionis Remonstr. Pezelium in Disp. de Trinitate* inserta *Examini Melanthonis p.* 170. *D. Gomarum in Disput. de persona patris & filii, & altera de Spiritu s. Melanthonem in locis communibus* sub finem loci *de Spiritu sancto*; ubi piè admodum monet de praxi hujus doctrinae, & per eam orthodoxiae confirmatione. Vide ipsum: & in *Consiliis part.* 2. *p.* 397. ubi habes pias preces ad trinitatem, filium

filium, & spir. s., paucis ante obitum diebus ab ipso scriptas. Voluissem librum *Gisberti Schevicavii Soc. Jesu de Trinitate* cognoscendâ, amandâ, laudandâ, olim conspectum, percurrere, si forte symbolam aliquam huc contulisset: sed nunc ejus mihi non est copia. *Lorinus in comment. ad Sapientiae cap.* 7. *v.* 22. 23. multa colligit attributa spir. s. quae ad praxim piarum meditationum, & concionum usum suum praestare possint. Adde *Ludovici de Ponte meditationes, in Introduct.* § 1. *&* 5.

4. Exceptiones Remonstrantium in apologia p. 53. nunc removendae. 1. *Usus*, inquiunt, *doctrinae de Deo praemissi fuerunt &c. nunc tantum hoc capite asseritur, Deum illum se patefecisse sub tribus personis seu hypostasibus. Quis, nisi vecors novos usus hic fingat. Quicunque enim hic fingenter usus, ii non fingenter sub* [pag. 486] *alio conceptu, quam sub conceptu Deitatis. Persona ut persona est, simpliciter usum praebere non potest, nisi quatenus persona divina est. Resp.* 1. Quid per personam intelligant non satis capio. Personam filii cum dicimus aut cogitamus, non praescindimus deitatem, sed & personalitatem illi propriam & essentiam Dei simul intelligimus, hoc est, Deum filium. Jam autem usus quos hic annotavimus, alii sunt quam quos de Spir. s.; alio enim conceptu intelligitur Spir. s. & alio filius; immo ipsi sunt revera alius & alius. 2. Si Trinitatem seu tres personas simul, aut unam ex illis seorsim cogites; jam illarum praecisi conceptus non sunt conceptus deitatis ut sic & praecicè consideratae: neque enim notio & conceptus triadis seu multitudinis & distinctionis est conceptus unitatis seu unionis. Si ergo eodem conceptu formali non intelligis filium, aut Spir. s. quomodo non proprios usus practicos suggerent effata illa: *Coloss.* 1. *v.* 15. 16. 17. 18. cum *Hebr.* 1. 2. 3. de filio; & effata *Johan.* 14. 16. 17. & 15. 26. de Spiritu S., & de patre *Johann.* 5. & 16. *v.* 15. 23. 27. & 17. 26. 11. & de tribus 2 *Corinth.* 13. 13. Cur ergo scriptura distinxit? Nisi dicant omnia illa inferre distinctiones purè nominales, aut ad summum rationis ratiocinantis. Non est autem quod hic praetexant metaphysicos terminos & distinctiones: ipsi enim nobis praeeunt; suo *quatenus*, & *sub conceptu*, & *realiter distincta*. 3. Siquidem propter conceptuum conjunctionem, aut mutuam ac necessariam ad se invicem relationem (juxta illud Nazianzeni: Οὐ φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι καὶ τοῖς τρισὶ &c.) nullam eorum distinctionem patiantur, per proprios ac peculiares modos & respectus saltem; non video quid Sabellio responsuri sint? Quid itidem illis qui ignorant aut dissimulant tres personas, siquidem praetexant, se unum Deum confitendo triada jam confessos, quia trias non concipiatur nisi sub conceptu unicae essentiae divinae. 4. Verum quidem est triada esse unam essentiam, & unam essentiam esse triada (in sensu scil. identico, sed non in sensu formali): sed ideo conceptus illus non est hujus, nec vice versa: sequetur enim Gentiles per lumen naturae cognoscentes unicam Dei essentiam, cognovisse tres personas. Sic etiam verum est, tres personas unas & unitas esse in unius deitatis communione: nec tamen negandum, eas realiter distingui inter se, qua personas. Hic ergo usus eatenus distincti & proprii sunt constituendi, quatenus & quousque conceptus nostri distincti sunt: Sequuntur enim praxes illae mentales & spirituales, conceptus nostri intellectus. Vide *Arminii* distinctionem conceptuum hic factam in *disp.* proxime *praeced. de αὐτοθεῷ*. 5. Quod addunt: *persona ut persona est, simpliciter usum praebere non potest nisi quatenus persona divina est: divinitatis autem conceptus, quos usus praebeat jam ante praecedente capite* (de Dei sc. Natura & essentia) *indicatum erat:* non uno modo absurdum est.

Nam

Nam [pag. 487] *primo*, falsum praesupponunt. Persona ut persona simpliciter hic non consideratur: sed, ut persona divina filii, ut persona divina patris, ut persona divina spir. s., *Adhaec*, ut trias, quarum secunda subsistat & operetur à prima, tertia à prima & secunda. Quod secunda generetur a prima atque adeo sit *μονογενὴς παρὰ πατρὸς*: tertia vero procedat à primâ & secundâ. Quod persona divina patris sit in persona divina filii, & viceversa. Haec distincte sic concipienda proponit s. scriptura; nec tantum unam essentiam Dei seu unitatem deitatis explicat & unitatem divinam quatenus talem in scriptura legi & ex ea à nobis concipi vult. Quae usum suum habere quis negabit? *Secundo*, non satis distinguunt quis & qua. Ut si quaestio sit cum Socinianis an filius creaverit mundum. Quis creavit an pater, solus & non filius? Ego dico & filium creasse, (hic est conceptus meus) sed non quà filium; nam tum excluderetur pater. Idem concipio & dico de prima & suprema divina adoratione. Quis ea sit adorandus? Respondeo patrem, & filium, & Spir. s.: non vero quà filium, (filiatione ut sic, formaliter & obstractè consideratâ) sed quà Deum, nam conceptus unius deitatis fundat illam adorationem. Nihilominus conceptus hic: Is est adorandus, is creavit, fuit persona ante Mariam, filius scil. Et alter: Is creavit, is adorandus est; scil. spiritus s.; suum usum orthodoxis praebet, quo Sociniani (quamvis millies unam deitatem, & unum Deum, ut unum, concipiant) carent. *Tertio*, ut absurditatem suam videant repono ipsis simile sophisma: Unitas ut unitas, scientia ut scientia, beneficientia ut beneficientia, misericordia ut misericordia, justitia ut justitia &c. simpliciter usum praebere non potest, nisi quatenus unitas, scientia &c. divina est. Divinitatis autem conceptus, quos usus praebeat jam ante dictum est, ergo ad singula attributa novi & proprii usus à Remonstrantibus non fuissent annotandi. Hoc ipsis oppositum forti s stringet, quam quod opponunt DD. Profess. Leidensibus; Personae enim divinae revera seu realiter distinguuntur inter se; attributa autem Dei nec inter se nec ab essentia realiter distinguuntur.

TERTIA PARS

DE TOLERANTIA ANTI-TRINITARIORUM.

1. Ex iis quae jam dicta sunt consectarii vice decidendum de tolerantia Anti-Trinitariorum. Praemittimus autem haec praecognita 1 Tolerantia est vel ecclesiastica, vel politica. *Illa* est tolerantia alicujus tanquam membri aut tanquam ministri in communione & fraternitate ecclesiae, aut etiam ad illam communionem receptio. Quae terminis, *moderationis*, *pacis*, *syncretismi*, *unionis sectarum*, *libertatis prophetandi* exprimi solet: de quâ alibi ex professo agendum. *Ista*; est tolerantia in [pag. 488] societate politica, aut Anti-Trinitariorum sigillatim & privatim sic sentientium, aut insuper coetuum, in quibus sive publicè sive privato-publice haereseos illius professio doceatur & propagetur. Nos in praesentiarum de posteriori (quam permissionem & libertatem exercitii vocare possumus) hic inquirimus. II. Anti-Trinitarii non unius sunt sectae, Arriani scil., & Photiniani; & hi rursum Francisci-Davidici (qui Christum adorandum negant) & Sociniani. Ante menses aliquot in Transylvaniâ de summâ rei inter duas partes dissidentes certatum est, utri essent genuini Anti-Trinitarii, quibus ibi libertas ante hac concessa, & in posterum concedi deberet. Cui controversia decidendae delegati sunt ex reliquis tribus professi-

fessionibus (quatuor enim ibi publicè obtinent, Reformata, Lutherana, Pontificia, Sociniana) Proceres deni octoni. Nos hic nunc proprie agemus, de illis Anti-Trinitariis, quorum haereses *catechesi Racoviensi*, *scriptis Socini*, *Moscorovii*, *Ostorodii*, *Goslavii*, *Smalcii*, *Crellii*, *Volckelii* &c. exhibentur; quia eos prae caeteris in oculis gestant Remonstrantes, & pietatem eorum in coelum efferunt, quin & fraternitatem cum iis colendam non obscure contendunt, & quorum ubera suxisse eos, demonstratum est à DD. *Professoribus in censura*, & D. *Vedelio in arcanis Arminianismi*, & *tract. de Deo synagogae;* & peculiaribus *tractatibus D. Bodecheri* & D. *Peltii* hunc in finem editis. Quin & ante Synodum Dordracenam, non pauci ex ministris Remonstrantibus Socinismi introductionem occultè moliebantur, quod docuit 1. *Causa* Conr. Vorstii & promotio ejus ad cathedram Leidensem (de quibus suo tempore consulant Juniores *Apologiam Jacobi Regis magnae Britanniae*, *Lubbertum* & *Sopingium contra Grotium*, *Matthaei Sladi discept. alteram c. Vorstium in praefat.*, *narrationem historiam actis Synodi Dordracenae* praemissam, & *sententiam synodi Dord. sess.* 151.) 2. *Ministri* Remonstrantes non pauci in Socinianis erroribus deprehensi, inter quos, celebres Henr. Slaetsius, postea paricida, Adolphus Venator, Geisterani quo (quorum confessio actis *Synodi Dordracenae sess.* inserta:) & nonnulli ministri in Zuydhollandiâ anno 1618. & 1619. per deputatos Synodi & Ampliss. Delegatos Illustr. DD. Ordinum in lucem protracti. Cum quorum dictis, scriptis conferenda excerpta nonnulla ejusdem commetis in *Specimine controvers. Belgicar. D. Festi Hommii.* 3. *Promotio* M. *Episcopii* ad cathedram Leidensem, ejusque Theologia ibi in juventutem sparsa; quae quam formaliter aut quam realiter differat à Theologia Sociniana, judicent illi qui lectiones ejus audiverunt, aut excerpta legerunt, aut qui (ut compendio utantur) *privatas* ejus *Disputationes*, (quae publice prostant) cum catechesi Racoviensi modo conferre dignabuntur. [pag. 489]

DE NECESSITATE & UTILITATE DOGMATIS DE SS. TRINITATE.

PARS ALTERA [1])

1. 4. *QUOD plerique* eorum (praesertim in Hollandia) suspicionem Socinismi ingenua confessione à se amoliri detrectarint: quae tergiversatio imprimis notanda est in tribus illis Remonstranticae causae deputatis 27. Februarii anno 1613. in collatione Delfensi: de qua vide *narrationem historicam actis Synodi Dordrac.* praemissam. 5. *Quod* inter suos tolerarent; foverent, promoverent, eos quos Socinianis aut Anabaptisticis, aut pejoribus opinionibus delibutos noverant ex. gr. Adolphum Venatorem, Henr. Slaetsium, Geisteranos, Welsingium, Tombergium &c. 6. *Quod* illustr. Ordines Hollandiae, quamvis magnam partem partim opinioni partim praetensae moderationi quinquarticulanae tunc faverent, anno 1611. decretum fecerint, ne de perfectâ Christi satisfactione, de fide, de peccato originali &c. aliter doceretur, quam passim in ecclesiis reformatis hactenus traditum fuerat. Vide *dictam historiam.* 7. Quod *H. Grotius*, quem factionis suae ornamentum, semper duxerunt in libris *de*

[1]) Resp. PETRO JOHANNIS SAANVLIET Amstelredamensi. Ad diem 23 Februar. 1639.

de Jure pacis & belli, *de Veritate relig. Christianae*, *in notis ad Euangelistas*, & in *appendicibus ibid.* nonnulla protulerit, quae à Socinianis conceptibus tam procul abesse non videntur, ac nos quidem vellemus. Sed praesumptionibus & probationibus coacervandis non est quod ultra nos fatigemus: cum ab eo tempore dies diem ita docuerit, & operta ita aperta facta fuerint, ut omnibus praejudicio non excoecatis facile constare possit primipilis societatis πρόφασιν fuisse contentionem de absoluta praedestinatione &c. αἰτίαν, verò Theologiam Socinianem. Postquam enim spes publice obtinendi & rerum potiundi plane decollasset, latens Socini virus *confessione* & *apologiâ*, cum *Vedelio Rhapsodo*, & *responso ad Profess Leidens.* ita effuderunt, ut nulla sophistica, nullis deceptiunculis & aequivocationibus, nullis diverticulis & declamationibus hoc resorberi possit. De his ergo Anti-Trinitariis quorum genealogiam & historiam nuper in *praelectionibus nostris* synoptice exhibuimus (quae etiam magna ex parte descripta exstat apud *Schlusselbergium de Haeresibus*, *Possevinum in biblioth. selecta*) quaeritur, An ecclesiastice aut politice sint tolerandi.

2. Ad prius quaestionis membrum respondemus, Non esse in communione [pag. 490] Ecclesiae nostrae tolerandos, aut libertatem prophetandi circa dogmata controversia ipsis ibi concedendam, aut fraternitatem cum iis colendam. Rationes omnes huc faciunt, quae supra pro necessitate doctrinae de Trinitate protulimus. Conferri etiam possunt quae in genere diximus de *Articulis & erroribus Fundamental.*, & de *Syncretismo*, & de *Libertate prophetandi*. Suffecerit nunc istas speciatim huic negotio applicasse. I. *Argum.* Quia non cognoscunt nec colunt nobiscum unum eundemque verum Deum; qui est pater, filius, spiritus s. sed colere se praetendunt unum ac primum Deum, patrem, & alterum Deum (sed inferiorem, atque accidentalem seu factum) filium. II. *Argum.* Quia fundamentum aliud ponunt, quam positum est contra 1 *Corinth.* 3. Loco enim Christi, qui est persona divina habens duas naturas, aliam substituunt personam, humanam scil. natura seu essentia humana tantummodo constantem. Negant itaque Christum venisse in carnem 1. *Joh.* 4. aliud ponunt fundamentum, & eundem Christum nobiscum minime invocant. Quocirca non est fraterna communio cum iis colenda 1 *Corinth.* 1. 2. III. *Argum.* Quia non habent nobiscum idem Lavacrum sanguinis Christi, nec per illud se purgatos & sanctificatos credunt: Negant enim satisfactionem ejus & ἱλασμόν pro peccatis. Cum talibus itaque fraterna communio non est colenda 1 *Petr.* 1. 2. IV. *Argum.* Quia partim convellunt partim graviter luxant, causas & media applicationis salutis; in capitibus scil. de Justificatione, regeneratione & gratia Dei convertente: cum quibus cohaerent de peccato originali, & libero arbitrio, de imagine Dei, de perfectione in hac vita, de resurrectione carnis, de dispensatione novi foederis, sacramentis. Ne ipsum quidem fidei principium verbum scil. Dei intactum manet, dum autoritatem ejus arrodunt, & aliud principium (rationem scil. humanam) ei adjungunt, si non praeponunt. Haec autem implicant partim graves, partim fundamentales errores. Quod ex *Galat.* 5. 2. 3. 4. coll. cum *cap.* 3. 1. 2. 1 *Joh.* 1. 8. 1 *Corinth.* 4. 7. & 15. 13. 55. *Hebr.* 6. 1. 2. analogice colligi potest. V. *Argum.* Quia sequeretur hoc absurdum, cum omnibus sectis etiam Libertino-Enthusiasticis, David-Joristis scil. Franckistis; Zwenckseldianis, Henric-Nicolaitis; & antiquis Valentinianis, Marcionitis, Manicheis, &c. syncretismum ineundum. Nihil habent, quod excipiant adversarii secundum suas hypotheses. Nisi probent illos 1. non invocare Christum, aut saltem non

profiteri

profiteri eum, quousque eandem profitentur sectatores Neo-Photinianorum, aut Francisci Davidis. 2. Non velle pie vivere, secundum professionem & cognitionem suam. 3. Gradus aut partes cognitionis, quibus Sociniani [pag. 491] aut Francisco-Davidici supra illos haereticos ascendunt praecise ad salutem esse necessarios; atque adeo hos haereticos quia per infirmitatem & conscientiam suam illud fastigium Socinianum & τὸ *minimum quot sic* attingere non possunt, esse in aeternum damnatos: Et hoc in scripturis sive κατὰ τὸ ῥητὸν sive per consequentiam tam evidentem comparere, ut quilibet sanae mentis hoc percipiat. VI. *Arg.* ad hominem. Quia cum Pontificiis negant syncretismum ineundum *Arminius Disput. peculiari de causis secessionis*, & *Vorstius Disputationibus duodecim de eadem quaestione;* & videntur hodierni Remonstrantes eandem sententiam nondum abjecisse. Atqui tolerabiliores sunt Pontificii quam Sociniani; *quia* non negant primo prima fundamenta de Trinitate, de persona Christi mediatoris, de satisfactione Christi: nec etiam ita corrumpunt dogmata de Gratia Dei & libero arbitrio, de imagine Dei, de resurrectione carnis &c. *tum quia* plerique errores eorum, etiam gravissimi; non ita ipsa fundamentalia immediate & primo tollunt per simplicem negationem aut substractionem, ac Sociniani: collocant enim juxta fundamentalia, & alia fundamentalia, & sic per additionem corrumpunt. Hic nihil habent quod excipiant, quam Pontificios exercere idololatriam, atque hac ratione Socinianis esse deteriores. *Resp.* 1. Atqui praedicti autores solam idololatriam non faciunt causam secessionis, sed & alias haereses Papatus: immo *Vorstius* statuit unam ex duodecim causis à se allegatis sufficere. Sunt autem inter illas causas, errores de Justificatione, Item de sacramentis (extra idololatriam missaticam) statu peccati & gratia Dei &c. 2. Sed quia prior dies forte discipulus fuit posterioris, & sic responsio ista ad hominem nunc non amplius stringit, hodiernos seu Neo-Remonstrantes; damus alteram hanc & directam responsionem: Et Socinianos esse idololatras, & quidem turpissimos, quippe qui ex formula religionis suae praeter unum illum solum natura Deum conditorem omnium, divino cultu adorant Christum natura ψίλον ἄνθρωπον, contra *Galat.* 4. 2. coll. cum *Jerem.* 10. 11. Si dicant, illi in conscientia sentiunt Christum divino cultu adorandum, reponimus Pontificios protestari se idem sentire de idolo suo missatico, de imagine Christi, de Maria, de aliis sanctis, de angelis. 3. Non cultus veri Dei seu ἀσέβεια non est minus abominanda, quam cultus idololatricus. Sed illam committunt Sociniani, ratione Spir. s. quem non agnoscunt aut colunt, ut unum illum verum Deum; Ex quibus omnibus patet impietatem eorum hac in parte superare idololatriam Pontificiam. 4. Denique exceptio haec nulla est, nisi solide probetur ex scripturis idololatriam Pontificiam (quam illi ex praescripto religionis suae exercent) simpliciter & absolute omnes & [pag. 492] singulos ab omni spe salutis excludere, idololatriam autem Socinianam cum ἀσεβεία modo dicta conjunctam non excludere: horum errores esse innoxios, illorum minime. VII. *Arg.* ad hominem: Quia Remonstrantes statuunt fraternitatem & communionem ecclesiasticam nobiscum non potuisse ab auditoribus suis servari, sed secessionem & separationem ubique instituendam fuisse, etiam ubi separatos conventus suos sive in publicis templis, sive in privatis aedibus antea nunquam habuissent ex. gr. Amstelredami, Gorcomii, Auduatrae, Delfis, Harlemi, Leidae. Ergo multo minus servari poterit cum Socinianis. Si enim dicant Ecclesias Belgicas *tum* quae extra contentiones Remonstranticas constitutae

stitutae fuerunt (ut in provincia Zeelandica, Frisica, Groningo-Omlandica, & aliquot civitatibus in Hollandia,) breviter plerisque extra Hollandiam & dioecesim Ultrajectinam; *tum*, quae contentionibus illis infestae fuerunt, ut haec nostra Ultrajectina; item Roterodamensis, Leidensis, Hornana, &c. esse minus tolerabiles, quam Socinianos: petimus ab illis ut ex scripturae evidentibus testimoniis & consequentiis demonstrent, gradum erroris & apostasiae nostrae tantum superare Socinismum, ut hic cum aliqua spe aeternae salutis consistere possit, ille vero non possit. Hoc ubi probaverint, erunt mihi ex Remonstrantibus (hoc est,) dicentibus, demonstrantes. VIII. *Arg. Accedat* nunc consensus antiquae Ecclesiae; quae omnibus Anti-Trinitariis pacis repudium misit: ut videris est in *Actis Concilii Niceni*, quae suo tempore requirant juniores in *Tomis Concilior.*, & in *historiis ecclesiasticis*, *Baronio*, *Centuriatoribus Magdeburg.*, aut similibus. Nobis hic suffecerit notasse, Anti-Trinitarios dictos *Paulianos* seu *Paulianistas*, (apud *Suidam* & *Concil. Nicen. can.* 18. & *August. de haeres. c.* 14.) hoc est Samosatitas (ut eos vocat *Epiph. haeres.* 65) δευτέρους Ιουδαίους appellatos esse, ut *ibid.* notat *Epiphanius*, & siquidem se converterent rebaptizandos statuit *Concil. Nic. can. cit.* coll. cum *Augustino* & *Epiphanio* loc. & *Niceta thesauri Orthod. Fidei lib.* 4. *haeresi* 32. De Symbolo Athanasii & reliquorum primorum Conciliorum, non est quod hic repetam. Addo fuisse Arrianis nomen Christianorum à patribus negatum: ut docet *Athanas. disp.* 1. *c. Arrianos* & *disp.* 2. & *oratione* 2. *contra Arrianos*, & *ad Serapionem*. Hinc etiam orthodoxi absolute dicebantur Christiani, exclusive scil. seu oppositè ad Arrianos. Quomodo *Photius in Epitome Philostorgiana* (nuper à Jac. Gothofredo gr. lat. edita,) scribit Christianos accusari, à Theomacho isto h. e. Philostorgio Arriano. Imprimis autem hic considerandum quanto cum zelo, quantis cum difficultatibus & persecutionibus omnem syncretismum oblatum respuerint, obtrusum fugerint orthodoxi istius saeculi Doctores; quod docent [pag. 493] gesta ante Concilium Syrmiense anno 357. & utrumque Ariminense an. 358. & post ea, de quibus vide *Socratem histor. Eccles. lib.* 2. *c.* 52. 29. *Sozom. lib.* 4. *c.* 5. *&c. Athanas. de Synodis*, *Hilarium de Synodis*, *Epiphan. haeresi* 73. *August. sermon.* 129. Imprimis & *Theodoret. lib.* 1. *c.* 4. *&* 7. *&* 12. *& lib.* 4. *c.* 3. *& lib.* 2. *c.* 8. & *Socratem l.* 1. *c.* 9. *&* 6. Omnium verba nimis prolixum esset describere. Tantum ex Theodoreto exhibeo verba epistolae synodicae Sardicensis à 250. episcopis scriptae: *Sunto igitur vobis etiam omnibus anathema, quia verbum veritatis cauponati sunt: est enim praeceptum apostolicum, si quis vobis euangelizaverit &c.* Ibidem citant locum 2 *Corinth.* 6. 14. Et verba Socratis lib. 1. c. 6. *Ex hac Concilii* (Niceni scil.) *epistola planum fit, eos non solum Ario & ejus sectatoribus, verum etiam verba* (τὰς λέξεις) *opinionis ipsius anathemizasse.* Inter pios obnitentium conatus celebre est dictum illud Hilarii alibi nobis notatum: *Anathema tibi Liberi:* propter admissum scil. syncretismum aliquem cum Arrianis. Si quis nunc compendio studeat, is percurrat *Mellificium histor. Pezelii*, aut *Chronicon Melanthonis:* alias, ubi plus otii, conferat *Baronii annales ad ann.* 357. 358. &c. Facit autem ad consensum ex superabundanti, quod ipsum Concil. Syrmiense quamvis Arrianum, aut saltem suspectae fidei, Photinum (cujus genuinos discipulos se profitentur Sociniani apud *Ostor. in Inst. c.* 6.) anathemizaverit, qui propterea etiam exilio multatus fuit teste *Socrate lib.* 2. *c.* 24. & *Sozomeno lib.* 4. *c.* 5. IX. *Arg.* Consensus Christianismi mediae aetatis, & hodierni ne latum quidem unguem

à patri-

à patribus illis hac in parte recedunt: omnes enim & ubique approbarunt formulam Nicenam & sequentium Conciliorum, qua Anti-Trinitarii excluduntur. Sic enim docent scripta *Bedae*, *Theophylacti*, *Enthymii*, *Occumenii*, *Alcuini*, *Rabbani*, *Haymonis*, *Hugonis de s. Victore*, *Ansbertini*, *Anselmi*, *Richardi de s. Victore*, *Barnarde*, *Lombardi*, *Thomae &* commentatorum, qui partim peculiaribus tract. partim in commentar., concionibus, locis communibus & Disputationibus hoc dogma propugnant: ubi adversarios tanquam errantes in fide & haereticos rejiciunt; & consequenter communionem fraternam ipsis denegant. Inter alios *Alcuinus* sive *Albinus* anno 770. libros tres eruditè scripsit *de Trinitate*, quos seorsim editos anno 1554. commentario illustravit *Lucas Lossius*. Ubi *lib.* 1. *cap.* 2. *&* 3. necessitas hujus *doctrinae asseritur*. His adde omnes *Canonistas ad Clementinam unicam de Summa Trinitate & Fide Catholica*. Si per nationes suffragia colligantur eandem vocem omnium per singula saecula successive audiemus: ita ut inter tot corruptelas & distractiones in hujus dogmatis veritate & necessitate Christianismi unitas & antiquus catholicismus mirabiliter conservatus sit. Ecclesiae Gallicànae suffragium habet [pag. 494] *Bochellus in Decret. eccles. Gallicanae lib.* 1. *tit.* 1. ubi inter alia Gregorii Turonensis, qui primus est, haec seria contestatio ex histor. lib. 1. *Illos vero qui dicunt, erat quando non erat, exsecrabiliter renuo, & ab ecclesia segregari contestor*. Consensum Orientalium exhibet Photii Nomocanon tit. 1. c. 1. ubi nota scholium Balsamonis (qui scripsit sub Manuele Comneno circa annum 1200.) *Prima constitutio tit.* 1. *lib.* 2. *codicis est &c. Christianus est qui credit patris, filii & Spir. s. sub pari majestate unam esse deitatem. Qui vero contra dicta docet, haereticus est.* Nec recesserunt ab hâc sententiâ usque in hunc diem ut colligere est ex illis quae acta cum Graecis in Concilio Florentino: item ex *responso Jeremiae Patriarchae Constantinopol. ad Academ. Wittebergh*, *Epistola Patriarchae Meletii ad Nobiliss. I. Douzam* Nordovici Toparcham, & nupera *confessione patriarchae Cyrilli:* ut nihil dicam de privatis variorum scriptis, & publicis euchologiis & liturgiis Graecor. Armenior. Aegyptior. Syror. Aethiopum, Moscovitar. Exstat etiam *Responsum Basilii ducis Moscorum* anno 1570. *ad Joh. Robitae confessionem, ubi cap.* 3. *&* 6. Christiani nomine privat in hoc dogmate dissentientes: sed calumniose id applicat ministro illi reformato. Ad Christianismum occidentalem post tempora reformationis, si accedimus, comperiemus inter omnes mutationes, discessiones, funestas disceptiones hujus dogmatis integritatem & necessitatem uno zelo ab omnibus assertam. De Pontificiis infra dicemus. Et Remonstrantes *Apolog.* dicunt eos esse primores hujus articuli defensores.

Protestantes & Reformati insistentes vestigiis Waldensium, Albigensium, Wiclefistarum, Bohemorum, aliorumque, qui antehac à Papatu discesserant, aut sub jugo ejus gemuerant, nullam reformationem aut mutationem hic postularunt, quin immo constanter huic universali totius fidei fundamento adhaeserunt. Cui rei fidem faciunt 1. certamina cum occultis & manifestis Anti-Trinitariis: quorum historia alias textenda. 2. Harmonia Confessionum. 3. Syncretismus omnis & tolerantia illis constanter negata, (ut ut chrestologiis suis eam flagitent) 4. Nomen Christianorum ipsis negatum. 5. Peremptoria exclusio eorum, extra omnia consilia pacis aut syncretismi aut Interimismi inter Protestantes & Pontificios, rursum inter reformatos & Lutheranos, denique inter quoscunque alibi dissidentes. Si percurrantur historiae, & sex-

& sexcenti libelli (ut vocantur) pacifici (quorum catalogi editi cum *consultatione Cassandri*, & nuper cum libello *Joh. Duraei de pace Ecclesiastica inter Euangelicos procuranda)* non invenies communi pace, quae petitur aut praetenditur, Anti-Trinitarios comprehendi. Fidem etiam faciunt illa quae anno 1635. Socinianis in Polonia ad collationem de religione [pag. 495] & oblata consilia pacis se offerentibus. Unus & solus est *Tractatus Acontii* imprudentioribus nonnullis imposuit; nec est quod eum objiciant Remonstrantes in *Apol. p.* 11. & *Resp. ad Profess. Leiden. p.* 65. Siquidem innotuisset Ecclesiis Reformatis, quod recte innuit *l.* 3. *p.* 114. 123. & *lib.* 7. *p.* 341. edit. Basiliensis in 8. apud Waldkirchium 1616. edente Joh. Jacobo Grassero; Utique in communione sua illum non retinuissent, nisi apertius declarasset, se ex Italia praetextu reformationis, non attulisse quod populares ejus Alciatus, Blandrata, Gribaldus, Socinus uterque &c. Adde consensum Politiarum in Christianismo: quin & ipsorum Remonstrantium (ut antehac prae se ferebant) quem utrumque commodius ad secundum hujus quaestionis membrum annotabimus.

3. Atque haec quidem orthodoxa & catholica Christianismi sententia; quam oppugnant praeter Socinianos viri aliquot paradoxi, quos in Belgio Remonstrantes appellant. Oppugnant autem more suo, modo afferentium, modo dubitantium & disquirentium, modo opponentium, modo quasi ad ἐχεμυθίαν redactorum, modo ignorantium & φιλομαχθῶν personam sustinendo. Quaestionem autem illam status inficialis tam solide tractavit Cl. *Vedelius in Arcanis Arminianismi*, ut ipsi nunc videantur acquiescere, & libello vernacula lingua nuper edito titulo, **Den Rechten Remonstrantschen Theologant**/ *p.* 69. 70. 71. 72. 73. &c. sententiam illam suam rationibus & testimoniis undique conquisitis firmare. Argumenta, quae ex *dicto libello* & *Apologia &* *Vedelio Rhapsodo*, imprimis ex *Responso ad excerpta Professor. Leidensium* (vide *p.* 31. 42. 57. 58. 82. 83.) colligere potuimus sunt fere ista. I. *Object.* Quia patrem in Christo honorant, & ab utroque Spiritum sanctum precibus suis obtinere quaerunt: sed tantum errant in fide de persona & officio Christi. **Remonstr. Apolog.** *p.* 85. 86. in controversiis circa personam & naturas Christi, quae inter doctos moventur, *Ibid. p.* 72. Nota Christiane lector, quisquis es, quomodo hic excludatur persona divina & adoratio Spirit. s.; & haereses Socinianae dicantur controversiae, quae inter viros doctos agitantur: quasi scil. nihil aliud essent quam problematicae & scholasticae quaedam disceptationes. Ad objectionem sic *Resp.* I. Qui legitimum regem honorat tanquam alium quem virum honorabilem, sed non tanquam suum regem, ubique exsertè contendens, eum non esse regem, is sane in politiâ errat fundamentaliter; nec potest in communione & societate civica tanquam bonus civis tolerari. Pari ratione in religione & ecclesia fundamentaliter errant, qui deitatem filii & spiritus s. hoc est, supremam eorum majestatem oppugnant; quamvis protestentur, se filium religiosè c lere & adorare. 2. Signanter dicitur eos petere à patre & filio spiritum sanctum; sed hoc non est colere, & adorare, spiritum [pag. 496] sanctum. Qui spiritum sanctum haut aliter à Deo petit ac panem quotidianum, aut pacem conscientiae, aut fidem, aut spem, aut cognitionem, aut quodcunque aliud donum: is non magis religiose colit & adorat spiritum sanctum quam panem; aut fidem suam, aut cognitionem aut quodcunque alium donum. Atqui error fundamentalis est, cum statuitur non magis quam panem, aut quodcunque bonum

nostrum

nostrum internum aut externum esse illum colendum & adorandum, qui cum patre & filio est ὁμοούσιος Deus; ut hoc etiamnum à suis credi prae se ferunt Remonstrantes. 3. Pari ratione dici posset Muhamedistas Christum honorare, quousque intelligunt & cognoscunt eum honorandum; nec tamen ideo eos in communionem nostram tanquam bonos Christianos recipere velimus; uti nec Remonstrantes id facturos arbitro. 4. Adde Pontificios protestari, se aeternum filium Dei eundem cum patre Deum adorare, cum panem eucharisticum adorant: unde tamen non sequitur errorem non esse noxium aut fundamentalem. 5. Quin & Judaei protestari possent, se nihil aliud intendere quam ut adorent ac colant unum solum verum Deum; qui & quatenus se in scriptis V. T. patefecit. An ideo dicerentur non errare fundamentaliter, & à Remonstrantibus in communionem ecclesiasticam reciperentur? II. *Obj.* Sunt Christiani, & tales se profitentur, & verbum Dei tanquam unicum fidei canonem recipiunt. *Resp.* Quamplurimos invenias inter antiquos & recentiores haereticos qui eadem protestatione uti possent qui tamen eo ipso non sunt meliores e. g. Nestoriani, Eutychiani, Monothelitae, Sabelliani, qui postremi tamen ab *Acontio* Remonstrantibus tantopere laudato extra novum ipsius catholicum symbolum & communionem seu syncretismum collocantur, quia statuunt filium esse eandem personam cum patre. De fanaticis quibusvis Anabaptistarum sectis idem dici posset. Ex Pontificiis *Michael Bajus in disputatione de eucharistia contra* Nobiliss. *Sanct. Aldegondii dominum* eo descendit, ut controversiam scripturae tanquam unico principio & judici terminandam concederet. An ideo negarent Remonstrantes reliquos omnes ipsius errores de sacrificio missae, de satisfactionibus humanis, de cultu imaginum &c. esse fundamentales, quibus non obstantibus ad communionem nostram admittendus esset? III. *Obj.* Diligunt dominum Jesum & ex intimo ejus amore, ut & verbi ac veritatis ejus sic se credere ac sentire, nec se aliter posse protestantur: ita ut anathema apostoli 1 *Corinth.* 16. 22. illis aptari nequeat. *Resp.* 1. Idem protestantur Pontificii, & inter illos maxime omnium Papae, Cardinales, Episcopi, Abbates, Inquisitores, &c. cum imagines, sanctos, angelos, panem eucharisticum adorant, scripturam contemnunt & traducunt; vere [pag. 497] fideles & pios persequuntur & excarnificant, millenas, perfidias, proditiones, parricidia excogitant & exequuntur. An ideo Remonstrantes, ad communionem suam illos admitterent? 2. Quid si quis amaret, seu potius protestaretur se amare dominum Jesum; interim odio haberet & blasphemaret ejusdem verbum ac doctrinam e. gr. de vera ipsius divinitate, de satisfactione pro peccatis, de vero & supremo honore divino, qui illi juxta cum patre conpetit; an praetensus ille amor sufficeret ut inter probos Christi discipulos & imitatores ille numeretur? 3. Quid si quis protestetur se amare personam aliquam, quae sit legitimus ipsius princeps aut Magistratus aut tutor, aut uxor; interim una protestaretur, se non agnoscere illam pro legitimo principe, aut tutore, aut uxore, nec ut tales amare, an communis ille praetensus amor, reipsa perversus & supposititius sufficeret? Sociniani Christum diligunt, uti gloriantur, sed minime amore divino, qui soli Deo competit, & in eum solum tendit; consequenter nullo amore debito & legitimo illum diligunt. Differunt enim in immensum amor Dei & creaturae: uti ex multis rationibus & ex textu *Matth.* 22. *v.* 37. 38. 39. colligitur. Suum cuique hic tribuendum: nec potest sine crimine horrendae ἀθεότητος & ἀσεβείας ψιλῷ amore creaturae amari infinitus summe bonus ac per-

 fectus

fectus Deus, nec vice versa sine crimine horrendae idololatriae ψίλος homo aut angelus aut quaecunque creatura amari amore divino. Quod si maritus amore conjugali non potest non prosequi uxorem, nec eodem prosequi potest quamcunque aliam mulierem absque errore & peccato fundamentali adversus conjugium: quanto minus absque errore fundamentali adversus religionem tantum amor creaturae vero Deo deferri & amor divinus non deferri, aut contra amor Divinus creaturae deferri potest. Major certe est distantia inter amorem creaturae, & divinum; quam inter amorem communem hominum, & inter specialem amorem conjugalem. 4. Si Mahumedistae protestarentur se Christum amare; idque non tantum verbis sed & ipso facto ostenderent, punientes ex amore & reverentia Christi Judaeos ipsum blasphemantes: an ideo in fraternam communionem à Remonstrantibus admitterentur? 5. Instantiam damus ad hominem: Judaei protestantur se unum Deum diligere, non tamen eum agnoscunt ac diligunt tanquam patrem domini nostri Jesu Christi (quod necessarium esse non diffitebuntur Remonstrantes) An illis anathema dicent, & quidem hoc solo, quia non diligunt eum ut patrem Christi. An vero in communionem suam eos recipient? Quid ergo respondebunt ad loca ista *Roman.* 10. 2. 1. *Thessal.* 2. 15. 16. *Johann.* 13. 22. Ipsi Sociniani apud *Smalcium in Refut. Smiglecii de error. Arianor. lib.* 1. *cap.* 2. fatentur illum esse haereticum qui talia defendit quae non permittunt [pag. 498] credere quod Jesus sit Christus, & quod Deus illum excitavit ex mortuis. Confer etiam *Vedelii Deum synagogae.* IV. *Obj.* Sunt pii, immo piissimi, & conformiter suae professioni pie vivunt. *Resp.* I. *Negamus* eos piè vivere. Qui vero Deo honorem suum detrahunt, hoc est, deitatem & divinam majestatem, eamque aperte & directe negant, oppugnant, blasphemant, illi impie vivunt. Sed Sociniani vero & aeterno Deo filio, scil. & spiritui s., divinam majestatem detrahunt &c. Ergo. 2. Assertio haec de Socinianorum pietate nititur duabus falsis hypothesibus; quarum *Prior* est civilem honestatem esse Christianam pietatem. Quod vide refutatum ab autoribus practicis, qui verum christianismum, ejusque distinctionem à ficta & hypocritica μορφώσει pietatis describunt. Confer *disp.* nostram *de Simplicitate & hypocrisi. Altera* est, genuinam spiritualem Dei cognitionem ejusque sinceram, ac constantem professionem, non esse partem necessariam pietatis, aut praxeos aut obedientiae Deo debitae, aut verae religionis. Atqui praecipitur illa primo decalogi praecepto, non minus ac fiducia, honor, timor, amor. Idque ipsi Remonstrantes statuunt in *Confessione* sua, ubi primum praeceptum explicant: quamvis postea in *catechesi* sua *quaest.* 58. omiserint. 3. Idem de Paulo persequente Christum & cogente homines ad ejus blasphemiam non minus affirmari deberet *Philipp.* 3. 9. 6. An eum negabunt errasse fundamentaliter? an lupum illum in communionem ovium Christi recipiendum dicent? Vide 1. *Timoth.* 1. 13. 15. *Actor.* 25. 9. 10. 11 4. De nonnullis Muhamedistis & Judaeis non minori jure dici posset quam de Socinianis. Quod pie & honestè vivant. Atqui cum illis fraternitatem non colunt Remonstrantes. 5. De Davide Georgii, ejusque sectatoribus idem dici posset. Vide *historiam ejus* à Basiliensibus ed. tom. 6. Denique multo majori jure dici posset aliquos ex Papalibus Episcopis, Theologis, monachis, Jesuitis, Inquisitoribus furiose religionem nostram & ecclesiam persequentibus pie vivere secundum professionem, sensum, & conscientiam suam. Nec obstare zelum persecutionis, cum secundum errantem suam conscientiam eum non minimam verae pietatis &

tis & amoris divini partem ducant; haut aliter ac Sociniani ex mera reverentia scripturae, & conscientia officii Deo praestandi, se dogmata de Trinitate, satisfactione Christi &c. verbis, factisque pro virili persequi & exterminare profitentur, eorumque fidem in adversariis suis etiam invitis, impedire. De verbis fidem faciunt, multiplices blasphemiae Socinianorum contra mysteria Trinitatis, incarnationis, satisfactionis, resurrectionis ejusdem carnis &c. De factis, carcer Francisci Davidis, in quo phreneticus factus misere obiit: quod Socino autori aut instigatori adscribunt. Addi possent & Remonstrantes, qui persecutionem [pag. 499] contra orthodoxis Roterodami, Ultrajecti, Schoonhoviae &c. concitatam (videantur *decreta Ultrajectinum*, & *Roterodamo-Schielandicum*) ex conscientia bona, & zelo divino profectam esse dicent proculdubio. Tantundem cum praetendant Papales persecutores, & Inquisitores quidam, caetera piè & honeste secundum professionem suam viventes; quomodo non fraternitatem ipsis offerent Remonstrantes, aeque ac Socinianis? V. *Obj.* Quia pro erroribus suis circa doctrinam de Trinitate, persona & officio Christi &c. non pugnant contra conscientiam suam; itaque errores eorum sunt innoxii, nec propterea à fraternitate excludendi. *Resp.* Pervelim doceri à Remonstrantibus, quibus judiciis & gnorismatis certo statui possit, errores ab aliquo defendi contra conscientiam. Non puto aliquid ab iis posse commonstrari, praeter propriam errantis confessionem. Atqui jam nullus haereticus, fanaticus, Enthusiasta, atheus à fraternitate excludendus, nec contra scientiam errare dicendus: quamdiu ipse contra seipsum & de seipso hoc non declarat. Fratres ergo sunt Judaei, Muhamedistae, Marcionitae, Manichaei, Arriani, Sabelliani, Circumcellionis, Henric.-Nicolaitae, David-Joristae, Papa cum suis Cardinalibus & curialibus Romanis, Vaninus & Godefridus à Valle (de quibus in *disp. de Atheismo*) Jacobus Clemens, Balthasar Gerardus, Henricus Slaetsius, aliique assasini & paricidae, qui fidem, religionem & conscientiam suam paricidalem constanter professi sunt, & sanguine suo obsignarunt. VI. *Obj.* Quia Deus propter Socinismum (quem nos credimus esse haeresin & blasphemiam) neminem condemnabit: saltem hoc directe hactenus ex scriptura non potuit demonstrari. *Resp.* Nos contrarium per totam *hanc disputationem* probavimus, ex fundamentis scripturae *Galat.* 5. 1. 2. 3. & 31. 25. & 1. *Johan.* 1. 8. & 1. 3. & 1 *Corinth.* 5. 15. 13. Confer supra *part.* 1. *thesin.* 3. & *responsionem ad objectionem* paulo post subjiciendam. VII. *Obj.* Quia haeresis speculativa, hoc est, pertinax (sed non contra conscientiam) etiam circa necessaria, neminem damnabit; si modo pie vivat, & neget semper, per conscientiae dictamen aliter posse sentire. *Resp.* 1. *hac* hypothesi admissa dicendum esset, Paulum persecutorem *Galat.* 1. 13. 14. ut & alios Judaeos hostes Christi *Johann* 16. 3. *à* Deo non potuisse damnari, aut à fidelium spirituali ac fraterna communione excludi quia scil. in conscientia judicabant Deum hoc ita mandare: cujus mandatis non poterant non parere. Esse hic zelum Dei, *Roman.* 10. 2. esse intentam λατρείαν *Johann.* 16. 3. Et tamen Judaeos illos, & seipsum condemnat apostolus 1. *Thessal.* 2. 15. 16. 1 *Timoth.* 1. 17. 17. — 2. *Unde* probabunt Hymeneum, Philetum, Alexandrum, Nicolaitas, contra scientiam & conscientiam errores suos sparsisse? qui tamen condemnantur in scriptura [pag. 500] & ab omni communione segregantur 1. *Timoth.* 1. 20. 2. *Tim.* 2. 17. & 4. 14. *Apocal.* 6. 15. — 3. *Quis* dicet omnes Christianos Judaizantes contra conscientiam fecisse? Eos tamen condemnat apostolus, & optat à commu-

communione fidelium abscindi *Gal.* 5. 2. 4. 10. 12. 4. Quomodo etiam probarent Remonstrantes, omnes Judaeos, Muhamedistas, David-Joristas, Weigelianos, Franckistas, sectatores Francisci Davidis, Martini Seidelii &c. honeste viventes, errores suos tenere & tueri contra conscientiam ? Interim non admitterent eos, ut opinor, ad suam communionem aut fraternitatem eorum affectarent. VIII. *Obj.* Quia *Justinus Martyr* ejusmodi errores non collocat extra communionem ecclesiae Christianae. Et *Salvianus lib.* 5. *de gubernatione Dei* (quem allegant in libello **Den Rechten Remonstr. Theologant**) censet Arrianos errare animo pio, & neminem nosse, quomodo in die judicii propter hanc suam opinionem puniendi sint. *Resp.* 1. *Quid Justinus*, & tota antiquitas de necessitate hujus doctrinae statuerint, constare potest ex testimoniis ipsorum, quae studiosi collecta videbunt à *Jodoco Coccio in Thesauro catholico lib.* 1. *art.* 4. *Elmenhorstio in comment. ad Gennadii cap.* 1. §. 1. *Polano in symphon. cathol. c.* 2. Confer supra thesin *secundam* & *partis primae thesin.* 4. Quibus adde ex historicis *Paulum Orosium lib.* 6. *cap.* 33. ubi de interitu Valentis. *Et Jornandum* de *rebus Geticis cap.* 25. ubi de eodem. 2. Insuper huic Remonstrantium objectioni respondent D. D. *Professores Leidenses in Specimine Excerptorum p.* 17. & *Vedelius in Arcanis Arminianismi part.* I. *lib.* 1. *c.* 7. & *part.* 3. *lib.* 2. *c.* 3. imprimis *part.* 4. *lib.* 1. *c.* 7. Et *Is. Junius in antapologia cap.* 3. *p.* 101. Quae nolo huc transcribere. 3. *Quod* ad *Salvianum lib.* 5. *de gubernatione Dei p.* 162. 163. (edit. Ritterhusii in 8.) is non absolutè sed comparate loquitur, de judicio & poena minori: uti colligi potest ex *seqq. p.* 164. 165. 4. *Quamvis* praecisè & rigide condemnationem non ausi fuissent illis adjudicare, inde tamen non sequitur salutem haereticis illis adjudicatam fuisse: nedum ut illos in fraternam communionem recipiendos determinassent; quamdiu dubitabant, nec ex verbo Dei certo convicti erant, esse haereticos illos non obstante tali professione veros & pios Christianos, atque adeo Deo ad salutem placere. Abstinendum ergo ipsis fuit à peremtorio judicio, & ab actuali receptione, quamdiu certi non erant: uti aperte indicant se certitudine fidei convictos non fuisse de assertione illa Remonstrantica. Jam vero, *Quidquid ex fide non est, peccatum est. Rom.* 14. 23. Confer. *disp. de artic. & error. fundamental.* IX. *Obj.* Quia consilia pacis & sycretismi atque unionis scissi Christianismi à moderatioribus reformationis nostrae theologis cum laude semper proposita sunt; ut Melanthone, Bucero &c. aliisque in *apologia Remonstrantium* & alibi citatis; inter quos emicat *Acontius* in *stratagematis* [pag. 501] *Satanae*, quae Joh. Jacobus Grasserus theologus Basiliensis denuo recudenda dedit anno 1610. Basil. apud Conr. Waldkirchium. *Resp.* I. Omnes scriptores syncretistici de controversiis inter nos & Pontificios, & inter nos & Lutheranos, Neo Arrianos & similes haereticos exserte excludunt, & quatuor prima consilia oecumenica (uti vocantur), & symbolum universale huic syncretismo praesupponunt. Imprimis consulantur *Melanthonis loci communes*, *Examen Theologicum &c.* 2. Quod ad *Acontium*, dicimus eum merito in hoc negotio suspectum esse; quidquid eum tantopere extollant Remonstrantes. Videantur modo *lib.* 3. *pag.* 114. 123. & *lib.* 7. *p.* 341. edit. Basil. a. 1610. ; & judicetur, quis anguis in herba latuerit: quod hic vir in fundamentalibus assertionibus nunquam τὸ ὁμοούσιον trium personarum statuerit, nec adversarios Samosatenum, Photinum, Arrium, Eunomium, Pneumatomachos, aut eorum errores rejecerit, contentus solos illos rejectos; qui negarent filium non esse alium à patre.

4. Alte-

4. Alterum quaestionis membrum est: An in Politiis Christianis, haeresi Anti-Trinitariae nominatim Socinianae libertas exercitii seu coetuum ecclesiasticorum celebratio publica, aut privato-publica concedenda sit. Nos negantem defendimus, cum hac scil. limitatione, siquidem Magistratui sit & potestas & potentia eos impediendi, absque periculo subversionis, aut gravissimae concussionis Reipublicae. De qua limitatione in genere egimus in *disp. de Libertate conscientiae &c.* Hic eam saltem praesupponimus: Et rationes istas adferimus. I. Quia est funesta haeresis, circa primo primum fundamentum de Trinitate & circa personam Christi: atqui talibus haeresibus libertatem seu licentiam non esse concedendam, ut grassentur in perniciem nominis Christiani, ignominiam nominis divini, seductionem animarum, perturbationem ecclesiae, & consequenter Reipublicae, statuit universus Christianismus tam theologice quam politicè: cujus sententia ex scripturae testimoniis & rationibus in genere & ex professo defenditur in loc. comm. supra cit. In hypothesi hic tantum subsumendum est, Socinianas haereses esse tales: quod rationibus pro necessitate & utilitate dogmatis de Trinitate allatis satis probatum arbitror. II. Quia est ἀσέβεια impietas, conjuncta cum horrendis blasphemiis, ubicunque sc. libertas prophetandi, & sua secundum morem ac methodum Remonstranticam prout visum fuerit & ex suae conscientiae dictamine proponendi, urgendi ἀνασκευαστικῶς & κατασκευαστικῶς obtinuerit. Exempla blasphemiarum Serveti, & Ministrorum Anti-Trinitar. in Transsylvania, & similium satis nota sunt, quae legant, qui possunt; neque enim horrenda illa referre fert animus nisi summa necessitate [pag. 502] urgente. Vide *Calvini* defensionem contra Servetum. III. Quia est idololatria multo evidentior & magis theoretica & crassa quam ex. gr. est invocatio Mariae & sanctorum in papatu: illa enim tam crasse non abducit ad alienum Deum, quam haec Sociniana: atqui seductoribus idololatricis licentium concedendam, non constat ex sacris literis, saltem non ex *Deut.* 13. nec ipsi Remonstr. velint. IV. Quia sequeretur in omnibus Christianis Politiis licentiam illam concedendam Manichaeis, Ophitis, Simonianis, Sethianis, Coelicolis, Valentinianis immo & Muhamedistis, Samaritis, Judaeis: saltem iis haereticis qui scripturam pariter cum Socinianis honorarent, Christi nomen profiterentur, & probe modesteque victuros se pollicerentur. Quod si excipiant libertatem talem non esse dictis errantibus concedendam, rogo & obtestor ut rationes liquidas ex scriptura depromant, quibus probent differentiam specificam inter haereticos modo dictos, aliosque Jure Civili prohibitos, & inter Muhamedistas & Socinianos. V. Quia observatum blasphemarum ejusmodi haereseum permissionem plerumque gravia Dei judicia Politiis accersere; contra earundem coercitionem, Dei benedictiones. Quod sua aetate accidisse egregie observat *Ambr. in praes. ad l. de Sp. s.* VI. Accedit praxis Christianismi & antiqui, & hodierni: ubi Ecclesiis & earum Doctoribus ita postulantibus libertas illa semper negata Anti-Trinitariis, quando negari potuit, & tanto strictius quanto Principes ac Magistratus, sapientiâ, pietate, virture omnibus aliis magis praecellerent. Notavimus *tit. C.*, cum quibus tacta Constantini, Theodosii, Martiani &c. consensisse testantur *historiae Ecclesiasticae*, & *Acta Consiliorum* Inveniens ibi varia decreta quibus Imperatores proscriptis haeresibus nonnunquam mulctis & poenis impositis, fidem catholicam communiunt: quae collecta vide à *Goldasto in Constitut Imper.* Memorabile est illud quod refertur de facto Amphilochii Episcopi Iconii, quo Theodosius permotus

tus templa Arrianorum claudi jussit. Theol. hist. l. 5. c. 16. *Post Theodosii illinc reditum, Amphilochius ille admirabilis, cujus saepius à me jam facta est mentio, accessit oraturus Imperatorem, uti ex urbibus Arianorum conventus ejiceret. At imperator postulationem illam nimis severam & inhumanam arbitratus rejicit. Sapientissimus igitur Amphilochius re ad tempus tacita, aliam rationem ad id, quod volebat, obtinendum, eamque planè memorabilem excogitavit. Nam eum alio tempore fortè intra palatium esset, videretque astantem Imperatori filium suum Arcadium, qui nuper Imperator creatus fuerat, ipsum Imperatorem Theodosium (ut mos est) salutavit ille quidem. sed filium sine honore dimisit. Imperator autem ratus Amphilochium oblitum officii, jubet ad filium accedere, eumque osculari. At Amphilochius respondit, Satis esse, quod ei honorem habuerat. Itaque Theodosius rem acerbè & graviter ferens, probrum filio objectum* [pag. 503] *injuriae, loco sibi ipsi illatae numeravit. Tum sapientissimus Amphilochius declarans Imperatori, quod animo instituebat, contenta voce; Vides, inquit; o Imperator, quàm aegrè ignominiam filii tui patiare: immo vero illis, qui in eum insultant, vehementer succenses. Credas igitur mihi velim, hujus universitatis rectorem Deum, eos qui contra filium unigenitum suum loquuntur blasphemias, itidem detestari, & tanquam ingratos erga servatorem & patronum suum odio prosequi. Cujus institutum cum hoc pacto intellexisset Imperator, facta ejus dictaque simul admiratus, legem protinus conscripsit, quae vetebat conventus ab haereticis agi.* Pop conditum corpus Juris civilis emanavit anno 639. Ecthesis Heraclii de S. Trinitate & Fide Catholicâ, ubi anathematizantur & ejiciuntur Anti-Trinitarii. Exstat apud Goldastum tom. 3. p. 637. 7. *Et haec in omnibus sequentes, & divina eorum suscipientes dogmata, omnes, quos exceperunt, excipimus, & omnes, quos ejecerunt, ejicimus & anathematizamus, praecipue Novatum, Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Origenem, Euagrium, Didymum, Theodorum Mopsuestenum, Nestorium, Eutych n, Dioscorum, Serverum, & impia scripta Theodoriti, quae contra rectam fidem & Ephesinam Synodum & duodecim Capitula sancti Cyrilli, & quanti pro Theodoro & Nestorio conscripserunt, & nuncupatam Ibae Epistolam: & hortamur omnes Christianos sic sapere, & sic glorificare, nihil addentes his, nihil subtrahentes, nihil transmutantes, secundum quod scriptum est.* Ibidem p. 642. Edictum est Constantini V. Pogonati de Fide Catholicâ, & damnatione haereseum. *anno* 681. Ubi cap. 8. *Anathematizamus autem omnem haeresim, quae à Simone usque nunc in Dei Ecclesiam introducta est ad discidendam pacem atque unanimitatem credentium.* Et cap. *His omnibus ita à sancto hoc universali sexto Concilio constitutis, & per subscriptionem nostrae fortitudinis confirmatis, sancimus, ut nullus quoque omnino aliud quicquam de fide satagat, vel novi dogmatis ad inventionem machinetur, aut penitus ac unae voluntate & una operatione docendi indicium, vel sermonem commovent. Nos enim sanctos & probabiles Patres nostros sequentes naturarum voluntates adnunciamus: & sicut duas naturas in Christo credimus, ita & duas naturales voluntates. & duas operationis praedicamus. Haec sunt verae in Deum confessionis dogmata; haec sunt Euangelicarum & Apostolicarum vocum praedicationes; haec sunt sanctorum Conciliorum & probabilium Paternarum liguarum didagmata; haec Petrus, qui & petra fidei & Princeps Apostolorum, intemerata servavit. In hac fide & vivimus & regnamus, & conregnanti nobis Deo, conregnare denuo speramus. Hanc comitem hinc recedentes habere deposcimus,*

deposcimus, & cum hac ante Christi tribunal assistere. Ad hanc confessionem omnes hortamur, & deservire Deo nobiscum invitamus, ac super montem excelsum Imperii stantes, praedicamus, aeque ecclesiasticam pacem totius populi solennitatem adnunciamus. Nam illa quondam Christo dilectorum dissensio nunc in concordiam versa est; Haereticorum contra sunt scandala: [pag. 504] *propriamque dignitatem haec fides adepta est, ipso Christo suis Ecclesiis medente. Ipse est igitur pax nostra, qui solvit medium materiae parietem: & quae per tempora dissidebant, in unanimitatem conciliavit. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, una in Deum nunc est Ecclesiae unitas. Si quis igitur Christi amator est, & metuit Dominum, optatamque salutem desiderat, hanc fidem Orthodoxam teneat. Nec enim erit per aliam fidem salvari. Si quis vero hominum personis gratiam exhibet, Charitatis autem in Deum amulatorem se non demonstrat, praesentemque nostram piam constitutionem non recipit, si quidem Episcopus est, vel Clericus, aut Monachico circumdatus est habitu, deportationis poena exolvet: si vero in Ordine dignitatum insertus est, supplicio proscriptionis mulctator, eique cingulum adimitor: si autem idioticae sortis est, ex hac Regia, omnique penitus Civitate extorris abjicitor: & super haec omnia etiam terribilis atque inexpiabilis judicii non effugiet cruciatum.* Alcuinus in praefatione libr. de Trinitâte ad Carolum Magnum, optat & commendat ut imperiali ipsius potentiâ concors hujus doctrinae confessio protegatur: *Ut in omnem gloriam vestrum extendatur imperium: ut scil. catholica fides, quae humanum genus sola* (N. B.) *sanctificat, veraciter in unâ consessione cunctorum cordibus infigatur; quatenus summi regis donante pietate eadem sanctae pacis & perfectae charitatis, omnes ubique regat & custodiat unitas.* Idem in hexasticho ad eundem Carolum M.

Te pater atque patris proles, te spiritus almus
Protegat, exaltet, salvet, honoret, amet.
Quem tua per populos, terras, per regna, per urbes,
Mens pia permandet, semper amare Deum.

Si ad nostra tempora (quibus exortus novus Arrianismus) descendimus, comperiemus nullibi libertatem illis concessam, ubique aditus omnes praeclusos. 1. In imperio Germanico, ubi usque in hunc diem nefas est libros ipsorum venales inferre aut exponere, nedum ut sub pace religionis comprehendi potuerint Quin & Fridericus Elector Palatinus merito dictus Pius concionatorem quendam nomine Sylvanum cum Socinianis occulta consilia agitantem de Socinismo in Palatinatum introducendo capitali supplicio subjecit. 2. In Magnâ Britanniâ nullum illis locum esse docent contestationes Sereniss. Regis Jacobi contra Vorstium de Socinismo suspectum; praeterea supplicium illic sumptum de blasphemo Arriano. 3. A Cantonibus Helveticis Reformatis eos non tolerari, ut nec à Republ. Genevensi fidem facit supplicium Valentini Gentilis, Serveti, & nuperrime cujusdam Antonii anno 1633. Genevae combusti. 4. In Polonia, cum ibi primum irreperent, fideliter in publicis regni comitiis se opposuerunt Proceres Protestantes & Reformati: sed à Pontificiis causa tunc deserta fuit: Sed anno 1640. nonnihil contra eosdem Socinianos ibidem in regni comitiis [pag. 505] decretum. 5. In Transsylvania quamvis antehac non paucis in locis obtinuerint, hodie tamen tantum agit celsiss. Princeps Racocius reformatae religionis protector eximius, ut cum Deo sperandum sit sicuti jam

jam coepere res eorum accidi, sic brevi plane collapsuras. 6. In Belgio foederato, multis modis tolerationi hujus sectae praejudicatum est. Approbatione sc. judicii synodalis de Vorstio ejusque ex Belgio dimissione 1619. Illustr. Ordd. Frisiae processu adversus libellum Socinianum à Vorstii discipulis clanculum editum, & super eo perscripta admonitione, ad Ill. Ordines Hollandiae anno 1616. Exauctoratione ministrorum qui Socinianis erroribus affines essent, per Ampliss. delegatos Ill. Ordd: Hollandiae & Synodi Deputatos anno 1618. & 1619. Combustione librorum Socini & ejectione Ostorodi & Voidovii ex his Provinciis; per Illustr. ac praepot. DD. Ordd. Generales anno 1598. qui rationem hujus sui decreti adferunt quod penes illos reperti essent libri quidam, *qui in Universitate Leidensi visitati, inventi sint concordare cum doctrina Turcica, negantes divinitatem Christi filii Dei & Spiritus sancti: & quod dictae personae eandem doctrinam haut obscurè profitentes, in has Provincias venerint, ut eam in illas introducant, atqui ita statum ecclesiae hic eo magis perturbent: volentes ergo his in tempore, pro conservatione honoris Dei, & commodi atque emolumenti Statuum Unitarum Provinciarum, occurrere, decrevimus &c.* VII. De Pontificiorum & Lutheranorum consensu non est quod multa addam: cum constet priores inhaerere Conciliis, quae post stabilitum in Occidente Papatum habitae repetitionem hujus dogmatis praemiserunt, cum exclusione aliter sentientium; ut Lateranense anno 1316 ubi opinio Joachimi Abbatis damnata: Viennense anno 1303. ubi approbatae sunt *Clementine*, quarum 1. *tit.* praemittit tanquam necessarium catholicae fidei fundamentum, quod filius aeternaliter in eadem essentia cum patre aeternaliter subsistens &c. Florentinum anno 1439. ubi definita processio Spir. s. à patre & filio. Lutherani quantum detestentur Socinianos & omni Christianismo exclusos velint, testantur ipsorum scripta ab annis aliquot in eos emissa. Quin immo ex praecipuis motivis (cur ex pace religionis in Imperio nostros exclusos contendant) haec una ipsis pariter ac Pontificiis communis est, quod doctrina nostra suspecta sit syncretismo cum nonnullis placitis Socinianorum: cui demonstrationi suae idoneum & evidens argumentum se reperisse putabant in Conr. Vorstio. Vide de hac re *scripta Alb. Graeweri* Lutherani, & Jesuitae *Becani*. Ante illos affinitatem aliquam aut syncretismum cum Anti-Trinitariis objecerat *Bellarminus in prolegom. ad.* 2. *controv.* generalem; & ex Lutheranis *Phil. Nicolai in detectione Fundamentorum Calvinianae sectae cum veteribus Arrianis & Nestorianis communium.* Qui liber à facultate [pag. 506] theologica Tubingensi approbatus est. Sed immiti illi & absurdae calumniae opponimus mitiora judicia & consilia Regum Galliae, qui nostris religionis suae exercitia permittunt; & praesentis Imperatoris, qui comitatui Hanoviensi eandem libertatem concessit, & in tractatibus pacis Lantgravio Hasso obtulit; & regis, reginae, & procerum regni Sueciae, quorum arctissima cum nostris foedera, & pro iis in Imperio Germanico postulata atque intercessione in tract. Monasteriensi anno 1645. 1646. in propatulo sunt. Et invitationis Regis Poloniae & Episcoporum ibidem ad pacem; à quâ solos Socinianos, non vero reformatos excludunt. VIII. Sed quia Remonstrantes pro tolerantia & moderatione non raro appellant *Melanthonem, Franciscum Junium, Hemmingium, Theologos Helvetios Musculum, Bullingerum, Gualterum;* insuper *Decretum DD. Ord. Hollandiae, Consilia pacifica Principum Germaniae,* ut Frederici Electoris Palatini, & eirenica Theolog. Palatinor. & sereniss. Magnae Brittanniae Regis: illorum ergo consensum audiant,

& ad.

& ad Socinismum applicent: alioquin dicendo nihil dicunt, aut latet anguis in herba, juxta illud: *Dolosus versatur in generalibus.* Sciant ergo, Ill. Hollandiae Ordd. qui magna sui parte pseudopoliticis advocati sui Joh. Oldenbarnevelt consiliis seducti moderationi ac tolerantiae in controversia de Praedestinatione tunc favebant, eamque anno 1617. decreto sanciebant, anno 1611. omnes dissensiones à recepta doctrina de plena satisfactione Christi, justificatione, peccato originis, perfectione in hac vita prohibuisse. Eosdem per ordinarios Deputatos suos (inter quos tunc Grotius, & quibus praesidebat advocatus Hollandiae Joh. Oldenbarneveldius) *Adolphum Venatorem* primarium ex sociis Remonstranticis propter Socinismum subdole libello suo cui tit. *Theologia vera & mera* &c. infarctum, in Gravesandam relegasse. Franciscum Junium virum Christianae pacis & moderationis & nostro & Remonstrantium praeconio studiosissimum una cum L. Trelcatio seniore & Fr. Gomaro tunc Profess. Leidens. Socinismum cum Turcismo comparasse, atque ita Illust. Ordd. ad decretum modo dictum praeivisse; quod tanquam sanguinarium & crudelitatem Hispanicae Inquisitionis longe superans pacifico illi Junio cum collegis imputat *Apologia Ostorodi & Voidovii.* Theologos Helvetios approbasse, nunquam saltem improbasse omnium sectarum à Cantonibus reformatis exactionem; ne quid dicam de Catabaptistis quibusdam, & Valentino Gentili capite plexis. Iidem cum Theologis Rhaeticis, ut & Melanthone, Hemmingio aliisque approbarunt supplicium Serveti: Nemine quod sciam id improbante, quam Socinianis, Cornherto, & tenebrionibus illis, qui fervente contentione Remonstrantica *Christallinum perspicillum*, *Acta quaedam in Classe Schielandicâ*, aliosque libellos [pag. 507] vernaculo idiomate tunc evulgabant; insuper *Castellionis apologiam pro Serveto contra libellum Calvini* anno 1612. praefixa aculeata praefatione recudendum dabant. A Frederico pio Electore Palatino Neuserum carceri commissum, quem cum effregisset & ad fratres Socinianos in Transsylvaniam, inde ad Turcas profugisset Sylvanum Neuseri sociennum capitis supplicio affectum: nunquam tamen propter hoc factum Principem illum ab Eirenicis Theologis suis eorumque successoribus *Tossano*, *Oleviano*, *Fr. Junio* &c. Hispanicis Inquisitoribus annumeratum. Serenissimi *Regis Jacobi apol.* pro gestis & consiliis suis *contra Vorstium*, ut & vivicomburium Arriani cujusdam in Anglia modo indicavimus. Sed agmen claudant ipsi Remonstrantes, qui olim ore celeberrimi & disertissimi causae advocati sic loquebantur: *Grotius nihil ultra persuadere conatur, quam velle regem, ut tolerentur quinque articuli, quos rex legit. Absit ut toleremus Sociniana: idque Deus avertat.* Sic Hyperaspistes Grotii (si non ipse) in bona fide Sibrandi num. 28. *Hic ubi rumor percrebuit* (de Vorstii scil. Socinianismo) *quam exhorruerint re inopinata perculsi illi ipsi qui Vorstium commendaverant*, (concionatores scilicet Remonstrantes) *nescire Sibrandus non potest. Grotius in Pietate Ord. p.* 11. 12. Ubi subjicit summam epistolae Joh. Uittenbogardi ad Vorstium (quae vernaculo idiomate tunc evulgata erat) qua monet Vorstium, ut diluat calumniam Socinismi Christiano nulli ferandum: si quid subesset veri, auctor est, ut oblatum munus recuset, neque Ordd. & Curatoribus imponat, seque in discrimen adducat. *Ab his enim omnibus Christianum exspectari professorem, non Ostorodi unum.* Nota Ostorodianos tunc Remonstrantibus non fuisse Christianos; & sic eum interpretatur ibid. Grot. *Isne credendus est Socinismo, aut quod idem est Ostorodianismo favere, quum eam sectam profitentes extra Christianorum nomen releget.* Et

paulo

paulo post p. 13. *Hic ego optima fide profiteor, neminem me nosse in omni Hollandiae conventu, qui non istis opinionibus & omnibus & singulis dicturus sit anathema.* Opiniones autem in specie designata, & *gravissima crimina* apellata erant, Negata ὁμοούσιος καὶ ἀσύγχυτος καὶ ἀδιαίρετος τριάς, *Christi, immo & Dei vera aeternitas, immensitas quoque & ubique praesentia* οὐσιώδης, *tum vero & immutabilitas, & omnipotentia, & rerum futurarum maxime* τῶν ἐνδεχομένων πρέγνωσις praeterea τοῦ Θεοῦ τὸ ἀσαλματον κὶ τὸ ἄποιον *metus vero ac desperatio Deo tributa, & quidem* κατὰ κυριολογίαν, *ne quidem agnita Christo pro peccatis nostris vera ac plena satisfactio.* De Pastoribus Remonstrantibus p. 16. refert eos *in conventu Ordinum testatos, ea quae Samosateniani aut Sociniani docere de sacro-sanctae Trinitate, de domini nostri Jesu Christi persona atque officio, de perfecta pro peccatis satisfactione, de justificatione etiam dicerentur, à se rejici, contra vero iis adhaerescere, quae universa Christianitas illis de* [pag. 508] *rebus probaret: quaeque passim in reformatis ecclesiis docerentur, & quae ipsi docuissent hactenus.* In fine ejusdem libri p. 126. *Hoc agunt illustriss. Ordd.* (sequestros scil. se praebent pugnantibus Theologis de praedestinatione) *non convellunt antiquam fidem, non Oecumenic. synodorum dogmata rescindunt; non Pelagium resuscitant; non ad Sarmatica portenta connivent.* (N. B.) *Christiani sunt. Catholici manent. Reformati esse non desinunt.* Atque haec dictata tunc ὁμοθυμαδὸν ita probabant Remonstrantes, aut saltem probare se simulabant. Quin & *Joh. Corvinus apologiam hujus scripti Grotiani contra Bogermannum* edidit. Nuperrime multis ingenii dotibus ornatissimus, & celeberrimus poëta Casp. Barlaeus philosophiae in Ill. Gymnasio Amstelredam. Professor, ita censet contra tolerantiam Socinismi in Vindiciis contra Vedelium, quas aut ipse conscripsit aut pro se scribi curavit: *Loquar,* inquit *pro Barlaeo severius. Non potuit illud foediore macula conspurcare, quam Socinianismi; quem Barlaeus pestem & everticulum esse fidei Christianae dudum credidit, viamque sternere ad* πανολεθρίαν *ejus religionis, quam pretioso suo sanguine aspersit aeternus aeterni Dei filius, totque neces martyrum & lanienae illustrem reddidere.* Et in fine: *Ita enim ipse* (Barlaeus) *judicat, indignum se fore, qui inter Batavos publico munere* (N.B.) *fungatur, indignum quem Ampliss. Reipubl. Amstelred. Optimates tenerrime foveant; indignum cujus studia Illustriss. Princeps Auriacus insigni liberalitate erigat &c. si Socini, si Anti-Trinitariorum aut similium haereticorum malesanis & damnatis ab ecclesia universa dogmatibus assentiatur.* Addimus postremo, ex prohibitione exercitii reformatorum (qui scil. negabant per conscientiam se posse aut conciones audire, aut coenam accipere ab illis qui doctrinam de Gratia Dei, praedestinatione, & perseverantia calumniose traducerent, insuper alias novitates fovere viderentur) Remonstrantibus olim tantopere probata, & à Magistratibus qui illos audiebant, peracta; firmiter concludi posse Remonstrantes tunc nullam Socinismi tolerantiam suasuros fuisse. Ratio consequentiae est, quia Remonstrantes tales auditores quondam suos non deteriores saltem judicabant Socinianis. Si ergo hic fratribus suis infirmis putabant libertatem non concedendam, utique Socinianis non concessissent. Antecedens nostri argumenti probat decretum Ultrajectinum, & Schielandicum à Grotio postea defensum, & utrumque defensum passim à concionatoribus Remonstranticis, argumentas ipsis suppeditante *Episcopii Disputatione publica & privata, De Jure Magistratus circa sacra.* Hic nulla exceptio est nisi dicant oves illas (ipsorum judicio errantes & infirmas) tunc fuisse deteriores Socinianis.

9.

9. Haec tam operose congerere visum est, non quod omnia illa consilia, dicta, facta, cum minutissimis circumstantiis ἀκριβῶς ἐξετάζεσθαι, & omnibus [pag. 509] imitanda proponi, nedum ut ad errantes quosvis & aliter sentientes in religione applicari velim, aut haereticidium, ut vocant, introductum, aut conscientiae libertatem sublatam (ut calumniosè sophisticari solent Remonstrantes) sed tantum ut ostendam, in hoc generali axiomate convenisse omnibus tam ecclesiasticis quam Politicis, *Tolerandos non esse Anti-Trinitarios:* ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Quidquid de reformatione aut formatione, quidquid de sectis & scismatis, quidquid de unione ac syncretismo, quidquid de pace profana & ecclesiastica, quidquid de libertate Exercitiorum, libertate prophetandi, moderatione hactenus in Christianismo agitatum fuit, mansisse semper catholicum hoc axioma, de Anti-Trinitariis. Si quis antithesin nostrae theseos propugnare velit huc collimet necesse est, & in refutandis allegatis statutis ac judiciis tam ecclesiasticis quam politicis genuinum prius frangat, quam totius Christianismi causam in hunc aut illum Doctorem devolutam odiose traducere incipiat. Argumenta quae ex Remonstrantium declamationibus conquiri possent palmaria sunt I. Quae supra pro tolerantia ecclesiastica excerpsimus; inter quae diligenter notandum est primum: quia seriam Socinismi apologiam continet, geminam Ostorodianae & Voidoiv. in Apologia sua adversus Ill. ac Praepot. DD. Ordines lit. E iij. *Accusamur nos ac si negemus Christi domini & Spiritus s. divinitatem, propterea quod non concedimus Christum ab aeterno ex substantia patris generatum, nec Spiritum s. personam esse. Verum est quidem nos ista non concedere, idque ipsi ultro confitemur: sed dicimus nihilominus, non propterea divinitatem filii & Spiritus s. à nobis negari: oritur ergo hic statim inter nos & vestros Theologos disputatio &c.* II. Quia libertas exercitii omnibus nomine Christianis concedenda, qui negant se posse per conscientiam exercitiis illis carere: & in segreges ejusmodi coetus Magistratui nulla est potestas: nec potest eos prohibere, nisi persecutionem & tyrannidem exercere velit, atque adeo gravissimo crimine coram Deo se obstringere, & similia generalia quae pro quibuscunque sectis & haeresibus (solis Idololatris exceptis) adferri possent: qualia sunt pleraque illa axiomata quae passim ex sua affirmatione defendunt Remonstrantes, in *libris* saepe *citat.* III. Quia sectarum (nominatim Socinianae quae in Polonia obtinet, in Belgio non obtinet) permissio faceret ad pacem, majorem perfectionem, & singularem felicitatem Reipublicae; hac ratione Remonstrantes in libello: **Den Rechten Remonstrantschen Theologant** p. 176. persuadere conantur Illustr. Belgii Ordd. *Quodnam regnum*, inquiunt, *majori pace ac felicitate gaudet, quodnam totius Christianismi adversus Turcas & Tartaros firmius propugnaculum, quam Polonicum, quod tamen hanc libertatem habet pro lege fundamentali, ubi innumerae sectae* (seu professiones) *non tantum tolerantur sed publica autoritate defenduntur. Haec sint Pharos seu Helice vestrae Republicae*, [pag. 510] *sed imprimis Jesu Christi servatoris vestri religio* &c. Sed quam bene ad amussim politiae specialis, & historicae Polonicae haec dicta sint, alibi videbitur. IV. Quia Christi religio docet συμπάσχειν omnibus, nominatim errantibus, omni lenitate & mansuetudine ergo eos uti, eosque instruere, si forte aliquando det ipsis Deus ut recipiscant. Applica nunc haec argumenta ad Servetum, Blandratam, Socinum, Ochinum, Enjedinum, Franciscum Davidis, Valentium Gentilem, Davidem Georgium, Valentinianos, Manichaeos (nam locum *Augustini* de lenitate sua erga illos huic suasoriae de libertate

sec-

sectarum *ibid. p.* 178. inserunt) ac pro illis libertatem agendi suos conventus atque adeo haereses ac blasphemias suas publice spargendi conclude in figura & modo.

Consectarium.

Haec cum pro veritate, necessitate, utilitate hujus adorandi mysterii dicimus, scribimus, profitemur, insuper adversarios omnes apertos, clancularios oppugnamus, eorumque profanos sermones procul habemus & omnes, reformati nobiscum; utique cessare deberent horrendae illae calumniae, quibus eodem censu religio nostra cum haeresibus anti-Trinitariis habetur *tum* à Theologis, *tum* à Jurisconsultis Papalibus. Inter Theologos praeluxere apostata *Staphylus*, *Lindanus*, *Prateolus*, *Bellarminus Coccius in Thesauro lib.* 1. *art.* 4. ex quibus reliqui fratres ignorantes absque examine transcribunt. Sed illis à multis responsum, praesertim ab Antagonistis Bellarmini, *Junio Chamiero &c.* Quibus addendi *Pareus in Calvino orthodoxo.* Accurate etiam & ex professo hoc praestitum à nostris in collatione Tyranensi, in Rhaetia anno 1595. 1596. Quaerant modo ab Anti-Trinitariis utros Doctores fortiores & factioni suae nocentiores adversarios experiantur. Inter Jurisconsultos agmen ducunt *Jordanus Brunus* qui rectè *libris* 6. *de haereticis* & *Antonius Faber*, qui in *Codice Fabriano* aperte omnia quae Jure civili contra haereticos statuta sunt, Protestantibus applicata velint. Posterior nimia credulitate ex irreformabili quodam Clerico mutuata in chartam conjecit, impellente illum, ut opinor, odio Sabaudico in Rempubl. Genevensem. Sed παρέργοις & evagationibus ipsius respondit egregie *Jacobus Lectius* IC. *professor*, & postea Syndicus Genevensis tract. cui titulus: *Adversus Codicis Fabrianis* τὰ πρῶτα κακόδοξα &c. Nos solummodo ad titulos, *de summo Trinit.* & de *Haeretic. & Manich.* nobis objectos respondemus, nec directe nec indirecte ullis haeresibus [pag. 511] Anti-Trinitariis, aut etiam aliorum haereticorum, qui ibi nominantur, per Consilia aut communem patrum consensum damnatis religionem nostram affinem esse: quod tamen in multis de Papismo probari posset. Et hoc vel ipsi Imperatores, Reges, principes quemvis Papismo addicti haut obscure agnoscunt, dum in Imperio, regno Galliae, quin in ipsis Convallibus duci Sabaudo subjectis libertas religioni nostrae conceditur: quod ipsos facturos fuisse minime credendum est, siquidem Jure civili libertas religionis nostrae praejudicata esset. Confer quae supra ad *num.* VII. notamus. Quod si Fabriani, quid pro quo hic sumant, & analogice alias haereses à se fictas ad hos titulos reducant quod strenue facit *Faber* cum calumniae de Arrianismo, Manichaismo &c: ipsos pudet, utique tantum magisterii theologici illis non est concedendum, qui fide implicita & carbonaria assueti sunt credere irreformabili Clero suo; quibus Theologiam tractare, scripturas sacras & nostrorum libros legere religio est, eosque cum scripturis conferre, ne scil. *videantur cum sutoribus Lutheranis & Calvinianis* (ut Faber loquitur) *theologos agere. Deinde* videant an leges suas factis nostris juridica & bona consequentia bene applicent. Excurrunt quidem ad hodiernas controversias, sed illas negamus titulis illis directe aut indirecte designari. Si triplicem coronam Papae negamus, non tamen Trinitatem; si utrumque ejus gladium, non tamen utramque naturam, aut triplex officium Christi; si ejus indulgentias totamque animarum nundinationem in poenitentiaria & cancellaria Romana, non tamen mysterium redemptionis, nec fidem, aut salu-

salutarem poenitentiam; si potestatem Imperatoriam statuimus, nec eam à Papa derivamus, non tamen cum Manicheis statuimus duo principia; si à factione Romano-Papali dissidimus, non tamen ab ecclesia Catholica; si Papistae non sumus, non desinimus tamen esse Christiani & Catholici; imagines patris, aut crucem, aut speciem columbae non adoramus, Trinitatem tamen invocamus: & sic in caeteris. *Denique*, si per reconventionem nostris agere libeat, facile esset ostendere ejusmodi ICC tos. non posse per omnia Papismum tueri, quin juri suo & conscientiae, & juridicae vim faciant, atque adeo sint haeretici & Theologice & Juridice. Videatur *Specimen Jurisconsulti Orthodoxi* nuper Sylvae ducis à Doctiss. D. *Maresio* editum, ubi disputat. Juris peritum Catholico-Romanum ex Codice Justiniani non habere argumenta manendi in papatu. Addimus nos, ne quidem Juri Canonico conformari posse Fabrianum Papistam, sine multa, magnaque reformatione: ut aliquando alibi indicium faciemus. Confer *disp. Nostram de Jure Canonico.*

Appendix quaestionum de Remonstrantismo.

4. Quaestiones, quae de Remonstrantismo hodie apud nostrates agitari solent, sunt potissimum istae. 1. An reformatis unio & fraternitas cum eo sit colenda. 2. An ipsi Reformatis unionem illam serio offerant, aut offerre possint. 3. An eandem toti Christianismo, seu professionibus hodiernis. 4. An Jurisc. Christianus manere possit in communione societatis Rom. 5. An reliqui auditores eorum. Ut autem ad has quaestiones liquido respondeatur, praemittimus has distinctiones. I. per communionem fraternam intelligi participationem eorundem sacramentorum, earundem concionum, ejusdem regiminis in iisdem conventibus ecclesiasticis, & agnitionem eorundam pastorum, ex. gr. ut ministri & membra ecclesiae Trajectinae quamvis propter multitudinem plura templa frequenter, una tamen sunt ecclesia, sic ministri & coetus Remonstranticus unam cum nostra hic constituant ecclesiam Christianam reformatam Ultrajectinam; sive illorum coetus nostro (quod videtur nonnullorum consilium esse) sive potius noster illorum coetui incorporetur, & ad eum ex erroribus & scismate suo redeat; quomodo nuperus tenebrio modum & mysterium hoc unionis pandit: Et sic, uti à patribus integralibus ad totum veniatur, universa societas Remonstrantica communionem ecclesiasticam cum Ecclesiis Belgicis, & vicissim Ecclesiae Belgicae tanquam illi societati *σύσσωμοι* cum ea *ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα* constituant. Talem enim communionem & ante & post synodum Nationalem praetenderunt Remonstrantes à nostris debuisse servari. II. Per Remonstrantismum intelligimus hic non ut praetendebatur anno 1611. reformata scilicet religio, excepta opinione de praedestinatione cum appendicibus, quas *libello suplice & collatione Hagiensi* tunc explicarunt, & quomodo primo & proprie sic definitus fuit ab ipsis apud *Grotium in pietate Ordinum p.* 11. 12. 16. 29. 43. (quaeso lector videat & conferat) resectis omnibus Socinianis, aliisque heterodoxiis de fide, justificatione, satisfactione, peccato originis, perfectione in hac vita &c. Anno 1617. in *sua secunda Remonstrantia* petebant ab Ill. Hollandiae Ordd. ne tam injustis criminationibus & calumniis de Remonstrantium novitationibus fidem adhiberent, sed haberentur Remonstrantes, omnesque qui ipsorum sententiae erant addicti, *pro talibus qui omnibus modis sequantur, & porro sequi desiderant s. scripturam, primitivam orthodoxam Christianam ecclesiam, ac simul etiam verum & primum fundamentum Chri-*

Christianae reformationis in hisce regionibus receptae. Ibidem describunt asseclas quosdam [pag. 513] suos, *quod primae & antiquae reformationi adhaerere cupiunt.* Qualis Remonstrantismus hodie in medio Remonstrantismo non invenitur, non magis quam ecclesia Romana antiqua in hodierna, aut reformatae ecclesiae pastor in Ochino, Neusero &c. candidatus ministerii in Statorio, membrum nostrae ecclesiae in Dudithio, Gribaldo, &c. postquam jam ab ecclesiae reformatae doctrina defecissent. Nec intelligimus contentiones aut controversias quasdam politicas, inter Provincias, aut civitates, aut Magistratus & subditos &c. Illae enim non sunt hujus fori, & qui eas rebus divinis immiscent, aut subdole pro iis supponunt, aut ad hujus controversiae decisionem adferunt, quasi μεταβαίνοντες εἰς ἄλλο γένος, ii certe aliud quid per praetensionem religionis quaerunt, quam religionem. Non intelligimus etiam, compositum & συνδεδυασμένον quid ex controversiis & discessionibus Ecclesiasticis ac politicis simul, quo Belgium nostrum alicubi infestatum fuit, ut nonnunquam altera alterius occasio ac causa existeret: Sed purum putum Theologicum & ecclesiasticum quid concipimus, & praecise de eo disputamus. *An sit, aut debeat.* Non denique intelligimus auditores & membra, sive seorsim sive collectim, qui Remonstrantium conciones nunc audiunt, aut in ipsorum coetibus religionem suam exercent ac profitentur: Neque enim hic disquiritur, quae & qualis illorum fit fides; quomodo singuli invitandi, attrahendi aut retrahendi ad unitatem Ecclesiae nostrae, quibus conditionibus recipiendi &c. Haec enim ad politiam ecclesiasticam, & agenda specialia pertinent: de quibus generales canones statuti in synodis Provincialibus, praesertim Zuyd-Hollandicis Leidensi anno 1619 cum Dordrac. anno 1627. & Delfensi anno 1628. ac Leidensi anno 1629. aliisque: reliqua prudentiae pastorum & presbyteriorum permittuntur. Sed per Remonstrantismum intelligimus *Societatem Remonstrantium tum ministrorum tum coetuum, qui post promulgatum judicium synodi Dordracenae anno.* 1619. *separatam professionem, religionem in coetibus suis exercere se profitentur, conformiter Confessioni suae per apologiam explicatae ac defensae.* In his terminis controversia haec continenda; extra eam si quis evagetur, aut cum aliis quaestionibus eam confundat ac permisceat, is non quaerit veritatem, sed fugit.

2. Nos negantem sententiam statuimus, propter has causas I. Quia confessione & religione à nobis dissident, & quidem in necessariis: quod ipsi haut obscure saepius inculcant, cum pro scismaticis seu separatis suis conventibus pugnantes, communionem nobiscum (si scil. in hac fide nostra & professione anno. 1619. per Synodum Nationalem repetita & stabilita maneamus) colendam negant, & nihil fere sibi cum reformatis [pag. 514] commune esse voluerunt. Vide libellos vernaculos, *Achabi Jejunium*, *Remonstrantium liberum exercitium*, *Nullitates synodi Dordracenae*, libellum apologeticum pro statua Erasmi Roterodam. cui tit. *Spongia Erasmi contra quendam Ministrum Roterodamensem.* coll. cum *Apologia in praefat.* His adde suspicionem Socinismi, & demonstrationem intenti cum illis syncretismi; quas maculas nondum absterserunt: de quo infra. Addamus nunc argumenta magis specialia. II. Doctrina Pelagiana in quinque articulis; quam nulla Professio Christianorum (ut quidem illa scriptis antisynodalibus explicatur) admittet, ne quidem in uno articulo de Morte Christi. Praeterquam quod Lutherani omnem synergiam liberi arbitrii in primo conversionis momento rejiciant. Neutri etiam placita eorum

de

de praedestinatione probabunt. Nam Jesuitae qui proprius ad illos accedunt, multo verecundius errant: Dominicani vero, aliique genuini sectatores Thomae διχρρήδην Pelagianismo hic adversantur. Ex Lutheranis Tarnovius Miscellan. sacr. lib. 2. p. 710. *Vorstiani, Arminiani & similes in Belgio, quando ajunt fide nos praedestinari ad vitam aeternam, idem dicunt, non idem nobiscum sentiunt.* Circa quintum articulum, de certitudine salutis melius sentiunt Lutherani & nonnulli ex Pontificiis *Catharinus, Isengrinius, Ulenburgius &c.* III. Errores de peccato originali de fide, de legis & evangelii, & utriusque foederis discrimine, de justificatione, de perfectione in hac vita, de resurrectione mortuorum. IV. Dubia, scepticismus, corruptelae circa omnia fere reformatae Theologiae capita; quae catechesi publice privatimque proponi solent: Quomodo ergo communionem in una externa ecclesia & professione colent nobiscum, qui eandem catechesin & confessionem nobiscum non habent sed suam propriam; nostram autem virulenter insectantur. Nisi velint ab ecclesiis Belgicis catechesin ex scholis & ecclesiis proscribi, confessionem cum harmonia aliarum confessionum ejurari: aut potius ex catechesi Racoviana & nostra, item nostra aliisque confessionibus & Remonstrantica cum Apologia unum chaos fieri. V. Photinianismi per Socinum renovati & ab ipsis incrustati partim gravissima suspicio, partim luculentum indicium jam saepe factum, nominatim à Cl. D. *Vedelio libro* saepius *laudato.* Quo fieret ut unio illa cum Remonstrantibus separatio esset ab omnibus ecclesiis reformatis, immo exclusio à generali Christianismo, & nomine Christianorum. Porro Remonstrantes ab haeresibus Socinianis se non purgare; ne quidem in gratiam totius Christianismi hoc conari, vel ex eo constare potest, quod manibus suis simplici rejectioni sequentium articulorum Socin. ausuri non sint subsignare atque una sancte promittere, se illos aut ullos eorum non docturos aut promoturos sive directe sive indirecte. Sunt autem [pag. 515] articuli isti, quos universalis Christianismus, omnesque ejus professores & Doctores simpliciter rejiciunt. 1. Patrem essentialiter & proprie esse solum, aeternum, & supremum Deum, peculiari & excellentiori adoratione, honore & cultu honorandum ac colendum. 2. Filium non esse unius & ejusdem essentiae cum patre, & per consequens non esse ejusdem & supremae majestatis, qui eodem & aeque excellenti religioso cultu coli debeat: sed esse verum Deum alio modo & alia ratione ac pater, & per consequens alio peculiari ac distincto cultu & adoratione colendum. 3. Christum ideo non dici, aut saltem ideo tantum, aut ideo principaliter non dici filium Dei unigenitum, quod à patre ab aeterno in una eademque essentia divina, per naturalem & necessariam ejusdem essentiae communicationem genitus sit. 4. Spiritum sanctum non esse coëqualem & coëssentialem aeternum Deum, cum patre & filio; & per consequens non esse tertiam personam divinam eandemque cum patre & filio supremam majestatem, uno & supremo cultu, hoc est, divino cum utroque colendam, sed esse tantum virtutem seu potentiam Dei, cui nec divina essentia, nec divina persona, consequenter nec divinus cultus attribui possit. 5. Deum non esse omni modo aut simpliciter immutabilem; nec certo praescire futura contingentia, quae à libera hominum voluntate profectura sunt. 6. Deum essentia sua non esse simplicem, immensum, sine finitudine & quantitativa extensione, nec omnipraesentem. 7. Non esse peccatum originale, ita ut omnes homines reatui primi peccati Adami obnoxii sint, nec in ac cum inhaerente peccati corruptione concipiantur ac nascantur, quod coram Deo damnabiles

eos

eos constituat. 8. Christum non habere duas naturas, nec esse Deum & hominem in unitate personae; manentem scil., qui & qualis erat ab aeterno, immutabilem & ὁμοούσιον cum patre Deum; & in tempore factum, quod & qualis ante non erat, verum hominem, assumta quippe & personaliter sibi unita vera natura humana ex carne & sanguine virginis Mariae. 9. Christum passione, & perfecta obedientia ac satisfactione tanquam sponsorem & mediatorem nostrum vice seu loco nostro pro nostris peccatis, quae in se susceperat, non satisfecisse, nec poenas nobis juste debitas tulisse ac luisse, & sic à nobis abstulisse, ac nos redemisse, saltem ex postulato & jure Dei justi judicis ac legis divinae plene non persolvisse pro nobis ac satisfecisse: sed passionem ejus tantum fuisse exemplum, seu habuisse rationem exempli nobis imitandi, aut saltem quadamtenus ac solummodo secundum gratiosum pactum, stipulationem, acceptilationem, ac conniventiam, atque indulgentiam Dei aliquid pro solutione praestitisse, quod sit quasi loco plenae satisfactionis. 10. Corpora fidelium novissimo die non resuscitanda, [pag. 516] scilicet haec eadem corpora, quae nunc habent; sed quaedam alia corpora spiritualia de novo creanda, ita ut haec corpora nostra, quae per mortem ceciderunt, plane desitura sint esse, nec unquam de novo proditura, aut ex mortalibus immortalia & gloriosa futura. 11. Animas impiorum interire cum corporibus; nec in inferno cruciandas poena damni & sensus: animas vero piorum à corpore separatas dormire usque ad diem judicii, aut saltem sine spirituali aliqua actione ad extra permanere. 12. Baptismum ex necessitate praecepti divini non esse omnibus Christianis conferendum, nec paedobaptismum infantibus fidelium.

3. *Secunda* quaestio est, An Remonstrantes communionem fraternam & syncretismum serio offerant, saltem offerre possint Reformatis ecclesiis in Belgio? *Resp.* I. Modo ajunt, modo negant, modo involvunt, & instar Protei in varias formas se vertunt, prout temporum & rerum mutationes inciderunt. Itaque credendum non est, eos hic serio loqui. Primis aliquot annis post synodum Dordracenam, philippicae ipsorum declamationes nihil sonabant, nisi separationem, ejusque necessitatem, nec ab iis abludit *apologia.* Postquam alicubi conniventiam ad conventicula sua obtinuisse se viderent, stylum temperarunt quin & de pace ac fraternitate in *epistola suâ ad Synodum Zuyd-Hollandicam* Schiedamensem anno 1631. denuo quid mussitare coeperunt, uti & superiori anno in libello quodam vernaculo in 4. & nuperrimè tenebrio quidam Thersiticus ineptissimâ suâ rhapsodiâ, tam in Deum blasphemâ, quam in homines desperatè maledicâ: sed horum posteriorum libellorum, quia communi Societat. nomine editi non sunt, autoritas apud illos forte exigua est. II. Quidquid sit de ipsorum facto, saltem ex hypothesibus suis serio & bonâ conscientiâ syncretismum cum nostris ecclesiis nec appetere, nec offerre, nec admittere possunt propter causas, quas passim allegant. 1. *Quia* nostra doctrina quinquarticulana, per evidentem & necessariam consequentiam secum trahit horrenda βδελύματα Manichaica, Stoica, Sociniana; quae omnem praxim pietatis & consolationis plane subvertant. *Apolog. in praef. & cap.* 6. Et *Vedel. Rhaps. p.* 202. 2. *Quia* dogmata quam plurima facit necessaria, quae non sunt necessaria. *Vedelii Rhapsodi p.* 121. 3. *Quia* persecutionem docet: statuendo sc. à Magistratu posse conventicula sectarum prohiberi; haereticos sive Socinianos sive alios (siquidem aliter à conatibus suis & praetensâ libertate exercitii desistere nolint) mulctis externis pecuniariis, item exiliis, deportatione, incarceratione posse coërceri: breviter, quia talia

talia erga Remonstrantes decreto Illustr. Ordd. Generalium an. 1619. statuta sunt, & tunc ad deinceps executioni mandata, nec Ecclesiae aut concionatores hoc dissuaserint; Anonymus quidam [pag. 517] in libello cui titulus *Spongia Erasmi adversus* quendam ministrum Roterodamensem, exsertè & multis rationibus probare conatur Ecclesiam reformatam in Belgio nullo modo esse Ecclesiam Dei, quod doceret prohibitionem conventuum Remonstrantium, aut saltem receptaculum esset ejusmodi Magistratuum, qui praedicta decreta ferrent, & executioni mandarent. Confer *apolog. c.* 24. *fol.* 273. & *praefat.* & *Resp. ad Prof. Leid. p.* 53. In libello Belgico cui tit. **den Rechten Remonstr. Theologant** *p.* 847. dicunt duas illas opiniones nostras de decisionibus necessario credendorum, & de prohibitione haereseon ac coetuum cujuscunque haereseos, esse duo principalia fulcra Papatus. 4. *Quia* talis est doctrina, speculativa Calvinianorum, tales nostri Doctores, cum asseclis suis, talis secta Contra-Remonstrantium, ut nec ecclesiasticè nec politicè toleranda videatur. Quod benignum Remonstranticae caritatis judicium de nobis in lucem protraxit *D. Vedelius Arcanor. part.* 2. *lib.* 1. *c.* 7. 8. 9. & *in epistol. Dedicator. ad Arcanor. Arminianismi partem.* 4. Et parte 3. *lib.* 2. *c.* 8. Ita ut peremptoria conclusio illorum adversus nos sit: *Anima nostra non veniat in concilium eorum.* Et haec pax atque unio scilicet ecclesiastica, quam moderati illi homines tantopere expetere se fingunt.

Tertia quaestio. An Remonstrantes serio offerant aut ex hypothesibus suis offerre & admittere possint syncretismum cum omnibus Christianis professionibus, aut unionem dissecti Christianismi. *Resp. Neg. utr.* Cum solis Socinianis possunt; & forte cum nonnullis. Anabaptistis (qui nunc audiunt Semi-Enthusiastae & Sociniani). Saltem cum Pontificiis non possunt *tum* propter idololatriam, *tum* quia dogmata faciunt necessaria, & persecutionem docent. Ut nec cum Lutheranis. De reformatis jam dictum est. Sunt ergo talia pacis, moderationis, ac tolerantiae praetensa consilia ipsorum nihil aliud, quam merae logodaedaliae, & chrestologiae, quibus imprudentiores circumveniunt. Nihil habent quod excipiant: nisi forte, se moderationem, tolerantiam & syncretismum illum sic intelligere, ut Reformati doctrinam suam abnegent, aut premant (speciatim quinquarticulanam) & sola Remonstrantica in Ecclesiis unitis resonet; insuper in fidei necessariis, & haeresibus definiendis, ut etiam in Doctrinâ de potestate Magistratus extendente se etiam ad conventicula sectarum privato-publica, & de externâ moderatâ ac necessariâ coercitione haereticorum seducentium & turbantium, sententiam suam revocent; quam tamen cum universo Christianismo & antiquo & hodierno, ut etiam cum ipsis Remonstrantibus (usque ad annum scil. 1618.) habent communem. Siquidem ita excipiant, jam nemo est qui non videat quam illusoria sit illa moderatio, pax, libertas prophetandi, & tolerantia aliter [pag. 518] sentientium: quippe quae eodem sensu Gentilibus, Turcis, Judaeis offerri posset, si sc. sententiam suam mutent.

5. *Quarta* quaestio. An Juriscons. Christianus utut Remonstrantibus accedens in quinquarticulanis: religionem suam exercere ac profiteri possit in coetu aliquo Remonstrantico, nisi Societas ab erroribus Phontini se prius purgaverit. *Resp. Neg.* siquidem Justiniani codicem sequatur. Ibi enim haereses Photini, Pauli Samosateni, quas scilicet consensus ecclesiae condemnârat, plane proscribuntur. Quaestio *Quinta*, An auditores Remonstrantes conventiculis Remonstranticis absistere debeant, etiam ex fide, conscientiâ & definitione genuini & primi Rem.mi, quam ex

Grotio supra attulimus, & cujus tolerantiam politicis decretis hic & alibi ante hac stabilitam volunt. *Resp. Aff.* Et nullos, quibus Christianae ac reformatae religionis gustus ac conscientia adhuc super-est, (quales plerosque esse speramus) assertioni huic nostrae reclamaturos arbitramur. Utinam videant se vanis praetextibus, admixtis parergis & extravagantibus, fraudulentis dissimulationibus miserè decipi, & à primo ac genuino Remonstrantismo, qui in solâ opinione aut saltem moderatione quinquarticulana consistebat, quin & ab ipsâ Arminii Theologia paulatim tam longè abduci, quam coelum distat à terrâ. Quaerant modo ex iis haec duo 1. An & cur cautelas & protestationes illas contra Socinismum Illustr. Hollandiae Ordinum, & primorum Remonstrantismi assertorum anno 1611. & 1613. nunc praetergressi sint. 2. Siquidem dies diem interea docuit, & praeter causam aut moderationem quinquarticulanam (*Collatione Hagiensi*, *decreto Ordd. Hollandiae pro pace ecclesiarum* 1614. cum rigido (ut vocare solent) *decreto anno* 1617. *Grotii pietate*, *Constitutionibus ecclesiasticis Provinciae Trajectinae anno* 1612. expressam & circumscriptam) alia quaedam causa ab illis suscepta est, cur eam non aequè ac priorem illam auditoribus & sectatoribus suis exponunt? cur cum vernaculè tam multos libellos certatim edere soleant, *Apologiam confessionis suae* non ausi fuerint in gratiam Belgarum suorum evulgare? cum *Censura DD. Professorum* Leidens. Belgicè exstet, & apologia scriptum sit commune & quasi necessarium, etiam tam erudite ac tantâ cum curâ conscriptum, ut si Pergama dextâ defendi potuissent, etiam hâc defensa fuissent. Idem quaerere possum de *Responso ad Excerpta Professorum* Leidens., & de *Vindiciis, seu Vedelio Rhapsodo.* Sed pudet ipsos istorum librorum coram suis auditoribus: nôrunt enim haereticorum detectionem esse eorundem refutationem. Addatur epimetri loco de Socinianis *Sexta* Quaestio. An Sociniani Trinitariis (uti eos vocant), & inter eos Reformatis seriò offerant, aut ex hypothesibus suis [pag. 519] offerre possint fraternitatem. *Resp. Neg.* Ita enim eos describunt in *libro de doctrina Christi & antichristi* à ministris Neo-Arrianis in Transsylvania edito: ut nullo modo communio lucis cum tantis tenebris (siquidem veritas staret à parte ipsorum) cogitari possit, Patriarcha ipsorum Servetus Trinitarios dicebat esse Atheos: uti testatur *Calvinus in libro c. Servetum pag.* 82. edit. in 8. apud Rob. Stephanum. Breviter Trinitarii sunt ex opinione eorum horrendi idololatrae; quia duos colunt tanquam unum, solum, aeterna natura Deum; filium scil. & spir. s.: qui tamen revera non sunt verus ille & aeternus Deus. Smalcius librum de divinitate Christi cap. 25. seu ult. sic. concludit: *Audacter affirmamus neminem eorum qui statuunt Christum esse à se ipso Deum, & à seipso habere potestatem divinam, ex proprietate & vi suae opinionis unquam posse habere certam & firmam spem vitae immortalis.* Ita ut meritò suspicari liceat eos tantisper dulcem hanc fraternitatis cantilenam canere, donec possessionem in Christianismo obtinuerint: postmodum facturos quod antiqui Arriani sub Constantio, & Valente faciebant, hoc est, ecclesiam Christianam non tantum à communione exclusuros, sed & crudeliter persecuturos, & quod Eunomiani, quos ipsos Constantinopoli parato favore aulae *accusatores, & judices, & lictores, & omnia quae volebant exstitisse*, testis est Basilius lib. 1. c. Eunomium paulo ultra principium. Fertur Socinus specimen dedisse in Francisco Davidis, qui carceri commissus in phrenesin incidit, & miserè obiit. Vide *Carr. Schlusselburgium de haeresib.* Et *Possevini biblioth. select. lib.* 8. *cap.* 12. *&c.*

Quia

Quia hac disputatione contra Remonstrantes disputavi syncretismum nullum cum Neo-Arrianis ineundum, non abs re facturum me arbitror, si sententiam & praxin reformatorum in Polonia, ubi haereticos illos proprius norunt, hic exhibeam, ex Johannis Laeti Moravi compendio historiae universalis cap. 34. quod complectitur gesta ab anno 1612. usque 1619. Sic ergo ille p. 713. 714. *Sed hic Valentinus Smalcus Socinianorum antesignanus cum suis sociis Ecclesias dogmatibus ac iniqua Unionis & Consensus postulatione turbabat. in* Synodo Lublinensi *anno* 12. *praesidente* Francisco Jeserzicio, *postulatis suis in scriptis datis cum rem urgerent rejecit* Synodus *petita, responditque scriptis rursum doctissime* Raphael Comes Leszczezinius *Andreae Fr. Castel. Calissiensis, & quia quaedam reposuerant idcirco è Procerum numero* Petrus Goraiscius *rursus nervosissimum responsum sectariis remisit. deinceps in* Synodo Belcizii *rursus irridentes prius Orthodoxam concionem fatigare Ecclesiam coeperant, sed* Christophorus Krainscius *ut erat Orthodoxiae tenacissimus*, Domini facessite hinc, ne turberis nos, citius coelum cum Orco concordare poterit, quam nos Euangelici vobiscum! qui Deum timet, è templo exeat. *è vestigioque ipse ex templo abibat, in pomeridiana sessione cum iterum instarent, nomine totius* Synodi *graviter* Raphael Leszczezinius *respondit*, petitio haec nec hujus loci, nec temporis est, concernit universas Reformatas Ecclesias, quibuscum vinculum nobis intercedit. instituendum esset Concilium generale. fidem à vobis discere, cum in vera fundati simus, nolumus *tum adversarii de* Krainscii *dicto quaesti*, qui [pag. 520] Deum timet è templo exeat, *quasi indignos conversatione censeret, subsumpsit* Leszcizinius *Comes*, timeo ego Deum, igitur abibo, *simulque cum dicto exivit & conscenso carpento discessit, sic Unio denegata.*



DISPUTATIO QUINTA.

DE QUAESTIONE HAC
AN CHRISTUS QUA MEDIATOR SIT ADORANDUS? [1])

Quamvis problema ex aliis Academiis allatum de Adoratione Christi quâ mediatoris, *saepius à studiosis nostris ventilatum, & satis superque veritas in luce posita videatur: non gravabor tamen post alios Doctiss. viros, quae vivâ voce inculcata sunt, thesibus hisce methodice, repetere & publico examini subjicere; nullam aliam ob causam quam quia ita flagitant, quorum studiis me meaque devovi.*

1. *Occasionem seu* ἀφορμὴν problemati dederunt controversiae Socinianae & Remonstranticae, ut alias nunc praeteream, quarum infra ἐν παρόδῳ mentionem faciemus. Solent Doctores Christiani patrum vestigiis insistentes aeternam Christi deitatem & τὸ ὁμοούσιον probare ex honore, cultu & adoratione divinâ. Ut videre est, apud recentiores *Wiekum*, *Bellarminum*, *Zanchium*, *Fr. Junium*, *Tarnovium*, *Jacob. Martinum*, *Smiglecium*, *&c.* contra Antitrinitarios; & passim apud Scholasticos ac locor. commun. scriptores. Sociniani ut classem hanc argumentorum amoliantur, excipiunt contra majoris propositionis consequentiam, distinguendo inter fidem, cultum & adorationem quae tribuitur aeterno Deo patri ut causae primae, & inter eam; quae tribuitur Christo mediatori quà tali, hoc est, tanquam causae secundae, mediae, & subordinatae omnium eorum quae pertinent ad salutem nostram, quae utraque adoratio divina sit non tamen summa; illa enim summa, haec minime, quod Christus non sit agnoscendus pro ultimo fine fidei; adorationis & invocationis, adeo ut qui in Christum credit non in eum credat sed in Deum. *Sic Catechesis Racoviana cap.* 1. *Socinus in resp.* 1. *ad Volanum*, & passim *in Epistolis. Smalcius libr. de Divinitate Christi cap.* 12. *&* 24. *Idem in Refutat. Smiglecii de Erroribus Arianorum lib.* 1. *c.* 10. Oostorodus institutionibus cap. 14. & 15. Ubi priori capite talem retorquet syllogismum: *Nemo est unus ille Deus, quem propterea cultu divino colere debemus, quod Deus illi dederit omne judicium & nomen supra omne nomen. Sed Christus propterea divino cultu colitur, Ergo* Remonstrantes [pag. 521] in *Confessione* & *Apologia cap.* 16. haec inculcant axiomata 1. Esse honorem adorationis, qui Christo ut mediatori contradistincte, ut est unigenitus patris filius gratiose & ex promisso à patre collatus, attributus & communicatus est, ex *Johan.* 5. 26. *Philipp.* 2. 9. 2. consequenter Christo qua mediatori religiosum adorationis

[1]) *Resp.* FLORENTIO MICHAELIDE, Arnemudâ Zeel. *Ad diem* 21. *&* 28. *Aprilis Anno* 1638.

adorationis cultum competere. 3. Gloriam illam esse veram adorationis gloriam sed non absolute divinam. 4. Non esse necesse, ut credatur, quomodo Christo mediatori communicatus sit honor adorationis, an secundum naturam divinam, an secundum humanam, an secundum utramque. Dum strophas illas detegere & ad exceptionem accurate respondere satagunt Orthodoxi, enata est haec quaestio, quomodo respondendum sit ad hoc adversariorum argumentum; Quae adoratio tribuitur Christo qua mediatori, illa non competit soli Deo qua tali: & per consequens non evincit ipsius deitatem & ὁμοούσιον. Sed verum prius, Ergo. Plerique qui controversias has tractant (quod nos sciamus) negant minorem; nonnemo tamen voluit negare majorem. Hinc tandem problema; Quomodo seu sub quo formali Christus adorandus?

2. Est ergo hoc quaesitum, seu controversum inter orthodoxos propriè problematicum: pertinens ad theologiam non tam theticam seu ecclesiarum nostram, quam ad ἀκρίβειαν scholasticam seu philosophico-theologicam. An & qualis scil. limitatio sit addenda subjecto enuntiationis Christo, cum adoratio de eo praedicatur. (*Sic quidem in priori editione hujus disputationis scripseram; sed infra in problematis disquiretur, annon accuratius dicendum sit limitationem addi praedicato*). In re ipsa quidem conveniunt, sed in explicatione, usu, & applicatione terminorum quà; & sub hoc formali qua dissentiunt. Habet tamen enodatio problematis usum suum, cum ab adversariis nobis objectum sit; nec liceat jam per illos simplici ignorantiae litare, nedum ex contentione aut ignorantia pravae dispositionis quidquam concedere, ne causae veritatis contra Socinianos vel minimum praejudicemus. Illi enim hic non subsistunt, sed ulterius hoc trahunt, ut tectè innuunt Remonstrantes *loc. cit.* aperte Sociniani *loc. cit.* Haut aliter ac evenit in theologico-philosophicis *Conr. Vorstii, de Deo in praedicamento, de loco & duratione Dei, de accidentibus & affectibus in Deo &c.*

3. *Examen* tituli, seu *praecognitio terminorum praemittenda.* Occurrit hic *primo* subjectum problematis; scil. *Christus;* Deinde praedicatum, scil. *Adorandus qua mediator.* 1. Subjectum est *Christus*, subjectum in ordine ad attributa sua plane extraordinarium. Potest enim persona Christi cum de illa quid praedicatur spectari, quatenus praecisè est persona divinae naturae; aut quatenus praecisè est persona humanae Naturae, vel quatenus & [pag. 522] persona utriusque naturae. De praedicationibus illis consulendi Scholastici, & recentiores Theologo-philosophi. II. Quod ad terminos describentes praedicatum, quia est enuntiatio non pura sed modalis, considera. 1. ipsum praedicatum *adorandus.* 2. Limitationem seu determinationem praedicato additam. Quod ad ipsum praedicatum *adorandus*, seu *invocandus*, nota: Per adorationem nihil aliud quam cultum religiosum, seu divinum & Deo proprium intelligi. Distinguimus autem inter adorabilitatem & adorationem. Illa est attributum Dei absolutum, & consequenter proprietas ejus essentialis, sine quà Deus non est Deus. Ista est attributum respectivum, quod Deo tribuitur in ordine ad creaturas, & intercedente quadam actione earum; quod non est essentialis Dei proprietas, quia Deus ab aeterno fuit sine eo, ut bene observat *Zanchius lib.* 1. *de Incarnatione.* Illius respectu Deus consideratur (analogicè & θεοπρεπῶς) ut subjectum, inhaesionis (ita loqui liceat; quod θεοπρεπῶς accipiendum) & attributionis & sic problema formandum: ***An Deus quà Deus***

Deus sit adorabilis. Istius ratione Deus consideratur ut objectum terminas activam hominum adorationem: atque ita problema formandum: *An Deus, an Christus quà Deus adoretur.* In determinatione praedicati occurrunt 1. terminus realis seu dictum: ***Mediator***, per quod fit limitatio. 2. modus seu προδιορισμός, logico-grammatica scil. formalitas limitationis: *quà*, vel *in quantum.* 1. ***Mediatorem*** & abstractum ejus ***mediationem*** non est quod hic definiamus. Hoc saltem in praesenti negotio notandum. ***Primo vocem*** mediatoris significare officium, quod est in praedicamento relationis. ***Deinde***, esse relationem filio Dei accidentariam, contingentem, temporalem, non verò necessariam, naturalem & aeternam. ***Adhaec***, esse rationis, non realem in persona λόγου (quatenus praecisè spectatur ut persona naturae divinae) nihil ponens reale, sed tantum denominationem extrinsecam. Confer ***disput. De Unica & simplici Dei essentia thesi*** 6. & 9. ***Denique*** non esse hanc relationem unum idemque essentiâ, formalitate, & conceptu cum natura divina, nec rationem formalem unius includere alterum: quod idem de absolutis attributis & proprietatibus Dei intelligendum est. Et ratio est, quia alioquin pater aut spir. s. esset mediator, quatenus Deus est. ***Postrema.*** Non esse eandem rationem formalem mediatoris ut sic, & secundae personae divinae quà talis, nec esse meditationem de ratione personalitatis τοῦ λόγου; fuit enim λόγος, antequam esset mediator. Quamvis enim unus idemque nunc sit & secunda persona divina deitatis, & mediator non tamen unum est mediator & persona illa divina (in sensu scil. formali:) sicut unus idemque est & Petrus & Apostolus, non tamen unum idemque est ***Petreitas*** & ***Apostolatus***, sed atrionibus formalibus distinguuntur. 2. Modus seu προδιορισμός formaliter limitans subjectum effertur vel per simplex syncategorema, vel [pag. 523] per alios terminos circumscribentes. 1. ***Illo modo*** dicitur *quà* in cujus particulae explicatione totius hujus disceptationis cardo versatur. Nota ergo 1. Synonyma ejus ***esse quatenus, in quantum, ut sic,*** ἡ τοιοῦτο ***qua tale, quatenus ipsum,*** καθ' ὃ ***quo ad,*** κατὰ ***secundum, in eo quod, ea ratione qua, qua parte, qua ex parte,*** Quamvis haec synonyma alicubi distinguantur; & unum altero latius aut augustius accipiatur. 2. Determinare hoc signum partem enuntiantem, & facere limitationem dupliciter; ***vel*** reduplicando & repetendo eundem terminum, ita ut limitandum limitetur seipso, ut ens in quantum ens est subjectum metaphysicae; Homo quà homo est risibilis) Deus quà Deus adorandus est; Patres quà patres colendi; motus est actus entis in potentia qua in potentia, & mobilis quatenus mobile. ***Vel*** apponendo diversum terminum, qui sit ***aut causa*** attributionis praedicati, ut homo quà rationalis, est docilis; ***aut Genus***, ut, homo qua animal sentit; aut pars; aut denique accidens internum, externum, absolutum, respectivum &c. 3. Non esse, hoc signum ***quà*** semper unius ejusdemque significationis apud philosophos. Cum adjunctum praedicatur limitatè de subjecto (ut in hoc negotio) & non absolutè, ***aut*** adhibetur ad consignificandum subjectum proprium, cui affectio primo, immediatè & per se, inest, ut homo quà homo est risibilis: ***aut*** ad consignificandam causam propriam, adaequatam & proximam, per quam & propter quam praedicatum subjecto primo & adaequatè inest; ut homo quà rationalis est risibilis. Aliquando adhibetur ad significandus modum considerandi, ut corpus naturale quà mobile est subjectum Physicae; Et ens quà ens est subjectum Metaphysicae. Sed priores duo modi nostro huic negotio propriè quadrant. Quocunque modo usurpetur, infert semper reciprocationem seu conversionem,

conversionem, seu adaequationem praedicati & subjecti, aut limitationis seu determinationis subjecti, ut patet in propositis exemplis, ubi mutuo convertuntur homo & risibile, rationale & risibile, &c. Istarum restrictionum exempla plurima ex Theologia adferri possent, ex. gr. Christus mortuus pro nobis mittit spiritum sanctum, sed non quà mortuus; (quamvis rectè dicatur, quia mortuus) neque enim τὸ mori, aut humana natura est causa adaequata formalis missionis spiritus sanctus. Filius Dei est αὐτοθεὸς, non quatenes filius (sic enim est à patre) sed quatenus Deus: nam Deus est οὐσία ἄναρχος καὶ ἀναίτιος. Peccatum seu actus peccaminosus dependet à Dei providentia positiva & operante non quà peccatum, sed qua actus & qua ordinabilis seu quatenus ordinatur ad bonum. Natus ex Maria est aeternus, non quà natus ex Maria, sed quà Deus. Ita in nostro problemate quaerendum est, an usu Philosophorum; à quibus syncategoremata illa habemus, *qua* gr. ᾗ, & ᾗ τοιοῦτον *secundum* [pag. 524] *suam rationem qua tale, ut sic* καθ' ὅ, *quatenus, secundum quod, sub formalia qua*, aliud quid notare possit, quam quod praedicata subjecto aut termino limitanti subjectum insint κατ' αὐτὸ, & cum eo reciprocentur; ex. gr. Deus qua Deus est adorandus; Christus, mediator, homo Christus, crucifixus qua Deus est adorandus. Quod si quis syncategoremata illa ad quascunque causas & rationes extendat quae cum rebus non reciprocentur, putamus illum ἀκυρολογίαν, committere. 11. Termini alii quibus circumscribi solet haec enuntiatio restrictiva, sunt, *objectum formale, ratio formalis, formale, fundamentum:* Quid & quotuplex sit objectum ex Logicis discendum. Hic suffecerit observasse, quid sit objectum formale, quod vocat *Cajetanus ad* 1. *quaest.* 1. *a.* 1. *rationem formalem objecti* (nam λόγος τῆς οὐσίας *ratio rei* Peripateticis est forma) & cujus tam crebra non tantum apud Philosophos, sed etiam apud Theologos fit mentio, cum disputant de objecto & analysi fidei, & de autoritate scripturae. *Objectum formale* seu ratio formalis objecti id est, quod est ratio, ut ipsum & objectum materiale à potentia aut habitu directe attingatur, seu ut actio agentis in ipsum tendat. Haec ratio formalis in objecto scientiarum tripliciter consideratur à Philosophis 1. *Quae;* estque illud quod se tenet ex parte rei ut res est, ex gr. Ens ut ens est subjectum Metaphysicae. 2. *Quae* seu *per quam*, ratio scil. formalis tenens se ex parte scientis & est medium necessarium cujus gratia intellectus assentitur conclusione, ex. gr. rationale est causa quare risibile insit homini, & est mihi medium necessarium per quod necesario assentior conclusioni illi scientificae: *Homo est risibilis* quia rationale est ratio vera ex parte rei, ob quam πάθος illud inest subjecto. 3. *Sub qua*, seu objectum est, seu ratio tenens se ex parte objecti, quae nihil aliud est quam respectus seu habitudo quam objectum dicit ad potentiam non quatenus est res aliqua sed quatenus est scibile, ex. gr. Corpus naturale est objectum Physicae, quatenus est abstractum à materia sensibili, tanquam sub ratione formali sub qua. Nos, ut huic negotio nostro distinctiones applicemus, dicimus hic quaeri 1. de ratione formali objecti adorabilis ut res est, An Deus sit adorabilis ut Deus, An Christus mediator aut homo sit adorabilis, quà talis, hoc est, qua mediator aut qua homo? Et haec est ratio formalis *Quae*. 2. de ratione formali, quae sit de parte adorantis, per quod devenimus in adorationem Mediatoris, An sola Deitas seu Deus sit ratio fundamentalis, necessaria, & reciproca cur adoratio possit & debeat tribui Christo; an vero sint aliae rationes seu motivae adorationis nostrae, quae formales & fundamentales dici possint. Quod

tantundem

tantundem est, ac si quaeratur, 'An risibile tanquam proprium πάθος intelligi possit primo, immediate, [pag. 525] & adaequate esse in homine, per & propter aliud medium, quam τὸ rationale? Quod ad terminum *formalis* seu *formae*, ille in ejusmodi disputationibus nihil aliud notat, quam rationem agendi & principium activum: dicitur *formâ à quâ*, qui effectus ut ab agendi principio ab illa egreditur. Sic ex. gr. adorabilitas à Deitate (ita loqui liceat) tanquam ex forma, & à persona filii considerata precisè ut persona naturae divinae tanquam ex subjecto suo fluit & sequitur. *Fundamentum* & fundare *late* aliquando notat quodcunque motivum aut rationem, aut quamcunque causam impulsivam, respectu nostri: *stricte* & *proprie*, rationem fundamentalem seu causam proximam & adaequatam. Nos posteriori notione hic accipimus. *Principium* itidem hic intelligimus *formale* quod nihil aliud est quam vis illa causae, quae facit ut tale effectum existat. Et haec sufficiant ad explicationem praecognitorum, in hoc problemate. Porro quia in terminorum illorum genuina explicatione tantum situm est; & solo eorum abusu aut diversa acceptione heterodoxi ludunt & illudunt in Controversia de Deitate Christi, operae pretium facturi sunt juniores si ex philosophis aut Scholasticis humanae sapientiae Magistris eos penitius & ex professo cognoscant. Vide *Gabrielem ad* 1. *dist.* 9. *quaest.* 1. & *ad* 3. *dist.* 27. *qu.* 1. *Fontanum de Terminis philosophicis*, *Formalitates Francisci le Roy lib.* 1. *c.* 5. *&* 2. *Castanei distinctiones*, *Armandum de bello visu &c.*

4. His ita praemissis videamus quid non sit, & quid sit ζητούμενον seu controversum. Non quaeritur de adoratione Christi, mediatoris, hominis, crucifixi &c. ut mox patescet: nec quod nam sit objectum materiale (ita loqui liceat) adorationis in quod tendat adoratio, nam illud esse Christum mediatorem, hominem, filium Mariae, fratrem nostrum; nemo Christianus dubitat: Nec quaeritur an sint variae rationes & motivae, quae nos impellere & incitare debeant ad Christus colendum. Sed quaeritur: An Christus sit adorandus quà Deus, & quidem tantum sub illo formali quà Deus, hoc est an Deitas sit subjectum adaequatum adorabilitatis seu majestatis adorandae, & objectum formale adorationis, seu ratio formalis per quam & propter quam supposito huic adoratio conveniat, & tribui possit, alteri vero non conveniat, nec tribui possit. An mediatorium munus sit ratio formalis, & essentiale, naturale, ac necessarium fundamentum quod fundet adorabilitatem, atque adeo sint plures rationes formales in eo qui adoratur, ex. gr. aeternum Deum esse, in tempore creare, hominem redimere, hominem à periculo aut morbo liberare &c. adeo ut tot sint rationes formales & objecta formalia adorationis, quot sint motivae seu rationes moventes; tot quà quot quia; tot principia primo, tot causae proximae essendi, unde [pag. 526] primo & immediatè fluit adoratio, & per quae supposito seu subjecto inest adorabilitas, & in quae ultimò resolvatur, quot sunt media proponentia, motiva, & rationis inducentes ac permoventes nos ad honorem & cultum Christo praestandum. Quod si unam tantum rationem formalem quis statuat, tum Quaestio sic formanda: An una sic formalitas seu ratio formalis *Deitatis* & *mediationis*: seu an Deitas ut sic sit de ratione mediationis, & vice versa *mediatio* sit de ratione deitatis; Item an τὸ Deitas, & τὸ mediare, sint unum esse, unus conceptus objectivus & formalis, magis quam humanitas & deitas unum sunt, quamvis personaliter unus sit Deus & homo in Christo. Rursum, an attributum illud adorationis

magis

magis sit de ratione formali actionis *mediandi* aut relationis *mediatoris*, quam est de ratione formali substantiae, *humanitatis* scil. in Christo. Vel, An non adorabilitas, quae fundatur in solâ divinâ excellentia, majestate, & gloriâ (quam alteri rei dare non potest, nisi illam deificet; quod simpliciter impossibile) sit de ratione deitatis ut sic? An verò sit de ratione mediationis, ut sic? An potius utrumque simul & aequaliter, de ratione Deitatis ut sic, & de ratione mediationis ut sic? An denique de ratione utriusque sed inaequaliter: deitatis quidem primario, per essentiam, naturaliter, necessario: mediationis vero secundariò, participatè, per gratiam seu gratiosam communicationem & donationem? An itaque dicendum sit magis *Christus mediator est adorandus quà mediator*, quam, Christus homo est Deus, quà homo: Christus Deus est homo, quà Deus. Christus Deus mortuus est quà Deus; Christus homo aeternus, & creavit mundum, quà homo. Christus infirmus vicit mortem & seipsum suscitavit, quà infirmus. Quaeritur, an & cur omnes illae enunciationes restrictivae sint absurdae, quae limitent subjectum per adjuncta, quae in tempore accesserunt filio Dei; adjuncta, inquam, partim substantiale, uti humanitas, partim accidentalia, actiones scil. passiones, relationes: & cur sola illa enuntiatio (*Christus quà mediator est adorabilis & adorandus*) quae limitat per actionem (*mediate*) aut relationem (*mediator*) non sit absurda?

5. Habemus nunc statum controversiae; Praemittimus quaedam διδόμενα. Erunt autem illa. I. Data & concessa à nobis. II. Praesupposita & hypotheses, de quorum veritate utrinque constat. III. Postulata quae hic solummodo, sumere licebit, cum alibi ex professo probentur. Concedimus ergo ista 1. *Christus* homo & mediator, in carne & cum carne, in & cum officio mediatorio est adorandus: ita ut objectum considerationis nostrae sit Christi persona cum omnibus quae illi insunt, seu totus Christus. *propriè enim honor exhibetur toti rei subsistenti*, ut rectè *Thomas pag.* 3. *quaest.* 25. *a.* 1. Nec sunt dividendae naturae, aut adjuncta aliqua à personâ [pag. 527] λόγου. 2. In eo qui adoratur duo possunt considerari, is scilicet cui honor adorationis exhibetur, & causae adorationis. Unius adorationis possunt esse à parte nostra variae causae seu rationes in genere ita dictae: modo non ponantur plures causae essendi proximae, adaequatae, fundamentales, & à priori, quae sint rationis formales, & unde sit esse formale adorabilitatis in se, seu à patre rei; nam illa tantum unica est, excellentia scil. & majestas singularis, summa, prima, & independens aeternae deitas. 3. Caro Christi simul adoratur non καθ' ἑαυτὴν *per* se nec δι' ἑαυτὴν *propter ipsam*, sed propter conjuncti illi & simul unitam deitatem, ita ut terminus ultimatus adorationis non sit caro sed Deitas. Thomas artic. cit. *Non decimus quod manus hominis honoretur, sed quod homo.* Et *si quandoque contingat, quod dicatur honorari manus alicujus, hoc non dicitur ea ratione, quod hujusmodi partes secundum se honorentur, sed quia in istis partibus honoratur totum.* Et haec est sententia Synodi Ephesinae in *apologetic. anathem.* 8. & *in epistol. Synodic. Athanasii contra Arrianos Orat.* 5. *dialog.* 3. *contra eosdem. Cyrilli libri* 2. *cap.* 92. *in Johann. & de Incarnat. Unigeniti cap.* 26. Quam sequuntur nostri in Disputat. contra Ubiquitistas mox citandi. II. Hypotheses, quae utrinque & communiter contra haeterodoxos praesupponuntur sunt. 1. *Christum* esse patri ὁμοούσιον. 2. *Non* esse duos Deos, sed unum. 3. *proprietatis* omnes Dei cum ipso converti & esse ipsum Deum. 4. *Non* posse alteri subjecto realiter diverso communicari, immo ne unam quidem. 5. *Adorabili-*

tatem

tatem esse proprietatem divinam, prout majestas seu excellentia ejus singularis est nulli creaturae communicabilis. 6. *Ideoque* verum de Deo existimationem, atque adeo venerationem, cultum, adorationem, inde procedentem non esse communicabilem. 7. *Hinc* etiam Deo singularem fidem & amorem debere, quia proprie & excellenti quodam modo verax sit. Quas tres postremas hypotheses in mediis tenebris suis nobiscum & recte inculcant Doctores Pontificii, inter eos *Smiglecius in novis monstris novorum Arrianor. & Zuarez disput.* 51. *sect.* 4. *ad Thomae pag.* 3. *quaest.* 25. *art.* 1. *&* 20. 8. *Unicum* tantum esse objectum religionis, & adorationis religiosae, unum scilicet verum Deum patrem, filium & Sp. s. contra Pontificios: quos refutatos vide à *Riveto in Decalogum ad* 1 *praec. & Molineo in Novitate Papismi*, aliisque Papatus Antagonistis. 9. *Unam* specie tantum esse adorationem religiosam, nec gradibus aut speciebus inferioritatis vel superioritatis eam distingui contra papales cultus latriae, duliae, hyperduliae, quos genere sive analogico, sive univoco convenire statuunt. *Bellarmin. lib.* 1. *de cultu sanctorum cap.* 12. *Zwarez disp. cit. sect.* 3. 10. *Proprietates* Deitatis non communicari [pag. 528] humanae naturae Christi per unionem hypostaticam: & consequenter Christi carni propter communicatam omnem divinam potestatem, majestatem, & gloriam non deberi cultum adorationis divinae, contra *Librum Concordiae tit. de Persona Christi*, & in *catalogo Testimonior. Jacobi Andreae in disput.* Tubingae anno 1582. *thesi* 144. 145. & *Osiandrum Juniorem in Enchirid. Controv. Calvist. c.* 6. *qu.* 5. *Echardum in fasciculo cap.* 6. *qu.* 12. Quid autem illi in nostris oppugnent, & quid nostri ex scripturis & orthodoxa antiquitate defenderint vide apud *Danaeum, Bezam. Zanchium Zadeelem* ab adversariis ibidem *citatos*. 11. *Gloria* Dei (in cujus cognitione fundatur omnis glorificatio creaturarum) esse Deo essentialem, unius solius & semper propriam, nec ulli creaturae communicabilem. 12. *Eam* differre à gloria Christi humana & mediatoria, quippe quae sit inferior non divinae aequalis, sed proxima. (Est enim illa essentialis, ex naturali necessitate ac proprietate filio à patre generante communicata. Ista vero est Christo quà mediatori, & quà homini collata ex libera Dei voluntate, & libera gratiae dispensatione.) Gloriam autem purè divinam Christo duntaxat tribui, qua Deus est. Utraque haec hypothesis deducitur à *Polano syntagm. lib.* 2. *c.* 31. *pag.* 190. Vide & confer fuse & ex professo hanc distictionem, ejusque necessitatem contra Socinianos explicatam à *Polyandro in primo concertatione c. Socinianos cap* 31. per totum. 13. Christum quatenus mediator est, patre minorem, eique subordinatum & inaequalem esse: quaetamen inaequalitas non naturalis & substantialis sed Oeconomica & relativa; quod ex 1. *Cor.* 11. 3. *Jes.* 2. 1. *Joh.* 14. 28. nostri in disputationibus contra Arrianos concedunt. Vide *Fr. Junium Defens.* 2. *de Trin. c.* 7. 11. 12. 20. & *Zanchium de Tribus Elohim part.* 2. *l.* 3. *c.* 10. & 11.— III. *Postulata* haec sunto, ex philosophiâ. 1. Forma rei unica est, & causa efficiens proxima unica est, qua posita res ponitur, & ablata aufertur. 2. In ordine ad facultatem seu actionem, quae circa objectum versatur, una tantum est ratio formalis in objecto, quia illa nihil aliud est *quam forma secundum quam objectum est motivum illius potentiae*, secundum *Scotum in* 1. *dist.* 3. *qu.* 1. Itaque plures in eodem objecto admittere rationes formales tam absurdum est quam plures ejusdem rei statuere formas specificas. 3. Ratio formali ut est principium, unde primo & immediatè res dependet, sic est ultimum objectum in quod rei istius ultima sit analysis. 4. Ratio formalis cum re illa reciprocatur cujus est ratio

ratio, eique adaequata est hoc est, illi soli, omni, & semper competit. 5. Ratio formalis prior est in stauti naturae, etiam signo rationis re illa ad quam refertur; quia scil. & quatenus res illa à ratione formali dependet, inque ea fundatur. [pag. 529]

His positis statuimus hanc thesim: *Christum quà mediatorem, seu sub hoc formale quà mediator est, non esse adorabilem aut adorandum.* Quam probabimus, 1. argumentis directis. 2. ab absurdo consequenti. 3. Denique subjiciemus testimonia aliorum, ad ostendendum consensum. Argumenta directa sunt *primo* ex naturâ subjecti. 1. Christus adoratur unâ eâdemque adoratione cum patre & Spir. S. quà ὁμοούσιος Deus: Ergo non adoratur aliter vel sub alio formali suo quà mediator. II. Quia seorsim, quà mediator seu secundum οἰκονομίαν, non est absolute summus & primus; sed Deo subordinatus, ab eo dependens, eo minor & inferior, ei inaequalis, ejus servus &c. 1. *Cor.* 11. 3. *Jes.* 42. 1. *Chamier. Panstratiae tom.* 2. *lib.* 1. *c.* 4. & passim Antagonistae Socianorum. Ergo ut sic non adoratur. Consequentia majoris patet: quia minus Deo, inaequale non adoratur religiosè quâ seu in quantum minus Deo & ei inaequale: Atqui mediare, mediatio, mediator, de ratione suâ formali includit, subjectum esse, minus esse, inaequale esse; servire &c. Sed argumenti hujus evidentia magis patescet ex sequentibus. III. In quo non est fundamentum adorationis, aestimatio scilicet debita excellentiae, majestatis & gloriae supremae atque infinitae, illud non est adorandum: Sed in Christo quà mediatore non est tale fundamentum &c. Ergo. Probatur minor. Non enim credimus Christi peculiarem mediatoriam gloriam, esse gloriam illam absolutè supremam & purè divinam, sed ab eâ distinctam, ut optimè contra quorundam confusionem & transfusionem proprietatum divinarum (communicationem vocant ipsi) haec à nostris distinguuntur, inter alios à *Polano Syntag. lib.* 2. *cap.* 31. & *Polyandro in primâ concert. cap.* 21. Si enim supremam & divinam gloriam haberet quà mediator, illud haberet vel naturam vel per gratiam unionis. Sed per neutrum. Ergo non judicamus Christum quà talem esse adorabilem adoratione divina. Debet enim esse & semper servari proportio inter honorem & honorabilitatem, inter aestimationem & inter excellentiam seu virtutem quae aestimatur, ut rectè observatum à *Scholasticis ad* 2. *qu.* 25. *art.* 1. & *Smiglecio in novis monstris novor. Arrianor.* IV. Quia non est objectum formale fidei quà mediator, ergo quà talis non est objectum formale adorationis. Consequentia majoris patet ex *Roman.* 10. *v.* 14. Minor probatur, quia quà mediator non est primum efficiens & ultimus finis, primum & summum verum ac bonum infinitum, aeternum, &c. nec primus & supremus autor seu causa efficiens omnis boni & salutis: sed est causa inferior tum procatarctica seu meritoria; tum instrumentalis, & hac ratione collator bonorum in cujus nomine, per quem & propter quem tendimus in summum bonum, Deum scil. inque eum credimus, in eo speramus, eum colimus [pag. 530] & adoramus *Johann.* 14. 6. Porro quae de unico formali & ultimato objecto fidei ac fiduciae hic innuimus, passim à nostris ita explicata invenies in *Disputationibus de Religione, de precatione, de invocatione creaturarum, de fide, & de analysi fidei, de spe &c.* V. Quia unica tantum est ratio formalis cujusque rei; ergo & adorabilitas Christi, deitas scilicet, nec quidquam praeter ipsam. Nam unica illa ratio formalis, aut est natura divina, aut natura humana, aut utraque aut adjunctum aliquod seu relatio ex operibus & officiis utriusque naturae resultans. Non natura humana, hoc enim nolunt οἱ ἐξ ἐναντίας nec utraque, nam tum etiam humana esset ratio formalis: nec adjunctum seu relatio mediatoris,

toris, quia tum rursum humanitas esse pro sua parte ratio formalis, Quia Christus ėst mediator secundum utramque naturam. Si ergo qua mediator adorabilis, ergo & qua homo. Sicuti si qua substantia homo est ens per se subsistens ergo etiam est tale ens secundum animam non tantum sed etiam secundum corpus. Sed proxime sequenti argumento hoc magis illustrabitur. VI. Mediatio non est objectum formale adorationis, ergo nec mediator qua talis adorabilis aut adorandus. Ratio Consequentiae valet à forma ad formatum, à ratione formali ad esse formale & affirmativè & negativè, ex. gr. Universale non est objectum formale cognitionis sensitivae, ergo universale non cognoscitur à sentiente quâ tali; & consequenter non est dicendum, homo qua sentiens cognoscit universalia: sed est dicendum: homo qua rationalis cognoscit illa. Antecedens multis modis probatur. 1. quia mediatio est actio, & officium mediatorium est relatio; Sed actio & relatio externa in ordine ad creaturas; non est objectum formale adorationis, quia non est Deus aut deitas, sed certum quoddam opus Dei in creaturis, à quo Deus externe denominatur: Et sic mediatio seu redemtio est opus filii Dei in hominibus, quod nihil reale in persona divina ponit, sed tantum externam denominationem. 2. Quia est adjunctum contingens, temporarium, quod poterat esse & non esse, ergo qua tale non est adorabile aut numen σέβασμα, σεβαστόν: non enim est excellentia suprema, divina, natura & per essentiam talis; non forma Dei, non natura Deus, sed est exellentia & forma quaedam inferior, mediatoria per gratiam unionis hypostaticae, ex liberrimo Dei decreto. 3. Quia instanti naturae & signo rationis, immo & tempore est posterior majestate, excellentia, adorabilitate, quin & ipsa adoratione filii Dei; Ergo non est ratio ejus formalis. Ratio consequentiae est, quia omnis ratio formalis in objecto natura prior est re & actione in objectum illud tendente, [pag. 531] vel circa objectum illud versante; sicut omne principium principato, causa causato, forma formato & formali: 4. Quia sublata objecti ratione formali, tollitur attingentia & motus facultatis in illud objectum; sed sublata seu negata mediatione non tollitur adoratio λόγου: *Primo*, quia sequeretur alioquin ante lapsum & ante institutionem muneris mediatorii filium Dei non debuisse adorari; quod absurdum. *Secundo*, quia sequeretur patrem & Sp. S. (qui eadem adoratione tanquam unus Deus cum filio adorantur) non esse adorandum, eo quod non sunt mediator. Quod autem nonnulli viri docti huic argumento confirmando adjiciunt: Munus mediatorium esse deponendum à Christo, & consequenter non posse esse rationem formalem aut adaequatum fundamentum adorationis, nos malumus in medio relinquere. Est enim deponendum ex 1 *Cor.* 11. 24. & tamen non est deponendum ex *Luc.* 1. 33. itaque cum distinctione hic loquendum est. Sed illud merito urgetur contro Socinianos, quod ibidem 1. *Cor.* 11. 24. dicitur Christum excellentiam & gloriam mediatoriam jam consecutum fore patri subjectum: ergo non potest talis evectio & gloria fundare adorationem divinam seu religiosam. 5. Quia objectum formale est illud in quo ultimo terminatur & primo fundatur actio aut facultas, & in quod ultimo resolvitur, ut ex. gr. Homo videt, non qua homo aut qua rationale sed qua sensitivum; ubi analysis ultima sit in τὸ sensitivum, non vero in humanitatem aut rationalitatem; ergo hoc sed illud est ratio formalis: & dicendum est homo videt qua sensitivum, non vero qua rationale, vel sub illo formali, qua homo. Atqui mediatoris adoratio non resolvitur ultimo in munus mediatorium, sed in deitatem. Si enim quaero cur Jesus adoratur, respondebitur à *quia mediator:* Et ulterius quaeram

quaeram cur mediator adorator, respondebitur à Christianis contra Arrianos; *Quia est ὁμοούσιος cum patre Deus*, vel: *quia habet aeternam Deitatem*. Haec ultima reponsio, hic ultimus terminus, & consequenter haec unica ratio formalis, non vero officium mediatoris. Hactenus demonstrationes directae ex natura subjecti. Sequuntur ex natura praedicati. VII. Solus Deus quà talis, hoc est, eo ipso quod habet divinam naturam & supremam excellentiam, est adorabilis & adorandus: Atqui mediator qua mediator non habet illam excellentiam, ut supra ostensum est, Ergo. Antecedens multipliciter demonstratum fuit in controversiis Ubiquitariis. Non est itaque, quod hic probationes aliquas moliamur. Minor probatur, Quia solus Deus qua talis habet illam excellentiam secundum omnes Ubiquitatis Antagonistas; ergo nulli nisi deitati hoc tribuendum, nequidem adjunctis ἀχωρίστοις personae divinae, ut humanae naturae Christi, aut officio seu operi mediatorio. Indirectae probationes [pag. 532] ex absurdis consequentibus seu repugnantibus tum subjecti tum praedicati multae possent adduci. Nunc suffecerint istae. VIII. Sequeretur & concederetur 1. *Sociniani* esse duos Deos, duo numina σεβάσματα, quorum unum summum, alterum subordinatum: saltem non possent solide nova illa monstra in lucem protrahi & contundi: nec quarta classis argumentorum pro deitate Christi contra exceptiones eorum accuratè & perspicuè defendi; nec illi idololatriae convinci. Nec praetereundum quod *Smalcius* Photinianus *lib. de Divinitate Christi cap.* 24. iisdem fere argumentis datur ad probandam donatem deitatem, majestatem & adorabilitatem Christi mediatoris, quibus ex nostris nonnemo probat Christum adorandum quà mediatorem. 2. Nec solide & evidenter refutari posset duplex religiosa adoratio Christi sed inaequalis; quam habent Remonstrantes Σοκινίζοντες *Confess.* & *Apolog. c.* 16 & duae rationes formales istarum adorationum; nec defendi Concil. Ephesin. in *Apolog. anathemat.* 8. & in *epistol. Synod.* ubi rejicit duas adorationes Christi. 3. Concederetur Pontificiis alium esse cultum religiosum secundum primam legis tabulam quam divinum, quem illi sed perperam, proprio nomine appellant latriam. Certe non parum enervantur argumenta nostrorum contra religionem & cultum religiosum creaturis tributum; & porta aperitur distinctionibus latriae, duliae, hyperduliae & novis ac portentolis illis commentis Cardinalis *Perroni*, qui *in responso ad Regem Magnae Britanniae lib.* 5. *c.* 20. ita τερατολογεῖ: Precatio est indirecta, aut directa; relativa, aut absoluta; subalterna aut suprema; transitoria, aut finalis; extra oblationem seu sacrificium, aut oblatoria seu sacrificatoria. 4. Enervantur responsiones nostrorum ad Ubiquitistarum communicatam divinam majestatem, gloriam & adorationem: atque adeo omnipotentiam, omnipraesentiam, omniscientiam, & supremam potestatem judicandi. Nam necessario sequitur, si adoratur Christus mediator quà mediator, Ergo etiam adorandus est Christus homo. Atqui posterius tanquam absurdum à *Beza*, *Zanchio*, *Danaeo*, *Zadeele &c.* eorum Antagonistis semper negatum fuit & solide refutatum. Nulla hic potest differentia aut exceptio adferri cur magis dicendum sit Christum quà mediatorem, quam qua hominem adorandum, nisi ista: *Mediator comprehendit non tantum humanam sed & divinam naturam, quae posterior in se per se est adoranda.* Atqui hoc ipsum est quod volumus, adorationem attribui Christo à Deo & sub illo formali, quà Deus; non autem qua mediatori quia mediatio aequè respicit naturam humanam ac divinam; & suo interventu (siquidem esset ratio formalis adorationis) aequè eam applicaret humanae ac divinae naturae. Imprimis notan-

notandum, quod eadem argumenta adferuntur ab eximio [pag. 533] Theologo *Amesio Disp. de adoratione Christi quà mediatoris;* quae nostris opposuerunt *Echardus*, & *Osiander locis* jam *c.* IX. Adjicimus duo argumenta ad hominem. *Primum arg.* opponimus Remonstrantibus. Illi enim dum Socinianorum causam agunt, ut elevent necessariam veritatem articuli de Trinitate contra communem Christianismi causam; sic satis philosophicè & scholastice distinguunt in Resp. ad Excerpta DD. Professorum Leidensium p. 93. ad 5. specimen: *Persona, qua talis, usum praebere non potest ad cultum, pietatem, nisi quatenus persona illa divina est, divinitas enim est ratio colendi Deum, non personalitas.* Et in Vedelio Rhapsodo p. 37. *Pater qua pater abstracta ratione Deitatis non est adorandus.* Infero ego ergo nec mediator qua mediator abstracta ratione deitatis est adorandus. Consequentia valet à pari immo à majori ratione: nisi ipsi probaverint relationis rationis & externas denominationes Deo attributas, (qualis est mediatoris) magis esse rationis formales adorationis religionis, quam personalitates divinas, paternitatem scil. &c. Atque una quaero duo ista. *Primo*, Cur hic metaphysicis, Logicis, & scholasticis terminis tam libenter soleant ἀκριβολογεῖν, cum luminibus Christianismi totius in gratiam Anti-trinitariorum obstruendum est; cum vero fides Christiani asserenda & haeretici in lucem protrahendi & confundendi, omnia distinctionum & terminorum logicorum ac scholasticorum auxilia facessere jubeant, immo & hostiliter incessant, & sic ad ignorantiae (ut quidem prae se ferunt) asylum illico profugi, vadimonium deserant: *Secundo*, an non sibi aut strenuè contradicant aut hypocrisin saltem prodant, cum in *Apologia* sua *loc. cit.* dicunt, Christum esse religiosè adorandum qua mediatorem, & quidem vero sed tamen distincto honore adorationis ab illo, quo colitur Deus, quem vocant ibidem *absolute divinum. Secundum arg.* ad hominem opponimus Cl. D. Amesio, ex ipsius Disputat. de Adoratione Christi thesi 4. *Particula,* inquit, *quatenus, quà, in quantum, secundum, quod nihil amplius in ista propositione potest notare, quam Christum mediatorem esse determinatum objectum adorationis aut etiam aliquam justam rationem adoratione in ipsius mediatione Christi reperiri. Nos utrumque sensum suscipimus defendendum.* Atqui hoc est totam causam tradere (ut mihi quidem videtur) aut non obscurè profiteri, languere hanc totam disceptationem circa meram καινοφωνίαν, ἀκυρολογίαν, λογομαχίαν, non σκιομαχίαν. Ipsam assertionem ejus concedimus & concedebat Cl. Theologus ille, cui has theses opponebat: sed particulas illas male ab ipso explicationi jam positae applicari putamus. X. Subjicimus consensum eorum qui ex professo controversias & strophas Anti-trinitarias examinarunt: quos paulo cautius hic locutos fuisse indubium est, Zanchius [pag. 534] part. 2. de tribus Elohim lib. 3. c. 3. *Non est sufficiens causa ut adoretur Christus quia mediator est. Causa enim adorationis sola est deitas. Ideo enim Jehova jubet se solum adorari & coli, quia solus est Deus, autor omnium rerum. Quare si Christus non est Deus, nullo modo est invocandus & adorandus.* Et ibidem: Objicitur, *pater adoretur ut Jehova & autor bonorum omnium, filius ut mediator & distributor bonorum, quae à patre accepit.* Ubi in egregiâ responsione haec inter alia reponit p. 16. col. 9. *Causa unica, cur curvanda sint alicui genua, nempe quia Jehova est: non igitur curvabuntur genua Christo quia judex est, sed quia Jehova.* Cartwrigtus histor. Euangelicae part. 1. p. 327. *Hic vide si cum Cyrillo totus hic locus, quo divinitatem suam Christus asserit, de mediatoris persona intelligi debeat, an cum Augustino partim in*

aeternam

aeternam generationem, partim ad Mediatoris personam referendus. Cum enim par honor Christo hic habetur, qui patri: & cum in se vitam inclusam & insitam habere videtur, non videntur ista nisi in filii personam, quod ex patris substantia genitus, competere. Smiglecius Jesuita, qui felicissimè cum Socinianis congressus est, in novis monstris novor. Arrian. p. 21. *Sicut ob priorem potestatem Christus Deus dicendus est, ita propter illam aliam potestatem Deus nequaquam dici potest; & illa quidem prior donata non est, sed innata Christo: Haec vero donata quidem est à Deo, sed ejus consideratione Christus Deus non dicitur, neque divino cultu ob eam afficiendus.* Zwarezius, cum Thoma p. 3. qu. 23. art. 1. & 2. asserit Christi tantum quà Deo cultum divinum tribuendum. Sic enim titulum facit sect. 1. *De adoratione Christo ut Deo debita*, & sect. 4. *Quomodo Christus ut Deus adorandus sit.* Et adorationem illam explicat esse divinam seu Deo propriam. Grauwerus theologus Lutheranus in Hebr. 1. p. 93. *Non idcirco Christus adorandus est, quia per ipsum preces diriguntur ad patrem, sed quia aeternus Deus est, haec enim unica & sola causa adorationis. Sic falsa causa allegatum cum dicunt, Christum esse adorandum, quia potestatem habet in nos. Non enim haec est vera causa adorationis, nec propter summam potestatem à Deo concessam adoratur.* Pareus in Eirenico cap. 28. p. 270. *Objectum adorationis est Christus Deus & homo: causa vero adorationis Dei & hominis est deitas. Est enim in Christo natura adorabilis divinitas, est & adorans humanitas, inquit Cyrillus lib.* 1 *ad Theodos. de recta fidei.* Zanchius part. 1. de tribus Elohim lib. 3. cap. 12. p. 117. edit. in fol. *Negamus sequelam hanc, si Christus est mediator non potest igitur invocari: non enim invocatur ut mediator, sed ut Deus. Et sic Stephanus invocavit &c. Actor.* 7. 59. & addit alia exempla *Luc.* 17. 5. 1 *Thess.* 3. 11. 2. *Thess.* 2. 17. Camero tom. 3. praelection. p. 173. *Si tamen fieri non posset, quod omnino fieri non potest, ut qui mediator est verè & proprie, idem non esset Deus, profecto mediator non esset adorandus; & ratio idonea est, quia hic cultus mere divinus & religiosus est.* Johannes Junius, qui solide [pag. 535] atque eruditè Socinum refutavit in Examine Resp. Socini contra Wiekum class. 5. cap. 6. *Deus singularis & individuae essentiae ratione unus, ex toto corde diligendus est, id est, ut indivisus in se, & divisus ab omni alio. Ergo etiam qua talis adorandus &c. Eo sensu etiam in uno Deo confidendum, ergo unus Deus, qua sic unus, adorandus & invocandus &c. Necesse est ergo aut duplicem unius essentiae divinae cultum dari*, &c. Vide reliqua, quibus egregie contra duas adorationis Socini disputat pro unica ratione adorationis Dei & Christ. Cl. DD: Professores Leidenses in Censura confession. Remonst. cap. 16. *Jam vero quandoquidem divina natura, cum humana natura in una persona mediatoris conjuncta est, hinc sit, ut una adoratione mere divina, una invocatione, una fiducia & spe, non duabus distinctis, nec una ex duabus mixta, à nobis colatur; in qua invocatione, adoratione, & fiduciae locatione, objectum formale & causa propria, seu terminus, (ut scholae loquuntur) est divina tantum natura, quae hujus cultus per se tantum est capax &c.* Huc etiam facere putamus *Polani* distinctionem gloriae Christi *loc. citat.* Breviter tota disputatio nostrorum contra Ubiquitisticam Idiomatum communicationem & altera contra Antitrinitarios huc collimet, necesse est.

6. Objectiones Cl. *D. Amesii*, ut breves simus, sigillatim non excutiemus: imprimis cum hoc satis superque praestitum sit à Clar. D. *Makkovio*, & *D. Doctore Clutone Disputationibus* in Academia Franequer. de hac quaestione prositis anno 1635.

Suffe-

Suffecerit *indicasse hos fontes solutionum*. I. Aliud est disputare quis & qualis sit adorandus, & aliud quae sit *ratio* formalis sub qua adorandus sit. II. Omne id est, qua est *quia*, & *ratione* seu *respectu*, sed non contra. Multae possunt adferri rationes & motivae quae moveant à parte nostra ut feramur in objectum, sed una tantum est ratio formalis. Sic multae sunt rationes seu motivae cur Christus mediator à nobis glorificetur & divino cultu honoretur, ex. gr. quia redimit nos, quia vulneratus & mortuus est, quia pauper fuit pro nobis, quia vermis fuit, quia maledictus fuit, lachrymatus est, desertus fuit & in agonia, quia pro nobis intercedit, quia liberat nos à morbis, periculis &c. Sed omnia ista non possunt dici objectum formale adorationis divinae. III. Aliud est specificatio objecti materialis quod adoratur, & alind est limitatio per rationem qua praedicatum subjecto convenit. Illud cum DD. Professoribus Leidens: vocare possumus objectum considerationis: quam distinctionem otiosè rejiciunt Remonstrantes in sua *Apologia*, sed non refellunt. Verissimum, quod *Epiphanius Ancorat.* & *Augustinus serm.* 58. *de verbis domini* & post illos *Thomas loco* saepius *cit.* & recentiores in Disputat. contra Ubiquitistas docuerunt, adorari cum carne filium Dei, atque ea ratione ipsius carnem in [pag. 536] unitate hypostraseos deitati ejus unitam. Sic & nos totum Christum mediatorem atque adeo consideratum à nobis tanquam mediatorem, jam qualitatibus, officiis, & virtutibus omnibus vestitum adoramus, nihil separantes: non tamen quà mediatorem, ut scilicet mediatio aut aliud quid praeter deitatem sit objectum adorationis formale. Quae praeterea *loc. cit.* adferunt Remonstrantes probandae peculiari & distinctae religioni Christi mediatori qua tali debitae, ab Antagonistis Socinianorum jam refutata sunt.

Probl. I. *An accurate & propriè possit dici Christum esse mediatorem quà Deus & qua homo est.* Resp. *Neg. nam videtur innui, Deitatem absolute & humanitatem ut sic, rationem formalem esse mediationis.* II. *Quomodo sit intelligenda illa praecationis formula*: Domine Jesu ora pro me? Resp. *Distingue ipsam petitionem formaliter ut est actus noster, à re petita. Illa dirigitur ad personam mediatoris & ea terminatur, in qua deitas habet se ut ratio formalis illius tendentiae seu motus cordis nostri in Christum. Res petita est, actio ejusdem Christi mediatoris qua mediatoris agenda scil. secundum naturam humanam, quae est immediatum precationis subjectum.*

Consectarium. I. Qui in assertione D. *Amesii* subsistunt, & profanas novitates de duplici adoratione &c. resecant, ἀκυρολογίᾳ & verbis tantum dissentire videntur. II. Putamus tamen nec usui recte loquentium nec satis circumspectè detectioni & refutationi & Socinianorum accomodatam esse tam laxam & inpropriam phrasin, quamvis eam orthodoxe explicent. III. Si qui ulterius cum Remonstrantibus quid hinc exsculpere satagunt; ii videant, ne error pravus in principio fiat magnus in fine.

APPENDICIS

DE ADORATIONE CHRISTI QUA MEDIATORIS

PARS PRIMA.[1])

1. Problema de adoratione Christi quà mediatoris, alibi natum (in Academia scilicet Franequerana), exinde ex vicina Academia Leidensi in hanc nostram per studi-

[1]) MATTHIAS NETHENUS, Reessà-Clivensis. *Ad diem* 13. *Julii* 1642.

studiosos, qui propter grassantem illic pestem frequentes ad nos tunc divertebant, illatum, & plublice privatimque in collegiis & privatis colloquis ab iis saepiusculè pro libertate Academica protrusum atque exagitatum, necessitatem nobis antehac imposuit, aliquid de eo respondendi, & [pag. 537] commentandi. Hinc factum, ut tandem illis obnixè postulantibus, ut conceptus nostros scripto comprehenderemus, diatribe publice ad disputandum propositâ, nostra qualiacumque communicaremus; quibus tunc auditoribus nostris abunde satisfecimus. Sed quia novitiorum ingenia subinde novis dubiis & effugiis (hoc est, novo modo, aut novâ formâ propositis) aliunde exerceri contingit insuper ab imperitis aut malevolis nonnullis haec clanculum admorderi ac calumniosè traduci; operae pretium me facturum putavi, si diatribem nostram antehac editam praesenti appendice in gratiam rudiorum (nam provectioribus sufficiunt fontes solutionum ibidem indicati) illustrarem. Erunt autem sectiones ejus septum; quarum I. continebit consensum Theologorum, imprimis eorum, quibus cum adversariis conserta manu pugnandum fuit. II. Occasiones & origines controversiae. III. Momentum, seu pondus controversiae. IV. Occasiones & fontes errorum atque hallucinationum, circa hanc controversiam. V. Argumenta pro veritate: cum solutione exceptionum. VI. Argumenta adversae sententiae refutata una cum exceptionibus & replicis. VII. Consectaria & corollaria quaedam per modum problematum proposita.

2. Consensum, quem in diatribe nostrâ coeperam indicare, triplici supplemento nunc absolvo. I. *Primum* habet autores, qui ante Apologiam Remonstranticum, & inde formatam hanc controversiam problematicam, scripsere. Sunt autem Piscator in Math. 2. v. 15. ubi ait Christum adorandum *non tantum civiliter ut hominem, sicut* Magi *videntur adorasse; sed etiam religiose, ut Deum.* Et paulo post: *Etenim adoratio proprie debetur naturae divinae. Joh. Cramerus in Euchirid. controvers. Ubiquitar. part.* 1. *p.* 141. 142. 143. Ubi urget Christum secundum naturam divinam tantum, (hoc est, qua parte Deus est) invocandum esse: neque ideo adoratione divine Christum in hominem seorsim & in Deum. Zanchius lib. 3. de Tribus Elohim cap. 12. *Negamus sequelam hanc: si Christus mediator est, non potest igitur invocari. Non enim invocatur ut mediator, sed ut Deus. Franciscus Junius in defens. Trinit. contra Samosatenianas*, ubique tam sollicite distinguit Christum quà Deum, & quà mediatorem, & quà hominem, ut non possit non nostra sententia inde colligi, & adversa rejici. Inter alia *part.* 3. *p.* 190. (edit. in fol.) distinguit praerogativas scilicet excellentias, quae Christo in scripturis tribuuntur, in eas quae ut Deo simpliciter in aequalitate naturae, & in eas quae ut mediatori in aequalitate sècundum dispensationem, ratione officii. Jam vero adorationem esse excellentiam quae competat Christo non qua mediatori, sed quà Deo ὁμοουσίῳ, statuit, in Exam. Gratiani Prosperi part. 2. §. 5. p. [pag. 538] 265. *Christus adoratur à nobis ut coëssentialis & aequalis patri secundum deitatem suam, una adoratione cum patre.* His addimus *Amesium*, qui quamvis contenderit pro adoratione Christi qua mediatoris; hypothesibus tamen per totam Theologiam sparsis thesi huic suae non obscure contradixit, & fontes solutionem suppeditavit. Vide in *Medullâ* ipsius *lib.* 1. *c.* 19. §. 21. & 23. §. 17. & 25. §. 29. & 26. §. 30. & 31. §. 8. & 41. §. 16. 10: 28. *lib.* 2. *c.* 4. §. 19. 20. & 6. §. 2. 3. 4. 5. & 9. §. 4. 5. Aliud etiam ex verbis DD. Professorum Leidensium in *Censura confess. Remonstranticae* exsculpi nequit. Videat ipse lector & expendat

 verba

verba eorum *pag.* 225. Et verba Parei in methodo controversiae Ubiquetariae cap. 31. *Invocamus igitur Christum quia verus cum patre & spiritu s. Deus,* λατρεία, *ut sic loquar, deitas absolutâ, invocamus quoque Deum in nomine Christi, quia est mediator, petentes nos exaudiri propter hujus personae* θεανθρώπου λύτρον *& intercessionem &c.* Nec praetereundus Grauerus Theologus Lutheranus in commentar. Hebr. 1. p. 63. *Non idcirco Christus adorandus est, quia per ipsum preces diriguntur ad patrem, sed quia Deus aeternus est, haec enim unica & sola* (N. B.) *causa adorationis. Sic falsa causa allegatur, cum dicunt Christum esse adorandum, quia potestatem in nos habet: non enim haec est causa vera adorationis, nec propter summam potestatem à Deo concessam adoratur. Smiglesius* Theologus Jesuita *lib.* 1. *de erroribus novorum Arrianorum cap.* 9. distinguit accurate contra Socinianos potestatem Christi independentem & increatam, quam una cum natura divina communicatam habet, à potestate ejusdem Christi creata, dependente & ministeriali, quam Christus communicatam habet quà mediator, qua est sacerdos & salvator noster potestque nos salvare, orando interpellando, sanguinem fundendo. Prioris potestatis ratione Christum ait mereri cultum divinum, seu cultum absolutum : non vero ratione posterioris, quae priori nullâ ratione aequalis esse possit. Videat lector, cui vacat, filium totius disputationis. II. Habet eos, qui scripsere post editam apologiam Remonstranticam, cum responso ad excerpta Profess. Leidensium, atque inde formato & ventilato alicubi in terminis praesenti problemate, dum laboratur in refutandi exceptione Socinianor. & Remonstrantium : Quos presse, exacte, & circumspecte magis hic locutos esse, indubium est. Sunt autem *Isaacus Junius in Antapologia cap.* 4. *p.* 102. cum *cap.* 2. *p.* 78. 72. 23. & *cap.* 16. per totum & *c.* 3. *p.* 92. *Vedelius in Opusculis Theologic. Colleg. Theolog. disp.* 30. *thesi* 5. Idem in *judicio quodam M. S. de hac quaestione*, Daventriae 21. Augusti 1638. (quod infra integrum exhibemus) *Makkovius in disp.* de hoc problemate cum aliis nonnullis edita in 4. anno 1640. ubi objectiones dissolvit. Recusae sunt postea illae theses & aliae insuper additae anno 1641. in 4. Vide *collegior. theologic.* [pag. 539] *part.* 1. *colleg. miscellan. qu.* 5. *disp.* 35. & 36. &. 37. & *colleg.* 6. *disp.* 3. *in corollar. Abrah. Heidanus in refutatione Catechismi Remonstranti qu.* 89. *Jacobus Laurentius in Exegesi seu confessione fidei* vernaculo sermone conscriptâ *Joh. Cluto in Idea disp.* 3. *thesi* 1. & *disp.* 40. *disp.* 4. *th.* 15. Rever. & conjunctiss. collega noster *Carolus de Maets in disp. de persona & officiis Christi. Henricus Diestius* Theol. Professor Daventriensis, in erudita *disp. de Adoratione Christi*, habita 26. Augusti 1640. ex qua (quia forte publicè ubivis non prostat) haec studiosis nostris exhibeo; thesi 63. *Ex quibus omnibus patet veram rationem seu formale adorabilitatis esse deitatem &c. patet etiam, quid sit respondendum ad illam quaestionem*, An Christus adoretur quà Deus an vero quà mediator? *Nimirum, non qua mediator, sed qua Deus.* Et paulo post : *Rectius etiam dicitur mediator adoratur, quà filius Dei, quam filius Dei adoratur qua mediator, seu (quod idem est) quà* θεάνθρωπος, *qua Christus &c. Quia illud* quà mediator, qua θεάνθρωπος, *utramque naturam, divinam & humanam insinuat. filius Dei adorari, qua mediator, qua* θεάνθρωπος, *non sine specie contradictionis dicetur*, &c. *Nisi illud, quà, aliter etiam accipi possit, non tantum secundum quam naturam sit mediator &* θεάνθρωπος; *sed etiam pro novo respectu quem in assumta mediatione & carne accepit: prout diximus supra, thesi* 19. &c.' *sed hoc esset* λογομαχεῖν, &c. *Quae de adoratione*

tione dicta sunt, eadem quoque de honore seu cultu fidei & fiduciae sunt intelligenda. Et paulo post: *Credere in Christum, hoc est fiduciam collocare in Christum non videmur, nisi quam Deum, aut propter Deitatem. Polyander à Kerckhoven in 2. concertatione Sociniana, disp. 27. thesibus 23. 27.* quod ad summam rei ab hac sententia mihi discedere non videtur. Videat & expendat lector filium disputationis. Quin & *Beza* cum aliis collocutoribus reformatis *in colloq. Mompelgard. part. 1. p. 196. 197.* unicum fundamentum & ultimatum objectum (quod nihil aliud est quam objectum formale) divini cultus haut obscure pronuntiat esse solam deitatem; *Ab adoratione,* inquit, *deitatis τοῦ λόγου minime separant alterius patris collocutores humanitatis adoratione; non tamen in sese nec absolute consideratae, sed respective, id est, quia est Deo τῷ λόγῳ unita, sive quia Christi deitas quae proprium & absolutum est* (N.B.) *verae adorationis objectum, non est simpliciter deitas sed deitas incarnata, & illa, humanitas non simpliciter humanitas, sed τοῦ λόγου humanitas.* III. Habet eos, qui edita & lecta diatribe nostrâ, pro eâ determinarunt, eamque approbarunt: quales viri docti, & theologi quamplurimi; inter quos veteranus & pereruditus Theologus ac praeceptor noster Franc. Gomarus in litteris suis ad me Groninga datis Kalend. Augusti 1638. sic scribit: *Disputationum in quaestione,* An Christus quà mediator, sit adorandus? *Evolvi, nihilque in illius discussione observari, quod non accuratum & veritati consentaneum existimem. Ac sane quantum errorum syrma,* [pag. 540] *contraria D. Amesii sententia secum trahat optime quoque observasti: quemadmodum ante aliquot annos duobus eruditis juvenibus (huc Franekera me tentandi causa profectis) ostendi. Quare pro opera tua pereruditе praestita, gratiae merito debentur: & pro ea mihi communicata, ut & D. Altingio, gratias ago & habeo maximas. Perge strenue: & imperitiae atque invidiae, veritatis & utilitatis Ecclesiae studium praepone: Deus haut dubie favebit, ac coepta secundabit.* Summus vir, Veteranus itidem ac polyistor Theologus Andr. Rivetus in literis suis ad me Haga-comitis 12. Kalend. Quintil. 1638. sic censet de eadem diatriba nostra: *Sed quandoquidem agitur de adoratione divina, eaque per consequens summa, quae soli Deo debetur, & divinam excellentiam habet pro objecto formali, ut loquuntur; ego sententiam illam praefero quam tueris, Mediatorem Christum, non posse ea adoratione adorari, nisi quatenus Deus unus est cum patre proinde rationem formalem, cur adoretur, non esse mediationem sed deitatem, etiamsi causae multae sint & variae, quae nos moveant ad eum adorandum.* Est postea: *Quae ex censura nostra* (cap. 16. pag. 225. lin. 9. 15.) *citas, talia sunt, ut nihil mihi videatur vel distinctius, vel expressius dici posse, eaque non dubito sufficere, ut omnibus non contentiosis probes, nihil interesse inter doctrinam tuam & nostram in hoc dogmate. Id pluribus demonstrare conarer, si opus esset: sed in re manifesta non existimo utendum esse testibus non necessariis* &c. Atque hactenus demonstratio consensus; quae sufficiet ad suspicionem omnem temeritatis, & καινοφωνίας, ab accurata veritatis defensione, quam cum aliis pro modulo molimur & intendimus, amovendam. Horum enim virorum in philosophicis & theologicis (praesertim controversiis Socinianis) eruditionem atque ἀκρίβειαν cum studio ὀρθοδοξίας conjunctam, amplecti atque imitari malumus, quam in ἐχεμυθίας, aut ἀκυρολογίας, & contradictionis, aut ignorantiae asylum à Socinianis compingi.

3. Occasionem huic problemati, ejusdemque accuratiori & cautiori enodationi dederunt.

derunt. I. Pontificii, qui de Christi humana natura adoranda disquirunt ad *Tho* *p.* 3. *qu.* 25. *art.* Ubi vide *Cajetanum*, *Zwarez*, *Valentia &c.* II. Post illos Ubiq tistae, qui disputant de adoratione carnis Christi, seu de adoratione Christi sec dum humanam naturam, & quà mediator est, quà θεάνθρωπος. Vide ***Eckhardum*** *fasciculo controversiar. cap.* 6. *qu.* 12. Et *Lucam Osiandrum fil. in Enchiridio co trovers. cum Calvin. c.* 6. *quaest.* 5. Et *Balduinum in casibus lib.* 2. *cap.* 4. *casu* *Disput. Theolog. Giessenses Winckelm.* & *Mentzeri tom.* 1. *disp.* 3. *quae est de J* *Christi* θεανθρώπῳ, *thesi* 33. 44. 46. *Acta colloq. Mompelgard.* ut à Beza cum sponsione edita sunt Genevae 1587. *part.* 1. *p.* 196. coll. cum *pag.* 174. 175. *W* *gang, Franzium in disp. c. Pontific. alvin. Antitrinit. disp.* 3. *de persona Ch* *sect. ult. th.* 195. Ex nostris hanc opinionem oppugnant *Martyr*, *Daneus*, *Zanch* *Joh.* [pag. 541] *Cramerus* &c. III. Hinc Sociniani, qui negant ex Christi adorati probari ipsius deitatem, hac exceptione (ut alias nunc praeteream, apud *Socin* *in disp. de adorat. Christi cum Christiano Francken, & Francisco-Davidis pag.* 1 Et *antithes. Fr. Davidis p.* 181.), quod adoretur quà, seu quatenus mediator, h est ut causa media seu secunda omnium eorum quae salutem nostram spectant, ut intermedius religionis finis: cui contradistincte opponatur pater, quippe solu adorandus ut causa suprema, primum efficiens & ultimus finis. Sic *Volckelius Insti-tut. lib.* 4. c. 11. *Crellius de uno Deo patre sect.* 1. §. 36. 27. Adeo ut fundamentum seu ratio formalis adorationis ipsis sit Christi munus mediatorium, & donata potestas, gloria, dominium in nos; cujus causa immediata sit exaltatio Christi, mediata ejusdem obedientia. *Socin. c. praes. Wiecki.* Et hanc communicatam gloriam illi divinam & deitatem appellant. Sic *Ostorodus Institut. c.* 10. Quam dextrè & plene has Socinistarum strophas dissolvant Lutherani, qui Christum quà Deum & secundum deitatem tantum, adorandum negant: vide apud *Paulum Tarnovium libr. de Trinitate c. Socinum.* Et *Stechmannum disp.* 9. *qu.* 13. 16. IV. Denique Remonstrantes, qui operam suam commodantes Socinianis negant argumentum irrefragabile ad probandam Christi deitatem à cultu divino peti posse: *quia ex scriptura didicerunt Deum patrem Christo filio, quatenus* θεάνθρωπος *mediator &c. Deus manifestatus in carne, cultum & honorem divinum gratificatum esse. Impossibile autem est, ut concipiatur Deum filium suum Jesum dignatum esse honore ipso in tempore, si ratio adorationis sit tantum divina ejus natura* Apolog. cap. 2. Et cap. 16. fol. 153. a. *In hoc Capite non censetur nisi hoc unum, Quod* Remonstrantes eos recte facere statuunt, qui Jesum Christum, quatenus Mediator noster apud Deum est, sancte ac religosè colunt, id est, adorant, invocant, spem & fiduciam suam in eo collocant, eique suppliciter gratias agunt ac benedicunt. *Fatetur Censor Christum nobis agnoscendum & colendum esse, non tantum ut unigenitum Dei patris Filium & verum Deum, sed etiam ut* θεάνθρωπον *ac Mediatorem inter Deum & homines. Atqui nihil aliud dicunt Remonstrantes in Confessione sua.* At, *inquit*, cultum hunc constituunt Christo Mediatori proprium, ex ratione solius officii ipsi à patre impositi, aut gloriae ipsi à Patre concessae. *Sane: Qui possunt aliter, si est cultus, qui Christo, ut Mediatori, contradistincte ut est unigenitus Dei Patris filius, gratiose à patre collatus est, quod ipse Censor agnoscit?* At hoc Socinianis manifeste favet, *inquit: favet ergo, inquam ego, Censor ipse Socinianis, dum id, quod diximus, iis concedit: Et ubi veritas haeretico favet, haereticus ea parte haereticus non est.* At *inquit Censor*, hoc

aperit Socinianis ad omnia argumenta orthodoxorum eludenda, quae pro terna Deitate Christi, ex hujus divini [pag. 542] cultus communicatione, veteri & recente, semper invicte sunt petita. Et ibid. 6. *Eheu! quantum Alterutrum ergo dicendum est; Aut falsum esse, Christo, ut Mediatori honorem hunc à Deo attributum & gratiose communicatum esse, aut si hoc n est, uti Censor hoc falsum non esse concedit, aequissimum omnino esse, nto isto plumbeo non amplius pugnemus.* Et paulo post: *Verba Concilii uae Censor citat, talia sunt, ut Patres idem definivisse videri possint, quia* non agnoscere duas naturas in Christo, unam adorandam, alteram non . Sed unam naturam divini verbi incarnatam, quae simul cum sua carne tione adoratur. Iidem in Vindiciis, seu Vedelio Rhapsodo lib. 1 c. 9. p. ut probetur, *necessarium esse ut credatur, quomodo Christo mediatori tus sit honor adorationis, an secundum naturam divinam, an secundum , an secundum utramque, & ut determinetur modus ille ex scriptura.* Ac- n *Episcopius* in scripto Belgico posthum. quo D. Abrahamo Heidano *pro catechesi Remonstrantica*, ubi ad *quaest.* 85. *p.* 285. ait: Jesum Chri- filium non tantum Dei sed & hominis esse glorificatam creaturam & con- nt talem esse objectum cultus religiosi & adorationis idque evidenter pro- bari ex *Joh.* 17. 3. Adhaec, cultum religiosum competere Deo, & filio quà Deo per naturam; filio vero quà mediatori tantummodo per & secundum voluntatem atque ordinationem Dei. Praeterea, Hunc honorem & cultum tribui non mediatori solum quà mediatori, sed etiam ipsi Deo quia non tribuitur mediatori nisi ob Dei voluntatem, & quia Deus ita postulat, adeo ut Deus per illum honorem & cultum glorificetur. Denique, non esse idololatriam si quid religiosè colatur (uti hic fit) extra & praeter Deum seu extra & praeter divinam essentiam & personam quia Deus expresse mandat filium suum honorari sicut ipse honoratur. Jam vero mandatum hoc locum habere non potest, nisi quatenus filius ipsius est filius hominis. Ad *quaest. praeced.* 84. *p.* 283. Fatentur hunc cultum non esse eundem aut parem ei qui Deo tribuitur; quia talis Christo mediatori quà tali non convenit: Quamvis enim idem sit in substantia, tamen in eo differt ab honore seu cultu patris, quod pater suum honorem habeat à se & natura; Christus hunc suum habeat à patre & quidem in tempore gratiosè concessum tanquam praemium obedientiae. Atque haec quidem occasio disceptationis de hoc problemate, propinqua. Proxima est παρoράμ*x*τα in refutatione horum adversariorum, à viris bonis & orthodoxis admissa, hoc est, ut molissime loquamur, nonnulla impedite aut obscure, aut admodum laxe, impropriè & ambigue, consequenter periculose ab ipsis dicta. Quorum causa videtur esse, improvida imitatio [pag. 543] eorum theologorum qui ante enatas controversias Socinianas & Remonstranticas securius hic locuti sunt (uti plerumque fieri solet, & docent exempla scriptorum, qui ante exortum Arrium, Nestorium, Pelagium &c. floruere:) aut qui acroamatico & presso ac scholastico stylo seu loquendi genere non ita usi sunt, & consequenter ad acceptiones philosophicas particularum & formularum non tam strictè attenderunt, ac quidem sophistae Sociniani nunc docent & cogunt nos attendere. Accedit & ex priore hac promanat alia causa, quod absque serio & accurato examine omnium, quae ad causam hanc pertinent, ex tempore prima data occasione saepe concipiatur, & dicatur sententia aliqua, quam postea examini

mini

mini eruditorum subjectam, haut parum contrahere, aut incrustare conantur, si non absurdis longe absurdioribus cumulatis infeliciter eam defendere velint. Possunt & aliae particulares causae intervenire. 1. Ignorantia mentis & intentionis adversariorum: cum sc. omnes hypotheses, conclusiones, & artes eorum nondum satis perspectae sunt. 2. Ignorantia terminorum, tum ex usu adversariorum, tum ex usu scholarum, quos adhiberi necesse est in ventilatione hujus problematis: hinc fieri non potest, quin se & alios implicent, omnesque conceptus suos confundant; praesertim si strictum & cautum terminorum usum susque deque habeant. 3. Ignorantia thesium quarundam, aut rationum, aut distinctionum Theologicarum, quae aliqua ratione hanc controversiam attingunt. 4. Forte & aliqua contentio, ad haec nimia facilitas & temeritas, in aliis carpendi ea, quae tunc non capiunt, aut de quibus antehac non cogitarunt. 5. Quod si pertinacia & nimius τῶν ἰδίων amor atque admiratio accesserit, in absurda plura incidunt, & error errorem trahit. Porro viris doctis in dissolvendis ejusmodi nodis nonnunquam inconsiderate & periculose dicta excidisse, non mirum est, in hac humana infirmitate & caligine. Ex tota theologia ejusmodi hallucinationes non colligimus: suffecerit unam atque alteram indicasse in problemate de adoratione Christi: ubi *Martyr* & *Daneus contra Ubiquitarios* in acie stantes, duas fecerunt adorationes Christi; ille in *Genes.* 18. 2. iste *in assertione contra Jacobum Andreae p.* 37. 38. Forte idem in animo habuit Alstedius, cum in Logica Toholog. c. 20. §. 16. scriberet: *A cultu mediatoris proprio, non valet consequentia ad cultum Dei proprium. Nam prior ille est ἀξίωμα τοῦ θεανθρώπου: posterior est λατρεία sacrosanctae trinitati debita. Amesius* unam quidem facit adorationem, sed quae post incarnationem Christi variet ab adoratione ejus ante incarnationem, quippe quae nunc fiat sub illo formali qua mediator. Alii unam itidem adorationem, sed quae plures habeat rationes formales (de qua opinione infra): qui omnes aliqua ratione cothurnum [pag. 544] suppeditare aut relinquere videntur adversariis, sub quo latere possint; nec directe iis occurrere videntur, aut ad mentem eorum respondere; sed potius lusu ambigui pugnam declinare, contenti petitione & sumptione ejus, quod est in quaestione; ne dicam eos ab analogia elencticae nostrorum theologiae & laudabili scholarum ἀκριβείᾳ in hisce, aut affinibus problematis, aliquo modo discedere, idque sine ulla necessitate. Quod cum animadverterent Theologi recentiores, quibus in controversiis Socinianis subactum & exercitatum est ingenium, tempestive intercedendum putarunt; ne quid bona causa detrimenti caperet: quorum sententiam & institutum nos cum pluribus praestantissimis theologis libenter probamus. Et haec hactenus de occasione & formatione hujus problematis.

4. De momento & pondere hujus problematis, si scil. illud dextrè, aut minus dextre explicetur, tres sunt opiniones, duae extremae, tertia media. I. est eorum, qui videntur necessarium putare ut quis ad debitum honorem Christo exhibendum, affirmantem sententiam cum ipsis tueatur. Quousque haec verba sua extendi velint ignoro: hactenus tamen malo sentire eos ex sua opinione (quae quam vera, quam tuta sit, infra videbitur) nolle facere dogma ecclesiasticum, ne quidem scholasticum; & sic omnes aliter sentientes ἑτεροδοξίας stigmate notare. Sed tamen metuendum est, ne istis & similibus eorum phrasibus abutantur nonnulli (ut facile est inventis aliquid addere), qui in ignorantia sua praesidium ponunt, & cum terminos aut statum controversiae ne levissimè quidem degustarint: immo nec discere velint, magistraliter

straliter tamen determinant. De stupidis & improbis calumniis, negari scil. Christi mediatoris invocationem, errorem aut novitatem agitari, Remonstranto-Socinianis forte pejorem &c. non est quod hic referam, cum talia non responso, sed commiseratione digna sint, nec in animis piorum aut eruditorum fidem inventura. Ostendamus nunc hanc controversiam esse problematicam, quamdiu intra proprios terminos, in quibus proposita est, se continet. 1. *Quia* est in acceptione propria aut impropria, usu aut abusu syncategorematis quà, ut & termini *rationis formalis*. 2. *Quia* est in modo & ratione refutandi exceptionem, seu argumentum adversariorum, hoc scilicet, *Quicunque adoratur qua mediator, ille non est summus·Deus; Sed Christus adoratur qua mediator; Ergo*. Hic alii negant majorem, concessa minori; alii contra minorem negant. Quomodo etiam in aliis gravissimis controversiis non uno modo communes adversarios oppugnant Orthodoxi; ut ex. gr. de genuino scripturae canone & authentica ejus editione; cum opponitur, libros quosdam è canone periisse, puncta à Masorethis [pag. 545] addita esse loco à librariis corrupta. Sic in quaestione, de interpretatione scripturae & gemino aut unico ejus sensu: de judice controversiarum &c. de ecclesiae invisibilitate & successione, de primorum reformatorum vocatione, de fide ad quam omnes dicuntur teneri, quod Christus pro ipsis sit mortuus. In illis dissolvendis quidam majorem concedunt, aut saltem eam patiuntur transire, negata absolute minori; alii excipiunt adversus majorem: utri tutius & accuratius disputent, hic non est dicendum. 3. *Quia*, qui ecclesiastica, aut communem, aut capitalem controversiam hic facerent, similem fere scientiam, prudentiam, aequitatem, caritatem adhiberent, qualem Pontificii qui nostris longe melius & accuratius Arrianismum oppugnantes, haereseos Autotheanorum, & syncretismi cum Arrianis, & Turcis insimulant. De quo vide *notas nostras ad Diatriben. D. Gomari de* Αὐτοθεῷ, & *Turco-Papismum oppositum Reginaldi Calvino-Turcismo.* Qualem item Lutherani, qui quod τὸ *qua* juxta cum ipsis in attributis personae Christi non admittimus, aut quod paulo solidius quam ipsi Judaeos, Arrianos, Eutychianos, Nestorianis refutamus; ut tanto melius omnem speciem syncretismi cum haereticis evitemus, eosque cothurnis suis exuamus: non verentur nobis Judaismi, Arrianismi, Photinianismi, Nestorianismi dicam scribere. De quo vide *Gomari diatriben modo cit. cum notis nostris* editam, & *Hunnii Calvinum Judaisantem* cum *Parei Calvino Orthodoxo*, & *Philippi Nicolai fundamentorum Calvinianae sectae cum veteribus Arrianis & Nestorianis* (etiam Mahumedistis) *detexionem*. II. Secunda opinio est, otiosam & inutilem esse hanc subtilitatem, aut inanem λογομαχίαν: & consequenter nullius faciendam. Sed & opinio cum grano salis accipienda est. Fateor, orthodoxorum quorundam contradictionem; extra intuitum Socinisticae & Remonstranticae κυβείας, ex mera simplicique ignorantia profectam, inanem & imperitam λογομαχίαν posse dici, quae transeat. Sed Remonstrantium & Socinianorum τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, limitationem illam *qua mediator*, involucrum & vehiculum faciunt realissimae controversiae. Quibus ergo arcana illa detecta & perspecta sunt, illi tenentur ad ἀκρίβειαν veritatis, & ἐλέγχου soliditatem atque evidentiam hic eniti: quod si negligant, aut si pertinaciter aliis, quorum melior sententia, hoc agentibus obstent; utique non erit à parte eorum, pura λογομαχία: uti mox videbitur. Compara nostrorum distinctionem inter illos, qui ante detectum Antichristum fuerunt in communione Ecclesiae Romanae (ad instar eorum, de quibus 1 *Samuel.* 15. 11.) & inter

& inter eos, qui hodie post detectum, ibidem manent. III. Tertia & media opinio est, quam nos sequimur: esse quidem hanc controversiam minus principalem & problematicam; alicujus tamen momenti, ut nunc status [pag. 546] ejus est, post detectas Remonstrantium ac Socinianorum insidias, & quaesita latibula, in distinctione illa, de cultu Christi, quà mediatoris. Rationes sunt istae 1. *Rat. Quia*, cum in theologia dogmatica etiam vera dicere de Deo, de Trinitate, de persona Christi periculosum sit; accuratissimè attendendum est ad phrases, syncategoremata, limitationes. 2. *Rat. Quia*, in theologia elenctica, ubi validi & subdoli adversarii cothurnis, effugiis, aequivocationibus, malè fabricatis distinctionibus suis non exercent, imprimis cautione & accurata distinctione opus est: nominatim attendendus usus syncategorematis *quà*, & in hac & in aliis quamplurimis gravissimis controversiis. Ex. gr. an fides vivens seu efficax per opera, an quà efficax, justificet; non est controversia logica aut grammatica (uti volunt Remonstrantes *Apolog.* c. II. *fol.* 113. cum quà confer *Grotii notas ad Cassandrum*, ejusdemque *replicam in Rivetum*), sed in Theologia maxima, ut doctè ostendit *Isaacus Junius in Antapolog. pag.* 237. 238. 239. quem vide. Sic in quaestione de objecto praedestinationis quod sit & quale, scilicet peccator: sed an qua peccator? Itidem in quaestione de objecto formali fidei, & de ultima ejus analysi, deque autoritate & credibilitate scripturae: ubi tota disterminatio partium contradicentium sit per particulam *qua;* & per terminum *rationis formalis.* Vide *Scholasticos* ad 22. *quaest.* 1. & ex nostris *Baronium de objecto fidei contra Jesuitam Turnebullum; & Rivetum in disp. de Objecto fidei*, & in *Isagoge de scriptura.* Etiamsi in controversia de αὐτοθεῷ, uti ostendimus in *notis ad diatriben Gomari.* Confer quaeso *Zanchium* super eadem hac quaestione, *epistol. lib.* 1. *epistol.* 9. *pag.* 58. ubi post accuratam distinctionis per *quà* & *quatenus* explicationem, sic concludit: *Vides frater, quantum referat scite omnia distinguere.* Similiter in quaest. illa Sociniana; An Christus suscitatus ex mortuis, & quia suscitatus ex mortuis, dicendus & credendus sit Filius Dei. *Aff.* An etiam, qua suscitatus ex mortuis, hoc est, an resurrectio sit fundamentum filiationis. *Neg.* In quaestione de miraculis Christi mediatoris, deque ἐνεργητικῷ eorum principio: de quo monuimus in *Disputation de Miraculis, parte* 2. in quaest. de Objecto religionis seu cultus religiosi; de qua vide *Rivetum in Decalogum, Amesium in casibus.* Et nos de eadem monemus, atque ad usum τοῦ *qua* in praesenti quaestione applicamus. *Disp. de superstitione, append.* 2. *arg.* 4. In quaest. de adoratione Christi hominis, imo & carne θεανθρώπου, τὸ quod sit, de objecto materiali, & de objecto considerationis, & de *quà* specificatione accepto conceditur sed τὸ *quà* (reduplicativum scil. & propriè acceptum) ac de objecto formali [pag. 547] negatur. In quaestione de jure Dei distinctio adfertur per τὸ *quà* dominum; & *qua* judicem. Vide *Grotium de satisfactione p.* 42. 43. edit. in 8. & *Joh. Junium in refutation. praelection. Socini cap.* 16. *pag.* 563. 564. Sic *Suarez de legibus libr.* 2. *cap.* per distinctionem Dei quà legislatoris, & qua domini, explicat jus dispensandi in lege naturali. Denique ut finem faciam in vexata illa controversia de Jure Magistratus circa sacra, τὸ *qua* neglectum, aut non bene applicatum, omnem difficultatem parit. Confer *disp.* nostram, de *Potestate ecclesiasticâ.* 3. *Rat.* Quia alterutra pars non satis feliciter causam Dei contra Socinianos tuetur, nec satis fortiter eos refutat; & consequenter manus eorum quamvis inscia quodammodo confirmat. Est autem alicujus momenti, tantam causam adversariis suspectam reddere,

& legiti-

& legitimam defensionem ejus aliqua ratione perturbare. Applicandum vero hoc parti affirmanti, probo istis rationibus: quarum *Prima:* quia pervertunt terminos artium in scholis omnibus usitatos, & ad explicationes ac disputationes theologicas adhiberi solitos. Quod hic operosè non probabimus; sed provocamus ad philosophos & Theologos philosophicos seu scholasticos, quarumcunque in religione partium. Atqui talis abusus, aut detorsio terminorum, objici posset adversariis Socinianis & Remonstrantibus, tanquam signum desperatae causae. *Secunda*, quia cum termini non tantum illa ratione, qua nos accipimus, accipiendi sunt; sed & ipsi adversarii Sociniani & Remonstrantes eadem usitata ac communiter recepta notione accipiant: fallacia homonymiae & ignorationis elenchi ludere ac praevaricari videntur nostri, nec adversariis directe occurrere (uti semper gestit veritas: teste *Tertulliano)* sed pugnam declinare & respondendo nihil respondere: illi enim de aliis loquerentur, & hi intelligerent de caepis. Jam vero adversarios, particulam *qua*, in hisce aliisque suis distinctionibus non laxe, improprie, catachrestice aut specificative (uti quidam ex nostris) accipere; sed stricte, proprie, & reduplicative constat, e. gr. ex *Crellio* Sociniano, *de Uno Deo parte lib.* 1. *sect.* 2. *cap.* 1. ubi distinctionis causa sic loquitur: filius qua filius, qua Deus, persona quà persona. *Ibidem sect.* 1. §. 101. Et *Schlichtingio c. Meisnerum pag.* 375. *&c.* Et Sic Remonstrantes in *Vindiciis pag.* 37. & locis ex *Apologia*, & *Responso ad excerpta &c. supra cit.* Et *Episcopius in defensione catechismi Remonstrantici c. Heidanum, ad quaestion.* 58. ubi ex professo explicat & probat adorationem Christi qua mediatoris. Ad ipsos promachos Socinismi, qui aliqua philosophiae cognitione tincti sunt, & scholarum methodo uti solent, provocamus *Tertia*, quia non satis stricte, tuto, & caute, respectu [pag. 548] adversariorum loquuntur; sed ipsis cothurnum relinquunt, aut suggerunt qua heterodoxiam suam tegant. *Quarta*, quia viam aperiunt & pontem sternunt, si non sibi, saltem aliis rudioribus atque infirmioribus ulterius τῇ ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς hic prolabendi in invaria absurdè, aut saltem periculose, aut impedite & confuse dicta (quorum specimen infra exhibemus:) ad haec in aliis gravissimis controversiis (quales modo recensuimus) similiter perverso usu, aut confusione & ignorantia terminorum *qua* & *rationis formalis* impendendi, & omnia sursum vorsum miscendi. *Quinta*, quia consequenter bonae causae justam & accuratam defensionem perturbant ejusque defensoribus contra novos & Remonstranto-Socinianos conceptus praejudicant, & alacritati ipsorum obicem ponunt, contradictione sua saepe satis acri & censoria. Quinam autem sint illi defensores, diximus *thesi* I. Atque hactenus satis probatum putamus ex judicio eruditi praeceptoris nostri D. *Gomari* (quod vide *thesi* 1.) esse hujus controversiae aliquod momentum: ideoque pro nihilo non habendam, imprimis inter eruditos & scholasticos. Quod tamen sic accipi velim ut subjective seu in subjectis distinguam gradus hujus hallucinationis, alii enim aliis altius hanc opinionem hauriunt & admittunt, quin & extensive in nonnullis latius se diffundere possent per assumptas plures hypotheses, & consectaria. Ut concludam; 1. *Si* qui solummodo laxe particulam *quâ* seu *ut* usurpant, & proculdubio nihil aliud intelligunt, quam objectum considerationis, non vero formale & ultimate terminans, illos ἀκυρολογίαν, & si contendant λογομαχίαν committere arbitror. 2. Si qui insuper *rationem formalem* invitis omnibus philosophis & scholis Theologicis, peculiari suo conceptu & abusu aliud quid notare faciunt ut semel male posita defendant, illis philosophorum (unde

(unde Theologi terminos hos mutuati sunt) judicio relinquo; quibus, si placet, rationem reddant, quo jure & cui bono novas philosophicorum terminorum acceptiones procudant, immo bene positos & ubique receptos disciplinarum terminos confundant? An ad concitandam scilicet aut alendam novam controversiam problematicam in theologia? Aut hoc, aut terminorum ignorantiam fateri necesse est. 3. Si post detectos cothurnos & insidias adversariorum pergat quis acriter hanc serram reciprocare, & absurdis Philosophicis Theologica addere, is monendus est, videat, ne error parvus in principio fiat major in fine.

5. Occasiones & fontes hallucinationum tum in explicatione hujus problematis, tum in defensione partis affirmantis, sunt: 1. Ignorantia, confusio, & abusus terminorum, formalitatum, quibus res theologicae dogmaticè & elencticè in scholis exprimi solent. 2. Maturutio status controversiae. [pag. 549] 3. Assumptio, seu fictio pseudo-philosophematum, hoc est falsarum hypotheseon in philosophia, quibus opinionem suam suffulciunt. 4. Assumtio, seu efformatio hypotheseon theologicarum. 5. Efformatio novarum partim periculosarum, partim absurdarum distinctionum philosophicarum & theologicarum. 1. quod ad primum fontem, hoc in genere monemus neminem debere in scholis acroamatice, & secundum methodum didascalicam disputationes theologicas absolvere per terminos & technologamata disciplinarum, nisi ea intelligat & in actu exercito seu quod ad usum communem, & in actu signato, saltem ea penitius discere & intelligere paratus sit, idque revocanda ea ad suas quaeque disciplinas ex. gr. logicam, physicam, Rhetoricam, politicam, &c. in propriis sedibus ibi cognoscendo, aut si opus sit, artium istarum vivos Doctores consulendo, juxta illud philosophi: *Artifici credendum est in sua arte.* Vide, quomodo *Daneus*, *Martyr*, *Zanchius*, *Fr. Junius*, *Fr. Gomarus*, *Zach. Ursinus*, *Pareus*, *Zadcel. Camero*, &c. cum Pontificiis. Socinianis, Ubiquitistis feliciter disputarint. Immo vel unus *Amesius*, quamvis hac in controversia de adoratione Christi qua mediatoris nostro judicio hallucinatus fuerit, accuratum usum terminorum & formalitatum scholasticarum quem docere posset, quod norunt, qui ejus scripta inspexerint modo. *Twissi*, *Ferrii*, *Molinei*, *Vedelini*, *Riveti*, *Makkovii*, *Wendelini*, *Spanhemii* rationem disputandi & scripta non allego, tum quia vivunt; tum quod supra nonnullos ex iis pro mea sententia adduxi. Ex Lutheranis praetereundi non sunt *Meisnerus in Philosophia sobria*, *Keslerus in refutatione Logicae*, *Physicae*, *& Metaphysicae Photianae;* adde *Jacobum Martinum*, *Finckium*, *Danielem Cramerum*, *Schramum*, *Schroderum*, *Hornejum &c.* Confer *disp.* nostram *de ratione humana in rebus fidei:* imprimis *Vedelii Rationale Theologicum:* & in M. S. *Theolog. problematica D. Altingii locum de Theologia*, ubi diluitur calumnia illa, de Theologia subordinata seu subjecta Logicae. Sed indicemus nunc in specie usum & abusum terminorum. I. *Object.* Materiale à formali distinguunt Philosophi. Quod discendum ab aliis; Consulantur libelli Logici & Metaphysici, & explicatores terminorum, ut *Armando de bello visu*, *Castanaeus*, *Gothutius in Gymnasio speculativo*, *Vallonis*, *Fr. le Roy*, *Goclenius &c.* Nos applicemus & usum in Theologia ostendamus. Adorationis *objectum materiale* est mediator seu Christus mediator, Christus homo, sacerdos, frater seu consobrinus Jacobi, filius Mariae, filius Davidis, Judaeus &c.: sed *formale objectum* est, divina ejus natura, & consequenter quà Deus; non quà filius Mariae, servus Dei, intercessor & advocatus, mediator, factus caro, homo consobrinus

sobrinus

sobrinus Jacobi, filius Davidis &c. II. *Objectum* distinguunt in *immediatum* [pag. 550] *primum, principale, ultimatum, terminans;* & in *mediatum ac movens.* Explicationem quaere, ut supra. Applicationem Theologicam, in hac controversia sic habe: primum & ultimatum objectum adorationis, eamque terminans est Deitas, seu Deus qua Deus; objectum mediatum, & movens, est mediatio, ac mediator qua talis, item adsumptio humanae naturae, passiones in eadem, & omnia Christi mediatoris apotelesmata erga nos, immo omnes Christi hominis quà talis ἐνέργειαι in producendis ejusmodi apotelesmatis. Hinc enim rationes moventes peti possunt, & singula constituunt aut objecta considerationis, aut motiva. Sic sunt & conditiones requisitae; sed nec motivae, nec conditiones, nec objecta considerata seu considerationis, ideo sunt objecta formalia, seu rationes formales. Usum & rectam applicationem hujus distinctionis, siquidem ex Philosophis quis discere nolit; discat ergo ex Theologis, *in disputationibus de Objecto & analysi fidei, & de autoritate scripturae, de objecto religionis.* Ex pontificiis sunt *Scholastici ad* 22. *quaestion.* 1. *Cajetanus, Bannes, Valentia, Malderus &c.* & *Becanus in Theolog. Scholast. tom. poster. tract.* 1. *cap.* 1. *Francisc. Albertinus in corollar. Theolog. quae deducuntur ex principiis Philosophicis complexis tom.* 1. *in* 4. *Coroll. ex* 4. *principio quaest.* 4. Ex nostris sunt *Rivetus ad* 1. *praec. decalogi*, & in *Isagoge ad scripturam cap.* 3. §. 15. &c. Imprimis *Baronius* Professor Theologus (cum viveret) Abredonensis in scotiâ, in *tract. de objecto fidei* contra Jesuitam *Turnebullum.* Confer & controversias de cultu sanctorum, imaginum; nec non de objecto praedestinationis, justificationis. III. *Terminus*, missis aliis acceptionibus, hic sumitur pro termino subjecti occupantis, hoc est pro objecto seu re in quam fertur aliquid; sic coloratum est terminus visus, quia potentia seu actus videndi fertur in coloratum. Distinguitur autem in terminum *quod* seu *qui*, seu totalem, & in terminum *quo*, seu formalem. Rursum est reciprocabilis seu convertibilis; & non convertibilis. Quas distinctiones sic applicamus. Terminus *quod*, adorationis est mediator, seu persona mediatoris, terminus *quo*, seu *formalis*, est deitas mediatoris. Rursum, terminus cum adoratione non convertibilis est mediator, terminus cum eadem convertibilis est deitas, sed Deus in se quà Deus. IV. *Ultimum* seu *ultimatum*, dicitur, ultra quod nihil requiritur, aut quaeritur, & ultimate terminans dicitur quod per se & immediate terminat. Sic occurrunt illae phrases apud Philosophos & Theologos; ultimatus conceptus, ultimata resolutio discursus Theologici, quae fit in autoritatem verbi divini, seu in primam veritatem revelantem. In hac nostra controversia, ad quaestionem: quare mediator adoratur, non est ultima responsio, nec ultimus terminus, quia est mediator; sed [pag. 551] quia est ὁμοούσιος cum patre Deus: hoc enim ultimate terminat & adorationem nostram, & quaestionem de fundamento ac ratione adaequata adorationis. Vide *diatriben* nostram *de adoratione Mediatoris thesi* 7. Veritatem hanc si quis approbare nequit, nec tamen negare potest, non debet petitione principii & ἑτεροζητήσει quaestionem aliam formare, & ea ictum nostrae abjectionis declinare: „hoc enim „non est directe & in terminis respondere adversario. Si roger, inquiunt, cur adorem „Jesum: respondebo, quia filius Dei aeternus cum patre Deus. Sed si roger, cur „illum venerer & colam ut mediatorem: respondebo, quia est ille unigenitus Dei „patris filius, qui patrem mihi reconciliavit, qui me à peccato & morte redemit, qui „me justitia & sanctitate donavit &c. Haec vera & unica est ad illam quaestionem

„responsio

„responsio, ac proinde & ultimus terminus?" *Resp.* Sed multis modis impingere hanc declinationem (non solutionem, quam nullam videmus) argumenti nostri, ex istis constare poterit I. aut una est quaestio, aut duae diversae. Si prius: cur diversimode, & distincte respondetur. Sin posterius cur duae diversae fiunt, cum ego in meo argumento unam proposuissem, & quomodo tum meae quaestioni, quam argumentum meum continebat, respondetur? aut quomodo fit contradictio & elenchus? Quod si conceditur mea questio legitimè instituta esse, & legitimè ad eam à me responsum; jam stat argumentum meum: si non conceditur, debuisset legitimè illi contradici, & contradictio probari, & quidem absque petitione principii. 2. Cum in alterâ quaestione dicitur: *Cur Christum colam ut mediatorem*, & per *ut* intelligitur *quà*, ut designetur ratio formalis seu objectum formale seu ultimatè terminans adorationem: jam sumitur & petitur id quod est in quaestione. Non enim legitimè quaeritur τὸ διότι cur sit; nisi praecesserit quaestio τὸ ἔστι an sit & ὅτι ἔστι quod sit adorandus mediator, quà mediator. Atqui de eâ hic disputamus, & nos negantem partem tuemur. 3. Distinctio quaestionum plane otiosa est: quia responsionem ad secundam posset aeque immo & deberet applicare primae. 4. Absurdum est dicere opera Christi mediatoris esse ultimatum objectum adorationis ulterius scil. & consequenter prius aeternâ Christi deitate. Nam quod ultimatum est, in quod ultimatè quid terminatur, hoc etiam primum est & immediatum unde incipit, & cur in objectum illud tendat actio agentis. Jam verò, dicere: Christi opera mediatoria esse primum & immediatum illud fundamentum in quo fundetur adoratio, durum nimis esset in sanâ Philosophiâ, & solidâ Theologiâ, vide ibi *disputationes de formali objecto & ultima analysi fidei*. 5. Denique & ad secundam quaestionem, quae praesupponit & petit quod est in quaestione, responderi etiam deberet quia [pag. 552] homo est: nam mediator est Deus & homo, & Jesus est mediator qua homo & qua Deus; consequenter cum respondetur, filius Dei unigenitus qua mediator adorandus est, quia humiliatus est pro me, quia me liberavit à peccatis, quia pro me mortuus est &c. Et ex illo *quia*, infertur *quà*, aut illi tanquam aequivalens substituitur; addam ergo, quia homo est, & consequenter, qua homo est: quia filius Dei est qui homo est & quia homo est; & consequenter quà homo est. Quod tamen nolunt sed tanquam absurdum rejiciunt, qui haec contra nos disputant.



DISPUTATIO SEXTA.

DE PROPAGATIONE PECCATI ORIGINALIS. [1]

Peccatum originale Gentiles ignorant. Judaei & Haeretici negant, & consequenter necessitatem gratiae Christi vel in totum, vel maxima ex parte tollunt. Ex Judaeis R. Lipman *author virulenti libri* Nizzahon *acerbè perstringit Christianos, quod dicant Deum propter rem exiguam, morsum scilicet unius pomi, Adamum, qui hoc ex errore fecit, cum omnibus posteris suis perdidisse, in hoc & in futuro saeculo, vide verba ejus cit. apud* Munsterum in notis ad Matth. hebraic. c. 1. *quamvis* Aben Esta in commentar. ad Genes. 3. *gravius faciat hoc peccatum &* author Fasciculi Myrrhae *fateatur, omnes natos ex Adamo, fieri impios & durâ fronte, propter peccatum Adami: aliique etiam Rabbini subinde meminerint* τοῦ יצר רע ietzer rang *figmenti mali, sic enim vocant peccatum inhabitans. Hodierni tamen Judaei haut obscurè tollunt. Sic enim* R. Juda de Modena *archisynagogus Venetus in tract. Italico* de doctrina & ritibus [pag. 1079] Judaeorum cap. 50. *Peccatum Adami non damnare animas, sed tantum nocere animae, quatenus infert corpus Adami: hinc est quod bene facere sit difficilius posteris ex Adamo genitis. Non requiri itaque aliam justificationem à peccato originali, quam quod Messias sublaturus sic illius difficultates & impedimenta corporea, reddendo corruptam nostram naturam minus inperfectam & aptiorem ad colendum Deum. Ex Haereticis negarunt Peccatum Originis Pelagiani,* Aug. de haeres. c. 88. Joh. de Laet, & Vossius in tract. de Pelagianis: *quos hodie sequuntur Anabaptistae, Cornhertus, Socinus.* Vide & *Remonstr. in* Apol. p. 84. 87. *&* Resp. ad D. D. Profess. Leid. p. 97. 98. *Contra omnes illos cognitionem hujus veritatis, & rectam fidem in Ecclesiis nostris retineri necesse est, ut miseriam nostram agnoscant, de nobis desperemus, in nobis humiliemur, ad omnimodam Christi gratiam suspiremus, eam firmiter apprehendamus, & pro eâ Deo nostro misericordiae patri gratias dignè agamus. Quod ut fiat, nos pro modulo symbolam aliquam collaturi perpetuum & palmarium illud dubium de modo propagationis pressius his thesibus explicare tentabimus, si forte ad accuratiorem hujus rei investigationem & evidentiorem cognitionem, aut saltem ad doctiorem ignorantiam aliqui* φιλομαθεῖς *adduci possint.*

1. An, Quid, Quale, sit peccatum originale ex professo non explicabimus, ne actum agamus, aut obvios cuique locorum communium & synopseon authores, studiosis è manibus excutiamus. Tantum assertiones aliquot praemittimus, & tanquam hypotheses determinationi quaestionis nostrae substruimus. Hypotheses de peccato sint

---

[1]) *Resp.* SAMUELE LYDIO Dordraceno *Ad diem* 2 *Julii* 1636.

sint nobis istae. *Prima*, dari malum, & malum esse aliquid. *Secunda*, mali nullam esse naturam, sed amissionem boni accepisse nomen mali ut loquitur *Augustin. de Civit. Dei lib.* 11. *c.* 9. in est, malum quà tale non esse ens positivum, sed privativum. Distinctè autem cum *Gul. Altissiodorensi in summa aureal.* 2. *tract.* 26. *qu.* 2. *fol.* 85. accipimus hic privationem non ut dicit absentiam alicujus rei, sed ut dicit id quod privat & corrumpit aliquam rem. Augustinus de malo sic philosophatur. Enchrid. c. 11. *Quid est aliud, Quod malum dicitur, quam privatio boni? non sicut corporibus animalium nihil est aliud morbis & vulneribus affici, quam, sanitate privari*, &c. Vide *ibidem cap.* 13. 14. & *de Civit. Dei lib.* 11. *c.* 18. *& lib.* 14. *c.* 13. Et consensum aliorum patrum, quos citat *Zwarez Metaphys. p.* 1. *disp.* 11. Adde *Thomam in* 1. *p. qu.* 48. 42. & *qu.* 71. *art.* 6. cum *Cajetano, Valentia, Bannes, Sylvio.* reliquisque commentatoribus. Et *lib.* 3. *contra Gentes c.* 10. *cum comment. Ferrar.* & *in quaest. disputatis de* [pag. 1080] *Malo.* Et 1. 2. *qu.* 61. *artic.* 6. *Guliermum* aliosque sententiarios *ad* 2. *dist.* 46. ubi docent peccatum esse nihil seu non ens. *Bonaventuram ad* 2. *dist.* 37. ubi Magistrum cum Augustino dicentem peccatum esse nihil, explicat, quod peccatum aliter sit nihil, ac illud quod nullo modo est. Imprimis ex recentioribus *Zwarez Metaphys. part.* 1. *disp.* 11. *Rhada in contror. inter Thomam & Scotum part.* 2. *controv.* 16. Confer nostros, ut *Plessum de Veritate Relig. Christianae, cap.* 12. Et ex eo *Eilhard. Lubinum in Phosphoro; Martyrem in loc. comm. de Peccato. Rollocum de vocatione efficaci cap.* 24. *Melanthonem in loc. commun.* Et ex eo ac cum eo *Victor. Strigelium part.* 1. *locor. comm. p.* 28. *Pezelium part.* 3. *argum. & responsio n. p.* 397, 40a. ubi accurate & perspicuè haec tractantur. *Zanchius lib.* 1. *de statu peccati & legali cap.* 2. ubi breviter & philosophice haec determinat. Ita ut ista praedicata essentialia sic subordinentur, 1. labes originalis. 2. peccatum seu malum culpae. 3. malum. 4. privatio, seu ens aut non ens privativum. Et vice versa sic illa dividantur & descendant. Privatio, seu malum est vel culpae, vel poenae. Malum culpae est peccatum. Secundae huic hypothesi apud omnes patres, scholasticos, hodiernos philosophos ac theologos receptae opponit se praeter *Danaeum* infra citandum *Marcus Frider. Wendelinus lib.* 1. *philosophiae moralis c.* 3. *qu.* 7. quia scil. peccatum omissionis sit pura privatio, sed commissionis e. gr. furtum sit positiva actio cui deformitas accedit. Itaque, inquit, plurimum differunt, esse puram privationem, & aliquid, quod per rationem suam formalem sit privativum: Sed uno verbo haec difficultas tolli potest, quod quaestio hic sit de peccato in abstracto, seu de ἀνομίᾳ & vitiositate formaliter dicta, non vero de peccato in concreto quatenus una cum materiali & substrato suo consideratur. Est enim divisio illa peccati per materiales differentias, quae attenditur secundum naturalem speciem actuum: ut rectè *Viguerius in Institut. cap.* 18. *v.* 2. *Tertia*, peccatum non habere causam positivam, quà talem, directè & per se efficientem, & proprie dictam, sed potius deficientem, seu per accidens efficientem. Vide *Thomam* cum suis 1. *qu.* 75. *art.* 2. & 3. *contra Gentes cap.* 12. & *qu.* 1. *de malo artic.* 3. *Durandum ad* 2. *dist.* 25. *qu.* 3. *Martyrem in loco de Peccato, Plessum & Lubinum modo cit.* qui omnes sequuntur *Augustin. lib.* 12. *de civit. Dei c.* 7. Opponit se iterum *Wendelinus loc. cit. qu.* 4. Sed distinctione illa quam *Keckermannus* ab ipso oppugnatus, *lib.* 1. *logicae cap.* 15. & in *system. theolog. lib.* 2. *cap.* 4. imprimis etiam *Zwarez loc. cit.* ex scholasticis adhibet facile haec controversia componitur. *Quarta*,

rem

rem malam propter sui diminutionem atque imperfectionem difficilius à nobis intelligi, atque adeò concipere nos illam, & loqui de eâ non raro tanquam [pag. 1081] de ente positivo. Sic tamen ut ἀταξία ineptitudo, & vitium rei positivae, quod est quasi formale peccati, seu formaliter ipsum peccatum ab ipsa re, seu actione, sive qualitate, accurate debeat distingui tanquam à suo materiali & subjecto, quod bonum est cui inhaeret aut adhaeret (ita loquamur) τὸ malum cum ipsa actione, aut qualitate naturali (quae bona Dei creatura, seu mavis, concreatura est) imperite confundamus; contra novos errones, qui dicunt: Malitiam esse ipsis rebus essentialem & negant in peccato actum substratum seu motum naturalem aut vitalem, à vitio actus semper distinguendum esse. Vide autores modo cit. & omnes omnium Scholasticorum ac recentiorum Philosophorum disputationes, & Theologorum locos communes, & libellos Metaphysicos. *Quinta*, malum rectè distribui in culpae & poenae, quorum illud dicitur malum turpe, malum morale seu in genere moris, & appropriato nomine *peccatum*, quod definitur 1. *Joh.* 3. ἀνομία, & à *Thoma* 1. 5. *qu.* 6. 1. *a.* 6. *aberratio à regula & scopo*. *Sexta*, unum idemque diverso respectu posse esse malum culpae & malum poenae, sic tamen ut non coincidant malum culpae & poenae, contra imperitos coccysmos, & ineptas principii petitiones quorundam, qui magistraliter de his judicare audent, & quidem in publico orbis theatro, antequam terminos artis didicerint. Vide meum *Thersit. Heautontimor. sect.* 1. *cap.* 4. & *disp. de Usibus peccati per accidens:* cum omnibus systematicis & Polemicis nostris, ubi agunt de peccato, de providentia Dei, de peccato primo Adami, & de originali. Confer & *Sententiarios ad* 2. *dist.* 36. *& scholasticos ad* 1. 2. *qu* 87. *artic.* 2. Quamvis in eo dissentiat, An ipse defectus peccati ut justè à Deo permissus, quatenus formaliter est privatio boni convenientis naturae (boni scil. honesti) sit poena tum peccati praecedentis, tum sui ipsius. Sed affirmantem, tanquam magis probabilem cum multis aliis statuit, & defendit *Valentiae in* 1. 2. *disp.* 6. *qu.* 17. *puncto* 3. Ita ut secundum ipsos defectu peccati ut est damnum quoddam animae, vindicetur peccatum formaliter, quatenus est defectus voluntarius perfectionis debitae. Et sic damnum hoc referatur ad Deum tanquam causam non tam efficientem quam juste deserentem, *Becani Theol. Schol. p.* 2. 1. *tr.* 2. *c.* 4. *q.* 4. *Septima*, peccatum recte distribui in originale & actuale. *Octavo*, Originale illud esse & dici non imitatione sed propagatione, illudque propriè esse peccatum, cum universo Christianismo, contra Pelagianos. Vide *Thesaur. Catholicum Coccii, tom* 2. *lib* 2. *art.* 2. *Joh. Latii, & Ger. Joh. Vossii historiam Pelagianam, cum Harmonia Confessionum,* & publicis privatisque catechezibus, adhaec commentatoribus omnibus *in Rom.* 5. & locor. communium scriptoribus; denique Antagonistis Cornherti, Socinianorum [pag. 1082] Remonstrantium, Fr. Puccii, Samuelis Huberi, Alberti Pighii, Ambrosii Catharini. Distinguuntur quidem opiniones eorum in quibusdam partibus, aut formalitatibus: sed quod ad summam rei, conveniunt. Quinam erroris istius, autores oppugnantur, indicamus in *Bibliothecâ nostrâ.* Hic solum addo, Pighium & Catharinum, à nostris non tantum, *Calvino* scil. *in opusculis*, & *Wittakero in tract. de Peccato Originali*, sed & à Pontificiis, *Gregor. de Valentia ad.* 1. 2. *disp.* 6. *qu.* 12. *puncto.* 1. *p.* 761. Et *Bellarmino lib.* 5. *de amiss. grat. c.* 16. refutari. Peculiarem opinionem Dominici à Soto, quam obtulit Concil. Tridentino (de quo vide *Histor. Concil. Tridentini lib.* 2. *p.* 199.) refert *Zanchius lib* 1. *de statu peccati & legali c.* 4. *Nona*, Peccatum hoc

esse

esse geminum, seu mavis bimembre (si ita loqui liceat) imputatum seu primum, & inhaerens seu à primo ortum: quorum illud in uno supposito perdidit universum genus humanum ordinariâ lege generationis ex illo uno propagandum, tanquam *culpa originalis totam in sua radice corrumpens inficiensque naturam, atque aeternae promerens felicitatis carentiam, tam primo parenti, quam ejus posteritati*, ut loquitur Carthus. in refut. Alcoran. lib. 1. cap. 13. hoc vero in & per communem communis naturae participationem, inficit ac perdit unumquodque suppositum; quia secundum liberrimam & justissimam Dei voluntatem, data fuerat justitia originalis Adamo, non tantum ut singulari supposito, sed etiam tanquam *Generativo* (addo, & foederali) *humani generis principio*, ut ib. *Carthusianus. Decima*, Peccatum primum seu imputatum esse causam meritoriam peccati inhaerentis, & consequenter hoc illius esse justam poenam: quod inter & post multos alios dextre explicabat & tuebatur *Tilenus in M. S. collatione cum Joh. Corvino*, antequam in Remonstrantismum prolaberetur. Imputationem autem hanc primi peccati Adami communi Christianismi antiqui & hodierni consensu teneri, per inductionem probavit peculiari libello *Andr. Rivetus tit. Decretum synodi Nationalis &c. habitae Charentoni* 26. *Decembr*. 1644. *&c*. Qui videndus. Nec tamen dissimulandum, manente illa thesi principali, quaestionem nihilominus posse moveri, etiam à nonnullis de facto moveri, inter quos *Joh. Maccovius in disp. de Modo quo peccatum originale ab Adamo, ad omnes ejus posteros derivatur anno* 1643. *Resp. Nicol. Arnoldo Polono*, An ideo imputetur, quia singuli in Adamo peccatum illud cum ipso peccarunt; an verò tantum ex mero Dei beneplacito; ita ut intelligantur singuli peccasse in Adamo non subjective, sed tantum causaliter, quia scil. per illud peccatum Adami reatus ejusdem subjective in nobus est & consequenter peccatum originale inhaerens: cui quaestioni, cohaeret seu subordinatur hypothetica seu textualis quaestio, An *Rom*. 5. 12. ἐφ' ᾧ sit exponendum [pag. 1083] *in quo*. De quibus nos forte aliquando acturi *in disp. problematicis. Decima*, peccatum originale inhaerens esse simul, sed diverso respectu, & justam poenam propter primum Adami peccatum inflictam; & injustam culpam; quia debet quisque habere rectitudinem & conformitatem cum lege dispositivam & habitualem, seu inhaerentem inclinationem & modificationem, omnium facultatum & virium suarum ad Deo in omnibus semper, prompte, serviendum. Unde non male à Theologis dicitur in singulis decalogi praeceptis, imprimis in decimo, vetari peccatum naturae seu originale inhaerens & contra mandari oppositum ejus, imaginem Dei, seu habitualem rectitudinem, promtitudinem, ac dispositionem ad omne bonum debitum per cogitata, dicta, facta. Quod si dicas, non teneri hominem ad carentiam ejus, quod naturali necessitate illi ab ortu in est & non potest non in esse: nec teneri ad ejus possessionem seu habitionem, quod jam antequam nasceretur, in Adamo perditum fuit: R. debuisse imaginem ab ipso conservari in Adamo, capite & radice foederali foederis operum. *Undecima*, Peccatum illud inhaerens esse radicem, semen, fontem, principium & originem omnium peccatorum actualium: quo respectu verè pièque à Catechesi nostra dictum, nos esse propensos ad omne malum. De quo diximus in dissertatione adversus novatores in *Thersite Heautontim. sect*. 1. *cap*. 5. *Duodecima*, prius natura esse poenam divinum, quam culpam humanam. Illud enim praecedit; hoc sequitur in signo rationis, seu ordine consequentiae. Quia enim Deus ita punit (sive juste negando imaginem

ginem suam, sive subtrahendo, aut positiva actione infligendo, de quo infra) e. gr. Titium, hinc est quod tenebris & morbo illi originali obnoxius sit necessariò, necessitate consequentiae: sicuti non praesente aut collato lumine, aërem occupant tenebrae, & operiunt terram; non data sanitate, ad est & in est morbus. *Decimatertia*, partes ejus (ita loqui liceat) seu momenta in eo consideranda esse haec duo, aversionem à bono, & conversionem ad malum, vel (ut alii malunt,) carentiam justitiae & pravitatem naturae, quam etiam morbum, dispositionem malam, dispositionem ad malum, propensionem, proclivitatem appellant: ubi enim principia actionum humanarum non habent lucem imaginis divinae nec rectitudinem justitiae originalis, ibi necesse est succedere tenebras & irrectitudinem. Et sic *Scholastici ad* 1. 2. *qu.* 82. *art.* 1. dicunt, non esse puram privationem, sed inordinationem partium animae. *Decimaquarta*, Peccatum originale non esse hominis substantium, nec qualitates, seu primas potentias naturales à forma subjecti emanantes, nec potentias secundas, nec habitus acquisitos aut infusos; sed affectionem malam seu malignam naturae dispositionem, [pag. 1084] ac moralem corruptionem, seu permanentem deordinationem, quae per accidens supervenit, & unde inhaeret ac insidet potentiis atque earum activitatem impedit ac pervertit, quotiescunque in actum exiturae sunt: haud aliter ac infirmitas & languor corporis; & sicuti infans claudo pede in lucem editus ad claudicationem propensus est, & claudicat simulac actu pedem moverit. Primò autem mediatè ac per se subjectatur in potentiis intelligendi & volendi, non quidem primis nec absolutè & in se consideratis, sed in ordine ad objecta tum naturalia tum supernaturalia. In ordine ad ista plane mortuae sunt; & sic recte *Lutherus* dixit liberum arbitrium esse purum putum nihil: in ordine ad illa languent, qua nec debito modo & fine, nec plene in ea ferri possunt. *Decimaquinta*, Quod autem multi ex nostris determinant, peccatum originale non esse puram privationem seu defectum & carentiam justitiae originalis; sed etiam inclinationem & naturae pravitatem, justitiae illi contrariam, & in locum ejus succedentem, atque adeo positivam qualitatem; & quod hoc nomine *Danaeus* Augustinum reprehendit *in commentar. ad libr. de Doctr. Christ. c.* 11. id sic accipiendum est I. illos oppositè ad quosdam Doctores Pontificios aut alios Neo-Pelagianos ita loqui, qui puram justitiae absentiam absque ullo reatu aut ratione peccati, hominemque tanquam medium subjecti in puris naturalibus, atque adeo peccatum originis tanquam purum non ens negativum hic somniant: de quo errore vide *Wittaker. de pecc. origin. lib.* 1. *c.* 1. *&* 9. *Chamierum panstrat. tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 2. *sect.* 9. 10. *Timoth. Bucatium l.* 2. *de imagine Dei c.* 1. II. *Aut* dici potest eos hoc velle, non esse hanc privationem otiosam, qualis est quies, coelibatus, virginitas, sed esse talem quae afficiat subjectum mala dispositione ut tyrannis, anarchia, *morbus:* quo postremo simili plerique utuntur, cum positivum urgent (*Danaeus loc. cit. Keckermann. in system. Theologiae*): jam vero morbus est ens privativum, non positivum, si proprie loquamur, & attendamus ad definitionem morbi; *Morbus est laesa actio;* seu ut plenius Sennertus; *Est partium viventium humani corporis ad actiones naturales exercendas impotentia* seu ineptitudo *ab earundem constitutione praeter naturam ortum habens.* Instit. Medecin. lib. 2. part. 1. c. 1. Est enim morbus ponendus in impotentia ad agendum, ut est apud *Galenum* 1. *de disser. Morbor. c.* 2. Sic etiam peccati ratio formalis & essentialis est, privatio rectitudinis debitae in esse

actui

actui aut principio activo, in ordine ad legem, seu privatio conformitatis ad legem. *Sane Keckermannus l.* 2. *system. theologici c.* 4. pari ratione dicit peccatum in genere non esse nudam & simplicem privationem (qualis est quies) quae nullam interat malam impressionem & dispositionem; sed esse privationem male afficientem & disponentem subjectum sicut morbus. [pag. 1085] Et *cap.* 5. ubi vult peccatum originale esse qualitatem positivam, advocat huc & laudat dictum Thomae qu. 3. de Malo art. 1. *Non est simplex Privatio, ut coecitas, sed retinet aliquid de eo, quod privatur, ut morbus. Matth. Martinius in methodo Theolog. p.* 388. eodem fere modo τὸ privativum peccati in genere explicat. III. Quid si dicamus, illos loqui non de ἀταξία seu peccato quà tali, formaliter, abstractè & praecisè, sed potius concrete de peccato, cum & in subjecto suo actione sc vel qualitate, vel cum objecto, occasione & quasi materia ex qua. IV. Quod si de peccato quà tali loquuntur, dicendum est illos per positivam qualitatem seu τὸ positivum intelligere aliquid revera & subjective inhaerens ad modum habitus, seu quasi habitum (ut *Zanchius* aliique cum Scholasticis loquuntur) non autem sola cogitatione, aut etiam per solam imputationem: quo modo Pighius & Catharinus explicant totam rationem peccati originalis. Qualem significationem *positivi* notat *Goclenius in lexico.* Aut τὸ positivum ab illis non accipi Physice) nam sic est à Deo) sed Logice ut sit idem quod qualitas affirmata inhaerens subjecto, & sic opponitur τῷ negativo, ut late notet quodcunque adjunctum & attributum rei, logico: ut dicamus non tantum non est justitia originali praeditus, seu non tantum est distitutus illa justitia & rectitudine,) quomodo lapsis aut canis eadem caret) sed etiam est plane distortus, corruptus &c. Sic de Tiresia dicimus non tantum non videt, sed est coecus. Quomodo de praefecto seditioso dicitur, non tantum non servat ordinem quem debet, sed insuper omnia turbat: Et de homine guloso, Non tantum non servat debitam diaetam, sed quotidie ebrius est; & de homine afflictae valetudinis, Non tantum non fruitur illa valetudine & robore; quo solet, sed etiam multis morbis obnoxius est: Notum est apud Rhetores κατ' ἄρσιν & κατὰ θέσιν. Sic in peccato distinguunt Scholastici aversionem à Deo, & conversionem ad commutabile bonum: illam vocant inordinationem privativam, hanc positivam (*Scotus in* 2. *dist.* 35. *Cajetanus in* 1. 2. *qu.* 71. & *qu.* 72. ubi τὸ positivum eadem notione usurpatur. Et subtilissime ostendit *Rhada in* 2. *controversiae* 16. ad rationem formalem peccati non posse pertinere positivum & privationem simul; & si quae mali moralis entitas positiva attenditur, eam non esse peccatum, quia in se sit bona & à Deo naturae authore Sic etiam vulgo *Scholastici cum Thoma suo* 1. 2. *qu.* 82. *art.* 1. & cum iis *Bellarminus lib.* 5. *de amiss. grat. & statu peccati cap.* 5. concedunt quidem esse habitum corruptum qui non solum continet privationem justitiae, sed & perversionem omnium potentiarum: vel esse languorem & depravationem totius naturae per modum habitus se habentem. Sed nullo modo volunt esse ens positivum propriè sic dictum. Ut videre est apud eundem *Bellarmin. lib. cit. cap.* 2. fere [pag. 1086] sub finem. Confer nostros mox citandos. V. Dici etiam posset eos quidquid hic positivi aut positivae qualitatis admittunt, nihil aliud intelligere voluisse aut potuisse, quam quod Ethici, cum dicunt vitia tanquam qualitates inhaerentes virtutibus specialibus non privative sed contrariè opponi. Quod quomodo fiat explicat Thomas 3. c. Gentes c. 9. *Malum non repugnat bono positive, nisi ratione alicujus bonitatis.* Confer eundem *qu.* 2. *de malo artic* 1. 2. 3. 4. & *qu.* 3. *de*

3. *de potentia artic.* 6. 11. Et ex recentioribus *Zwarezium part.* 1. *Metaph. disp.* 11. *sect.* 1. §. 17. 22. Ubi doctè ostendit malum ratione actus, quem includit, contrarie opponi actui seu bono virtutis & proportionaliter habitui. Ita ut haec nihil vetent, quin peccatum qua tale seu ἀνομία formaliter accepta & ab ente seu bono substrato distincta, sit formaliter & propriè dicta privatio; & non sit ens positivum proprie & strictè dictum, sed contra ab illo toto genere distinctum. VI. Denique dici potest comparative hic atque adeo improprie, non verò propriè & stricte accipi τὸ positivum: quomodo una privatio comparate ad aliam habet se ad modum habitus aut entis positivi. Sic virginitas formaliter est privatio, & tamen in ordine ad oppositam deflorationem seu devirginationem omnemque fornicationem, est habitus; & rursum defloratio & fornicatio respectu virginitatis non tantum pura & inefficax privatio est, sed etiam actuosa, actus scil. & quasi positivum quid idque ratione sui substrati. Sic tyrannis respectu ἀναρχίας ipsi succedentis habet se ad modum habitus positivi: & tamen est hic privatio privationis. Eodem modo se habet polygamia, respectu divortii, aut repudii, per quod omnes illae uxores dimittuntur. Et lethargus aut morbus pectoris, qui impeditur & ex parte curatur per febrem, & gangraena per membri ablationem aut mutilationem: hic privatio per aliam privationem tollitur, morbus per morbum (quod quomodo fiat, & qua distinctione hoc dicendum sit, Medicis explicandum relinquo), & privatio privata habet se ad modum habitus; nec tamen desinit esse privatio in se & absolute spectata. Sed aliud simile adferam theologis familiarissime notum. Peccatum commissionis formaliter est & manet privatio, juxta definitionem mali & peccati, & tamen à locor. commun. scriptoribus ac scholasticis, dicitur consistere in actu (qui positivum quid), & non in pura privatione; oppositè scil. & comparate ad peccatum omissionis: idque totum intelligendum est ratione actus substrati. Vide Scholasticos de peccato omissionis subtiliter inquirentes. Sit ergo & dicatur habitus, seu realis ac positiva qualitas metaphorice & improprie, quia ad modum habitus est quid inhaerens & permanens, & tanquam principium *quo* seu elicitivum actus omnes vitiosos ex se producit: nihilominus in se, formaliter & abstracte consideratum est privatio, cujus Deus non est causa. Distinctionem hanc privationis [pag. 1087] non male explicat Bonaventura ad 2. dist. 22. de secundo principali q. 2. §. 33. *Dicendum quod dupliciter est loqui de ipsa concupiscentia. Aut secundum quod est poena, aut secundum id quod est concupiscentia. Si loquamur de ipsa secundum quod est poena sic dicit ordinem ad culpam, & hoc modo habet causam promerentem & causam ordinantem. Meretur enim homo habere talem rebellionem ex sua culpa & inobedientia. Deus vero hoc malum ad aliud praeexistens ordinat ex sua justitia. Alio modo est loqui de concupiscentia secundum id quod est, & sic concupiscentia duo dicit. Dicendo enim appetitum, dicit nihilominus in actu appetitus excessum. Appetitus inquam ille substratus bonus est & a Deo est, excessus autem ille in appetendo etsi videatur esse positio, plus tamen est privatio, nec habet causam efficientem sed deficientem, & ideo quia Deus nullius est causa deficiens, hoc modo non ponitur esse a Deo, sed est potius a libero arbitrio per culpam deficientem, & a Diabolo instigante. Quod autem concupiscentia ratione excessus privationem dicat, quamvis videatur dicere positionem, hoc planum est. Hoc enim est concupiscentia respectu virtutis appetitivae, quod est paralisis respectu motivae. Et quem ad modum membrum paraliticum tremulat & movetur velocissime, & hoc non*

non venit ex virtutis augmento, sed potius ex virtutis detrimento, nec ex virtutis fortificatione, sed potius ex dissolutione, sic & in concupiscentia intelligendum est, quod appetitus in amore rei tempor alis exardescit, nec potest seipsum continere, immo in continuo motu & concupiscentiae iteratione consistit. Hoc inquam intelligendum est provenire ex defectu retinaculi, sicut moventur ferae ruptis vinculis, & naves destructis gubernaculis. Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod concupiscentia non sit a Deo, prout concludunt de concupiscentia secundum id quod est. Hac aut simili ratione mens theologorum nostrorum explicari potest, imo & debet. Rationes sunt istae I. *Rat.* quia alioqui discederent à thesibus & hypothesibus Patrum, Scholasticorum, Philosophorum, immo & à propriis principiis atque axiomatis de natura mali & peccati. Vide authores supra cit. *thesi* 1. *hypothesi*. 2. & adde *Augustini scripta contra Manichaeos*, & *Rhada loc. cit. & Becani Theol. Scholast. p.* 2. *tom.* 1. *sect.* 1. *cap.* 5. *qu.* 1. Et *Plesseum de Verit. religionis cap.* 12. Et *Phosphorum Eilhardi Lubini de Malo.* Imprimis & *Pezelium; Zanchium, &c.* Denique Logicos & Metaphysicos omnes reformatos & Lutheranos in cap. de Malo & de privatione, II. *Rat.* Quia odiosae consequentiae, quibus supra *thesi* 1. & mox infra *rat.* 7. cit. *Bellarminus lib. de amiss. gratiae &c. c.* 1. nostros gravat alioqui solide refutari & praescindi non possunt, nec suspicio aut calumnia de affinitate cum Manicheismo. & de Deo autore peccati perspicue removeri. Sic enim Bellarminus l. 5. de grat. & statu peccati cap. 2. p. 448. iedit. in 8. *At revera utrique videntur Manichaei & Illyricus, & adversarii ejus Lutherani, sed ipse magis. Illi quidem dum realem & positivam qualitatem peccatum originis esse definiunt, coguntur omnino dicere, vel Deum non esse causam illius qualitatis malae, ac per hoc* [pag. 1088] *non esse causam omnium rerum, quae revera existunt, qui est unus ex erroribus Manichaeorum: vel certe causam esse peccati, qui est error gravior, quam fuerit Manichaeorum.* Velim quis tentet hujus consequentiae solutionem. III. *Rat.* Nec etiam consequentia Illyrici, qua orthodoxos urget, accurate & expedite refutari posset. Est autem ista: Qui ponunt in homine substantiam bonam, & qualitatem malam, illi sunt Manichaei: Sed hoc faciunt orthodoxi; Ergo. Accedit, quod nimium concederetur Illyrico, immo & Manicheis, si peccatum aliquod statueretur realis & positiva qualitas. Quia illa necessario deberet esse à Deo: Deus enim omnis entitatis causa prima. IV. *Rat.* quia alioquin non posset retineri & defendi vulgata definitio peccati originalis ex Anselmo, quod sit carentia justitiae originalis dibitae inesse. Quam tamen retinet & defendit *apologia Augustanae Confessionis &c. colloquium Wormatiense, Melanthon*, & cum *Pezelio lib. cit. p.* 438. 439. 440. & *Martyr. locor. cl.* 2. *c.* 1. §. 19. V. *Rat.* Nec posset defendi definitio peccati 1. *Joh.* 3. quod sit ἀνομία. Alpha enim στερητικὸν ex usu linguae graecae, manifeste indicat privationem. Et nostri defendunt illam definitionem, tanquam veram & legitimam essentiae explicationem. Ergo non est de essentia ejus realis & positiva qualitas. VI. *Rat.* Quia committerentur alioquin haec absurdorum absurdissima: *primo*, ut quidquid inest generi cum proximo, tum propinquo, non tamen inesset speciei, & quidquid est de essentia generis, non esset de essentia speciei. Malum ejusque subjecta species, peccatum scil. essentialiter essent privatio, seu ens privativum; & tamen species illa peccati ac mali, quam vocamus peccatum originale non esset essentialiter privativum quid, sed positivum. Et ad quaestionem, quid est peccatum originale respondendum esset,

set, esse qualitatem positivam & ens positivum proprie dictum, prout privatio opponitur. Quod ἄτοπον. *secundo*, Quia sequeretur oppositum genus praedicari de altera specie disparata, ens positivum scil. de peccato originali, quod tamen continetur sub ente privativo, quasi quis sensitivum aut animal praedicaret de lapide. Quod absurdum. VII. *Rat.* Quia sequeretur *apologiam Augustanae Confessionis*, & *Melanthonem*, aliosque theologos nostros cum passim recentiores Pontificios de puris naturalibus contra labis originalis corruptionem pro libero arbitrio Pelagianizantes ex *Bonaventura*, *Thoma* & *scholasticis ad* 1. 2. *qu.* 82. refutant, eorumque veritatem huic quaestioni determinandae idoneam approbant, ipsis quid affingere. Certum est *Thomam* cum scholasticis intelligere nullum aliud positivum, nisi cum cauda, & comparate sic dictum (uti modo explicuimus); non vero positivum ens proprie & absolute sic dictum, quod privativo proprie dicto opponitur. Nullum enim peccatum *Thomas* sic [pag. 1089] appellare solet, ut constat ex 1. *qu.* 48. 49. & 3. *contra Gentes cap.* 10. Et *quaest. disp. de Malo.* Si quid aliud *Thomae* tribuerent, utique manifestè eum torquerent, & mentem ejus perverterent. Nihil minus ille per suum *positivum*, & ad *modum habitus* intellexit quam realem & positivum qualitatem. Hanc enim aperte repudiant, ut videre est apud *Bellarminum*, & *Valentiam loc. cit.* Confer *Synopsin Leidensem disput.* 15. VIII. *Rat.* Quia de omni peccato, & speciatim de actuali peccato commissionis dicunt theologi quod sit qualitas aut actio, & quod sit positivum quid. Vide *Zanchium loc. cit.* & Rollocum de vocatione efficaci, c. 24. p. 142. ubi sic definit: *peccatum est qualitas seu actio creaturae rationalis* ἄνομος, *seu pugnans cum lege Dei.* Confer *eundem c.* 27. *p.* 161. Quod de peccato concrete, ut constat substrato & ἀνομία intelligendum nemo non videt. Nisi eos sibi turpiter contradicere velit. Peccatum commissionis formaliter est privatio: & tamen opposite ad peccatum omissionis dicitur positivum quid. IX. *Rat.* Accedat praestantissimorum theologorum consensus, qui aut apertè & contradistincte determinant esse privationem aut saltem positivum illius sic explicant, ut privativo proprie dicto non opponatur, sed cum eo coincidat, aut ad illud reducatur. Melanthon in consiliis part. 1. p. 533. Rectè propriè & verè dicitur peccatum originis esse privationem justitiae, quam Deus indidit homini in creatione. Στέρησις hic significat, quod usitate Dialecticis significare solet, *ut cum dicimus: Tenebras esse privationem lucis, aut confusionem privationem ordinis.* Et postea, *Cum igitur dicimus esse privationem, seu amissionem, seu spoliationem, planè & propriè loquimur, & intelligimus* στέρησιν *esse formae, quae potest adesse.* Et. pag. 534. *Illam cavillationem sic dilue:* Nihil non puniendum est. Peccatum nihil est. Ergo non puniendum est: *Aliud est nihil negativè, aliud nihil privativè. Nam nihil privativè est in subjecto existente; corruptio & confusio: ut ruina domus est confusio illius ordinati aedificii. Deinde verum est, post privationem lucis & justitiae, sequi multos errantes motus & erroris, ut aversa voluntas a Deo ardet amore sui, & voluptatum malarum sine Deo. Mens coeca, ignara Dei ludit opinionibus de Deo, alius aliud fingit, ut ostendunt* εἰδωλομανίαι *omnium gentium. Ita post privationem sequuntur positiva, ut vulgo loquuntur, & tamen deformitas vel* ἀταξία *in illo ipso positivo etiam est* στέρησις.

Quantum ego videre possum, haec perspicue & dextre dicuntur, & nihil habens absurditatis, & sunt germana sententia doctrinae Propheticae & Apostolicae. Fortassis naturae cavillatrices multa inveniunt: quae argute objicere possunt: Sed explicari a peritis

peritis cavillatrices ille facile possunt. Nam vera sunt firma, ut Demosthenes *ait.* ἰσχυρὸν τὸ ἀληπὲς Pezelius ad Examen Melanthonis part: 1. p. 442. dicit esse accidens privativum non positivum. Et p. 432. laudat has definitiones [pag. 1090] Bonaventurae: *Cum quaeritur, quid sit originale peccatum, recte respondetur, quod sit Concupiscentia immoderata: Recte etiam respondetur quod sit debitae justitiae carentia, & in una istarum responsionum includitur altera.* Hemmingius in syntagm. instit. tit. de peccato thesi 19. 20. *Iam cum certum est originalem justitiam (cujus carentia est peccatum originis) duo complecti, nempe integritatem omnium virium in Adam, & approbationem, qua Deo acceptus erat Adam: sequitur, quod peccatum originis, sit defectus, corruptio, & reatus. Qualis autem sit defectus, & qualis corruptio peccatum originis, rectius sciri non potest, quam ex integritatis partitione. Nam cum integritas humanae naturae, fuit imago Dei, obedientia &* εὐταξία *omnium virium, mentis, cordis & corporis erga Deum: sequitur quod iste defectus & corruptio, sit inductio imaginis Dei, &* ἀταξία *omnium virium, mentis, cordis & corporis* Zanchius lib. cit. cap. 4. thesi 2. §. 5. *Hic complector primo, totius justitiae originalis privationem dicendo, injustos omnes esse factos, id est, privatos omni justitia & rectitudine, quae in ipsos fuisset propagata, si Adamus non peccasset. Secundo loco complector etiam totam naturae corruptionem nomine corrupti. Neque enim aliter fieri potuit, quam ut ablata justitia originali, qua integer erat & rectus Adamus, sequeretur corruptio totius naturae. Hac de causa adjeci etiam voces illas,* toti quanti sunt, anima & corpore, *ut ostendam totum hominem fuisse & spoliatum justitia originali omnique rectitudine, & per consequens, totum fuisse corruptum.* Et post in fine paragraphi: *Ab* Augustino *praeter alia etiam* ἀταξία *vocatur, affecta qualitas, & morbus: Significare cum primis voluit naturae corruptionem ac pravitatem. Coepimus deinde explicare effecta hujus peccati.* Aretius in Examine theolog. loc. 3. qui est de peccato originali p. 105.

Quid est peccatum originale?

Est totius naturae humanae depravatio ac corruptio. Veteres definierunt, quod sit carentia justitae originalis, quae inesse debuit. Polanus l. 6. Syntag. c. 3. p. 337. Positivum *hic intelligimus non rem subsistentem à Deo conditam, sed quod non est simpliciter nihil, nec simplex privatio sicut mors est privatio vitae aut tenebrae sunt privatio lucis; sed quod simul est defectus & destructio rei positivae à Deo creatae, & habitus vitiosus excitans & gignens motus internos & externos à lege Dei aberrantes Deoque displicentes. Nihilominus recte concupiscentia illa dicitur privatio, quia est aberratio a Lege Dei.* Rivetus in synopsi theol. Profess. Leid. disp. 15. thesi 26. *Scriptura certe quoties peccatum originale nobis insinuat, non meram privationem, sed aliquid quodammodo positivum, id est, affirmativum, solet inculcare: nimirum tale vitium quo* caro concupiscit adversus spiritum, *id est, per quod homo ad malum pronus, & divinae legi contrarius sit; ut* Rom. 6. 12. Amesius lib. 1. medullae cap. 13. thesi 5. *Peccatum hoc dicitur exorbitatio vel deviatio hominis, quia est in homine habitualis privatio conformitatis debitae ad legem* [pag. 1091] *homini impositam a Deo, in qua debuit ambulare tanquam in via sua* Maccovius in disp. locor. commun. part. 2. disp. 14. p. 257. *Theologi primam partem vocant qualitatem privativam, secundam positivam.*

Positiva non Ethice nec Phisice, nam cum qualitas Ethice positiva sit virtus, Physice

Physice qualitas naturalis à creatore vel natura existens; per se utriusque qualitas non est, nisi à recta ratione & à Deo.

Logice ergo: logice vero qualitas positiva est qualitas affirmata inhaerens subjecto bona vel mala. Rollocus cap. 25. de vocatione efficaci, ubi positivam qualitatem fecit partem peccati originalis, sic se explicat: pag. 153. *Atque haec hactenus de peccati originalis materia triplici. Hae partes materiae peccati originalis, cum totidem entia sint, & ab authore Deo sint, insitam sibi qualitatem bonitatis habent singulae: Nam apostasia sive defectio in se ac per se bona est; item carentia originalis justitiae; cum entis cujusdam rationem habeat, & res quaedam sit facta motu illo defectionis; carentia, inquam, à Deo est, & in se bona est; denique qualitas illa positiva, quae succedit in locum sanctitatis & imaginis Dei, à Deo est tanquam principali efficiente, & per se bona est. Prout igitur triplex est entitas, ita triplex est bonitas.* Ubi manifeste ostendit se positivum facere peccatum originale materialiter acceptum: quomodo omne peccatum actuale dici possit positivum ens, reale, immo & bonum; ratione scilicet materiae & actus substrati. Quod amplius explicat p. 154. *Quemadmodum autem peccati originalis materia triplex es: ita triplex est ἀνομία. Unaquaeque enim materiae pars suam habet ἀνομίαν & adventitiam formam, in qua posita est peccati ratio: Apostasia suam habet ἀνομίαν, carentia suam, positiva denique qualitas suam. Haec triplex ἀνομία non est à Deo efficiente, verum a malis instrumentis, Diabolo primum, Adamo deinde, eo denique homine, quisquis is est, qui ex Adamo nascitur: Nam & nos quodque, qui laboramus hoc morbo haereditario ipsi causae sumus morbi nostri.* Et manifestissimè p. 158. ubi pro defensione sententiae Lombardi c. Bellarminum de positiva qualitate male, sic distinguit: *Ad assumptionem respondemus. In positiva illa qualitate mala, duo sunt; primum, qualitas ipsa, quod ens est; secundum, malitia sive ἀνομίαν, quae privatio est. Qualitatis ipsius & entis Deus est author & efficiens principalis: Malitiae vero & ἀνομίας non Deus, sed malum instrumentum, efficiens est.* Confer autores infra cit. thesi penultimâ. X. *Rat.* Si cui haec ad conciliandas explicationes orthodoxorum theologorum à me allata non satis faciant, peto ab illo ut absque contentione aut insectatione uberiora ac meliora candide communicet: Et quidem primum doceat, an & quomodo τὸ privativum hujus peccati propriè & logice acceptum, & positivum pravitas sc. seu corruptio seu morbus naturae, seu dispositio aut inclinatio habitualis ad malum, realiter inter se ita distinguantur; ut posterius nullo modo concipi & dici debeat privatio seu ens privativum proprie secundum logicos & Metaphysic.) [pag. 1092] acceptum. Meminerit autem me quaerere non de pravitate naturae seu prava dispositione concrete, ut in se continet subjectum substratum (quod est realis & positiva qualitas), sed abstracte, formaliter, praecise, ut sic. & qua tali, ut exserte à subjecta qualitate toto genere distinguitur. Haec cum secundis curis ita explicuissem, visum est abundantem cautelam adversum imperitorum calumnias conferre recentiores nostros theologos Belgicos eorumque consensum explorare. Et ecce obtulerunt se mihi *Altingius in problematis* nuper editis, ubi hanc quaestionem, accuraté determinat, dicendo peccatum abstractive sumtum esse qualitatem positivam non ethicam aut physicam, sed logicam, hoc est, qualitatem affirmatam, sed malam, inhaerentem subjecto, qualis est lepra, curvitas: & causam ejus positivam facit hominis arbitrium libere se avertens à Deo. *Rom.* 5. 12. 1 *Timoth.* 2. 14. Rationes quibus τὸ positivum probat

bat satis ostendunt mihi cum ipsius conceptibus quod ad summam rei optimè convenire. Sed lector ipsum autorem consulat. Nicolaus Vedelius in disputatione 2. de peccato originali habita. Franequerae anno 1641. Resp. Joh. Roldano qu. 5. Ubi ad objectionem *Corvini contra Molineum cap.* 8. *p.* 120. *& Bellarmini lib.* 5. *de amiss. grat. c.* 15 sic τὸ positivum defendit: *Ludunt*, inquit, *ambiguitate phraseos qualitatis positivae: quam nos non sumimus stricte seu physice, vel etiam proprie logice, sed improprie & late, in quantum scil. actuosa & operosa est; quomodo morbus praeter privationem*, quâ aequalitas temperamenti sublata est, etiam positivi aliquid habet, nimirum ipsos humores inordinate dispositos, ut Thomas loquitur, *& corpus turbant & vexant. Ex hac distinctione ambiguae vocis caetera etiam argumenta Bellarmini facile solvuntur.* Cloppenburgius in disp. de statu hominis sub lapsu Franekerae habitis an. 1646. disp. 5. quae est 2. de peccato originis planissime hanc quaestionem determinat, exsertè impropriam ac duriusculam nonnullorum phrasin de positivo corrigit: Et hoc argumento recte eos urget th. 8. *Enim vero qui, citra illam haeresin Manichaeismi interpolati, ita loquuntur, invitâ* ἀκρίβεια & ἀκριβολογία *quasi censeant* Peccatum Originale esse aliquid positivum, *sive habitum sive aliam qualitatem: non aliter tueri possunt sententiam suam, quam ut horum alterutrum statuant: vel* Animas esse ex Traduce, *& in earum generatione, simul ingenerari positivo actu peccatum: vel* Creari quidem illas à Deo puras, sed infici à Semine vel Carne impura. Et thesi 14. *Propter has & similes quaestiones intercurrentes, omnino tutius creditur, Peccatum originis formaliter esse Privationem justitiae originalis, quam esse aliquid Positivum: Cum eo ipso, non minus quam ex ista hypothesi credatur* esse veri nominis Peccatum, *& habitualis aversio naturae à Deo.* Maccovius in opusculis posthumis nuperrime editis, in Anti-Socino pag. 83. *Nempe in peccato inhaerente* [pag. 1093] *nali inhaerente dicitur esse*: *Qualitatem* positivam *&* negativam. *Hanc vocant carentiam justitiae originalis, sive non posse bonum; illam vocant pravitatem naturae sive posse tantummodo malum: De hoc vero ultimo quaeritur.* Qua ratione dicatur positivum, cum omne positivum ens est, & omne ens est bonum? Resp. *Positivum multipliciter Philosophis dici. In praesentiarum haec significata tantum adferemus, dici nempe positivum* physice, *ut qualitas corporis, & ita physice positivum bonum est. Positivum* ethice, *ut virtutes, ita etiam hae bonae sunt. Positivum* logice, *& hoc est affirmatio, Hoc pacto dicitur haec qualitas positiva ad discrimen prioris partis peccati, quae negative effertur cum affirmative efferatur. Vide hac de re* Zwinglium. *Decimaquarta.* Quia Mathias Flaccius Illyricus, non satis provide hic versatus fuit distinctionem privativi & positivi, factum est ut *an.* 1561. in collatione Vinariensi cum Victorino Strigelio, positivam rem seu essentiam fecerit peccatum originale, humanae naturae essentialem seu de ejus essentia, immo & substantialem, seu substantiam ejus. Quem absurdum & crassum ejus errorem refutatum vide à *Wigando, Heshusio, Morlino, Chemnitio & Schlusselburgio in catalogo haereticorum; Pezelio ad Examen Melanthonis, & part.* 3. *object. & responsionem.* Sed ex recentioribus Lutheranis instar omnium sit *Meisnerus Anthropolog. dec.* 1. *disp.* 6. *qu.* 1. ubi breviter, & tamen satis plene totam hanc controversiam exponit. Adjungi potest, ex Pontificiis egregius scholasticus *Greg. de Valentia ad* 1. 2. *disp.* 6. *qu.* 12. *puncto* 1. Et *Bellarminus lib.* 5. *de amissione gratiae & statu peccati cap.* 1. 2. 3. Historiam autem hujus certaminis habes apud *Schlusselburgium in catalogo haereseon.*

2. Ad-

2. Addimus hypotheses philosophico-Theol. de homine subjecto peccati originalis; quas *edit. primâ hujus disp. an.* 1636. postea plerasque ex professo tanquam theses explicuimus & probavimus *in disp. de Creatione anno* 1638. *ejusdemque appendicibus an.* 1643. *Prima hypoth.* post primam hominis ex terrâ creationem, Deum hanc naturae legem fixisse, ut homo generaret hominem *Genes.* 1. contra eos qui statuunt ex putri materiâ posse generari, Vide *Scalig. exercit.* 103. *sect.* 1. & *disp. nostram de Creatione. Secunda*, Partes hominis essentialis esse animam & corpus; contra novam opinionem seu dubitationem, de qua vide *Apol. Remonst. c.* 16. *p.* 129. *Tertia*, Animam hominis esse unam; contra Heracleonitas, qui hominem triplici essentiâ constare, & Manichaeos cum Gnosticis qui animam humanam duplicis essentiae & diversae naturae esse affirmabant, quarum una esset à Deo altera non, ut & contra recentiorem Philosophum Zabarellam. *Quarta*, Non esse mentem quandam omnium hominum communem, sed multiplicari eas pro multiplicatione suppositorum, contra Averroem. *Quinta*, Animam [pag. 1094] non esse partem divinae essentiae; contra antiquos quosdam Philosophos, & haereticos Gnosticos, Manichaeos, Priscillianistas. *Sexta*, Animam esse essentiam spiritualem, incorpoream, formam immaterialem, contra Tertullianum & Luciferianos qui corpoream, & contra Nazareos cum Manichaeis qui eam ejusdem naturae cum animabus brutorum, & contra haereticos dictos *Arabicos*, (apud *Augistin. de haeres. cap.* 83.) & recentiores Atheos, qui mortalem statuunt. *Septima*, Animam hominis non esse creatam ab Angelis contra Seleucianos, Hermianos, Proclianos. *Octava*, Animam ex animâ non nasci contra Apollinaristas. *Nona*, Animas non migrare de corporibus in corpora contra μετεμψύχωσιν quam tribuunt Aegyptis *Herodotus in Uterpe*, Pythagorae *Diogen. Laërtius*, *August. de Gen. ad literam c.* 6. & 11. Platoni *Epiphanius Panar. lib.* 1. *p.* 7. *Lactantius libr. de divino praemio*, antiquis Judaeis *Matth.* 14 *vers.* 2. *cum Josephol.* 2. *de bello Jud. c.* 7. sequentibus Rabbinis *Elia in Thisbi voce gilgul.* (Confer *disp. de creatione, & de Judaismo)* Tertulliis haereticis, qui improborum animas in bruta & in Diabolos converti somniabant *Augistin. de haeres. cap.* 78. *Decima*, animas non esse ex traduce, de quâ quaestione tam multa recentiores Philosophi & Theologi. Videri possunt ex Pontificiis *Scholastici in* 1. *Thomae qu.* 118. *artic.* 2. & *Conimbricenses*, *Ruvius*, *Toletus &c. in Physicis*, ex nostris *Zanchius*, *Tilenus*, *Danaeus*, *&c.* & *Rudolph. Lavaterus*, *Pembellus in pecul. tract.* Et *Baronius in Philosophia Theologiae ancillante exercit.* 2. Vide etiam variorum sententias uno libro editas *à Rud. Goclenio.* Quamvis Non desint enim Philosophi & Theologi qui contrariam sententiam teneant, aut saltem dubitent, propter ἄλυτον illud (ut ipsis videtur) de propagatione peccati originalis. Ut hodierni Lutherani theologi & Philosophi omnes quod sciam; & ex nostris *Georg. Shonius*, *Combach.*, *Phil. Marnix.* Ἐποχὴν suadet *Musc. in loc. com. th.* 101. suum cuique judicium relinquit *Pisc. in disp. de peccato th.* 101. cui adstipulatur *Herm. Ravensperger in disp. cui tit. Adamus miser*, *Martyr* negat ex sacris literis opinionem de traduce expugnari posse. In antiquitate habuit haec sententia suffragatores. Tertull., Apollinarem, aliosque Orientales teste *Hieron. epist.* 45. *ad Marcellin.* & *Anapsychiam.* Nec abhorruit multum ab ea *Augustin. epist.* 157. ad *Optatum* & *epist.* 28. ad. *Hieronymum*, *& lib.* 1 *retract. c.* 1. *& lib.* 10. *in Genes. ad liter. cap.* 23. Ut nec Ruffinus, si fides *Hieronymo*, hoc nomine ipsum perstringenti *lib.* 2. *apolog.* fere circa initium. Quin ex recentioribus Lutheranis sententiam de

traduce

traduce, quamvis sibi contradicentes moderationem aut ἐποχὴν profiteri videantur, necessariam faciunt. Sic enim tom. 2. disp. Giessensium disp. 12. thesi 65. p. 423 *ab ea tamen sententia, quae peccati propagationem tuetur, & missis hominum argutiorum vanis & spinosis quaestionibus*, [pag. 1095] *simplicitatem sectatur, discedere religio nobis est. Et hujusmodi ex omnibus aliis ea sola est, quae traducem propugnat, sententia.* Et thesi 46. p. 417. *Omnes etiam qui traducem negant, & originem peccati in anima naturali ejus cum corpore conjunctioni acceptam ferunt, quid consequenter aliud faciunt, quam Deum peccati originalis authorem & parentem constituunt?* Et sic fere *Meisnerus Anthropol. decad.* 1. *disp.* 5. *qu.* 3. §. 4. Et *Eckhardus in fasciculo cap.* 10. *appendice de traduce argum.* 2. *p.* 259. *Undecima*, sed animas à Deo creari & creando corporibus uniri uno eodemque instanti; ita ut momenta quidem rationis seu naturae hic distincte observari debeant, nulla verò instantia temporis per prius aut posterius concipi: ita ut Deus 1. creet animam. 2. Uniat eam corpori. 3. Anima informet & actuet illud corpus. 4. Atque ita inde resultet & existat ipsum compositum seu generatio & productio compositi: Contra opinionem Platonis, Origenis, Cabalistarum qui statuunt animas ante corpora seu compositum productas esse & tempore aliquo exstitisse, quod ulcus tetigimus in *dissertatione* nostrâ *de termino vitae.* Nunc videmus opinionis ejusdem defensionem ex scriptura venditari à recenti Judaeorum scriptore *Menasse ben Israel in problematib. de Creatione.* Confer *disp. de creatione, & Scholasticos ad* 1. *qu* 118. *art.* 3. *Duodecima*, Subjectum absolutum peccati in genere, ut & peccati originalis non esse animam, aut partem inferiorem animae tantum, aut corpus, sed totum hominem, totum compositum; subjectum vero quo, secundum quid, seu limitatum & quidem primo & formaliter esse intellectum & voluntatem; *secundo & participative* esse inferiores animae facultates seu sensualitatem, tanquam potentiam executricem. Nam corruptio naturae quam contraximus, per peccatum primi parentis, ex communi sententiâ nostrorum & Pontificiorum (fatente *Becano in Theol. Scholastic. part.* 2. *tom.* 1. *tract.* 2. *qu.* 3.) complectitur quatuor illa naturae vulnera, quae enumerat *Thom.* 1. 2. *qu.* 85. *art.* 3. nempe ignorantiam in intellectu, malitiam seu aversionem in voluntate, infirmitatem in appetitu irascibili, & concupiscentiam in appetitu concupiscibili. Consectarium: Minus accuratè aut proprie dici videtur *à Thoma* 1. 2. *qu.* 83. *art.* 2. *peccatum originale esse primario in essentiâ animae, secundario in voluntate.*

3. His praemissis accedimus ad ipsam quaestionis nostrae enodationem. Praemonemus autem, ne fallacia πολυζητήσεως committatur (quod ante hac non raro confusionem & obscuritatem hic peperit) bimembrem esse hanc quaest., seu duas esse quaest. admodum distinctas, quarum prior: *Quomodo in posteros Adami propagetur, & ad omnes homines transeat morbus ille Originalis* seu *quae & qualis sit ejus origo, & quaenam ad illam concurrant.* Quae rursus bimembris est: 1. *An sit per imitationem, & per crebros actus ac consuetudinem contractum* [pag. 1096] (ut volunt antiqui & novi Pelagiani)*: an vero per generationem propogatum?* 2. *An generationis modus sit per animae traducem, atque hac ratione, & non alia fiat peccati propagatio* (ut volunt hodierni Lutherani): *an vero per animae immediatam creationem & infusionem.* Posterior est: *Posito, generationis modum esse per animae creationem & infusionem, Quaenam tunc peccati hujus, seu existentiae hujus peccati causa propria & proxima directe efficiens* (deficiens scil.) *vel quodnam sit principium & quod & quo, per quod existat primùm, & inhaereat peccatum originale* Titio aut Maevio, ita ut ejus sit peccatum

catum singulare, ejus solius culpa & ipse inde justissime reatum singularem sibi contrahat. Quomodo in Physicis longe differt quaestio de generatione & quaenam ad illam concurrant, à quaestione, quaenam propria & proxima causa geniti. Causa enim propria geniti unica tantum est, sed ad generationem multa concurrunt, materia, forma, privatio, dispositiones praeparatoriae, generans, virtus plastica &c. Ad priorem quaestionem unde sit peccatum originale in Titio, quomodo ibi primo ingressum sit, quomodo ab Adamo usque ad Titium propagatum & traductum? *Respondemus* cum omnibus orthodoxis Anti-Pelagianis, antiquis & hodiernis, reformatis & Lutheranis in loc. comm. in controversiis, esse per generationem propagatum, non per imitationem contractum aut acquisitum: hoc est, esse ex primo peccato seu propter culpam primi parentis per generationem & cum generatione naturali atque ortu Titii in Titio ortam. *Gen.* 5. 3. *Jobi* 14. 5. *Ps.* 51. 7. *Joh.* 3. 6. *Eph.* 2. 3. *Rom.* 5. *v.* 12. 19. Addimus, cum Reformatis traducem negantibus, oriri & existere in Titio per ejus defectibilitatem, Deo justissimo judice per providentiam suam secundum consilium voluntatis suae, non donante Titio imaginem suam, sed justissime subtrahente. Concurrunt ergo ad hanc propagationem sed longe diversa ratione. 1. Adamus. 2. singuli homines. 3. parentes. 4. Deus. I. *Adamus* concurrit peccato suo tanquam caput & radix ut generis humani sic etiam peccati & demeriti, quod ex *Rom.* 5. abunde demonstratur, *à vers.* 12. *usque* 20. *II. Homo quisque* concurrit, *tum* ut *subjectum*, *tum* ut *causa efficiens; procatractica* quidem hanc plagam mortiferam promerita in lumbis Adami; ad haec ut *causa efficiens* (propie deficiens) *directa*, *propria*, *proxima*, *emanativa* scil. hujus venenatae qualitatis. Aut ut melius me exprimam, (quamvis vereor, ut satis adaequatè & accurate haec à me exprimi possint), concipi potest defectibilis ejus intellectus & voluntas destituta imaginis divinae perfectione tanquam causa synectica hujus morbi, defectus, imperfectionis & inhaerentis irrectitudinis. Homo enim cogitari potest, & tanquam subjectum recipiens, & tanquam causa interna emanativa hujus ἀταξίας seu deordinationis, in quo, [pag. 1097] ex quo, & à quo illa resultat & emanant una cum potentiis seu facultatibus primis & secundis, ut ad operationem ordinatae sunt, tanquam earum qualificatio & affectio inseparabilis, & naturalis in hoc statu lapsus. Nam facultates illae ad operationem necessario dispositae & modificatae sunt aut benè aut malè; bene si adsit lux imaginis divinae, male si absit. Sicut hominis visus male dispositus est ad legendum si absit lumen, (quod tantundem est ac si dicas, si adsunt tenebrae); bene, si adsit lumen. III. *Parentes* concurrunt per generationem naturalem, & sic per virtutem plasticam conjunctionem conjugalem, semen &c. Quae omnia sunt causa sine qua non, seu antecedens, non vero causa per se; substituunt enim tantum & applicant subjectum in quo peccatum Adami producat suum effectum, id est, peccatum originale. Hoc enim & nihil aliud vult *Martyr*, aliique reformati Theologi quos sibi et nobis contradicere, & velint nolint, traduci animae favere velint ex Lutheranis Eckhardus cap. cit. p. 262. cum dicunt; *Semen est instrumentum, quo hoc peccatum à parentibus traducitur in filios.* Et, *Via qua homines peccati Adae possunt esse participes, non potest inveniri ulla alia, quam semen & generatio.* IV. *Deus* concurrit justa & efficaci sua providentia, idque *Primo*, efficienter procurando propagationem hominum tanquam causa prima, quod ad productionem compositi; & tanquam causa sola quod ad immediatam productionem atque infusionem animae: sine qua propagatione nulla esset propagatio peccati;

Secundo

Secundo efficienter procurando & producendo tum tanquam causa prima, tum tanquam causa sola, substratum hujus peccati cui inhaeret & adhaeret, facultates scil. & vires naturales humanas: Omne enim malum fundatur in bono. *Tertio*, permittendo ut omne peccatum, sic & originale: *Quarto* non suppeditando (quod fecit in prima creatione) donum imaginis suae, sine quo tamen non potest evitari peccatum originale. Alii vocant hoc substractionem & privationem imaginis quae tamen intelligenda est, ut dicemus *thesi* 4. Neque enim actio realis & positiva hic intercedit, sed tantum non actio, seu cessatio ab actu. Postremus autem hic actus Dei seu potius cessatio ab actu, est opus justitiae punientis propter reatum primi peccati omnibus communem. Et respectu hujus providentiae divinae momenti peccatum originale per extrinsecam denominationem vocatur poena, quamvis intrinsece, & sua natura sit peccatum; haut aliter ac peccata nonnulla actualia dicuntur poenae aliorum peccatorum, & Deus dicitur indurare, in mentem reprobam tradere, pervertere, seducere, efficaciam erroris immittere. Distinguitur enim privatio Dei privans, induratio indurans, excoecatio excoecans, &c. hoc est Dei providentia propter peccatum hominum, *peccatum permittens*, *gratiam non* [pag. 1098] *suppeditans*, *media & auxilia quaedam subtrahens*, *Satanae & improbis frena laxans*, *adhaec peccatum illud positive ordinans*, *dirigens, ac convertens in bonum*, h. e. *malo illo tanquam occasione & quasi materia bonum aliquod sive justitiae sive misericordiae educens & producens*, ab ipsa coecitate, duritie hominis seu induratione indurata, &c. Illud enim est pulcherrima providentia & justa poena à Deo autore, hoc vero est turpissima macula & injusta culpa solius hominis, tanquam subjecti & tanquam causae. Deus enim ejus nullo modo est author, sed tantum antecedentium illorum, quae modo diximus, ad quae sequitur peccatum necessitate consequentiae. Pluribus haec persequi argustia Thesium non patitur. Interim videri possunt de peccato, poena peccati, Scholastici *ad.* 1. 2. *qu.* 27. *art.* 3. & ex iis *Becanus part.* 2. *theol. scholastic. tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 8. *qu.* 4. Ex nostris *Rivetus in Hoseam p.* 149. *Twissus contra Arminium, Makkovius in Colleg. Disputat. anno* 1625. Ipse *Arminius* pleraque nostra proposuit, *in Disput. de Provident. Dei in malo.* Et *Vorstius in Apolog. contra Jesuitas Monasterienses.* Conf. *Disp. de Usibus peccati per accidens.* Si quis porro variantes de propagatione opiniones, earumque examen videre desiderat, is adeat sententiarios in 2 *dist.* 31. *& Thomam in* 1. 2. *qu.* 81. cum commentator. Eundum *in quaest. disp. de peccato originali qu* 4. *art.* 3. *Viguer. in Instit. c.* 18. *Bellermin lib.* 4. *de amiss. grat. c.* 11. 12. cum Antagonistis imprimis *Amesius in Bellarmino Enervato*, & *Chamier. Becan. Theolog. Scholast. p.* 2. *tom.* 1. *tr.* 2. *Meisner. Philosoph. Sobr. Molinaei disput. de peccat. Originali, & anat. Armin. c.* 10. aliosque authores passim his Thesibus citatos. Consect. 1. *Hinc constat absurdè disputari de propagatione peccati per corpus, aut per animam. Cum per neutrum propagetur: neque enim vel ad momentum exstitit unquam hominis generandi anima aut corpus complete organicum seorsim ante & extra compositum.* Consect. 2. *Nec satis feliciter distingui triplicia tempora, seu momenta, quibus corruptio hujus peccati hominem inficit; scil. conceptionis, formationis, nativitatis. Cum non inficiat nec inhaereat aut inexistat ante illud naturae & temporis momentum, quo generatio peragitur, & homo dicitur genitus.* Consectar. 3. *Rejicimus nugamentum illud Thalmudicum, de concupiscentia subrepente in nativitate & non in plasmatione; quia alioquin infans streperet.* Refert *Paulus Ricius*

Ricius conversus Judaeus *in epitome doctrinae Thalmudicae p.* 264. ex edit. Pistorii cum illis scriptoribus Cabalisticis, in fol.

Et haec ad quaestionem priorem: ad posteriorem respondemus istis conclusionibus. I. *Concl.* Deum aut per creationem & infusionem immediatam animae, aut per concursum cum generatione hominis, qua homo generat hominem, non esse causam per se aut proprie dictam peccati originalis qua talis, aut principalem, aut meritoriam, aut instrumentalem: Vel sic, Deum nec ut creatorem per primam hominis creationem; nec ut [pag. 1099] gubernatorem per providentiam aut circa primum peccatum Adami, aut circa generationem e. g. Titii, esse ullâ ratione originalis peccati, qua peccati causam per se aut propriè dictam: quamvis ut gubernator & justus judex sit causa poenae istius seu poenalis & justae substractionis, qua subtrahit, id est non confert & comproducit imaginem suam cum confert & producit animam humanam (quod alioquin fecit in generatione Christi hominis) sit etiam causa omnium aliorum antecedentium peccati originalis conjugii sc. productionis animae humanae & totius compositi, ad quae necessario sequitur & existit in homine quovis peccatum originale. Subtractio, de qua loquimur, consistit non in actu positivo sed formaliter in defectu seu deficientia negativa, & propriè in non datione imaginis seu doni dirigentis, perficientis & modificantis mentem & voluntatem; quod bonum alioquin absolutè dare posset, quodque ex lege & instituto primae creationis semper dedisset: Non enim in supposito suo antea Titius, aut anima Titii habuit innocentiam & imaginem Dei, quam Deus per corpus & unionem cum corpore postea auferret; sed ablatio tantum dicitur respectu ejus doni imaginis quod habuit in Adamo ratione communis naturae, tanquam in communi radice naturali & foederali in quâ naturaliter & moraliter seu foederaliter exstitisse & reputatus esse intelligitur & quod habuisset ad exemplum Adami in se ipso seu in *supposito* suo in & cum primo generationis suae momento, aeque ac habet naturam & essentialia hominis, simulac genitum est compositum humanum (uti habuerunt illud Adamus, Eva, Christus) nisi peccatum primum protoplastōn intercessisset, & reatum Titio imposuisset,propter quem justè hoc eximio dabili & alioquin dando dono deprivatus est. II. *Concl.* Conjugium & conjunctionem conjugalem, aut generationem hominis, aut parentes generantes, aut semen, aut corpus, non esse causam per se aut proprie dictam sive principalem, sive instrumentalem: sed esse causam per accidens, hoc est propriè antecedens, ad quod necessario necessitate consequentiae sequitur peccatum originale, seu esse medium aut causam sine qua non traduceretur ad Titium, aut in illo existeret. Quia enim per illa producitur subjectum peccati, Titius scil. (sine quo non est peccatum Titii) vulgo sed improprie) generatio qui simulac est, sine morbo illo (posito nunc lapsu Adami) non erit: hinc generatio ordinaria ex semine humano dicitur causa, medium, instrumentum propagationis & productionis peccati; quod de causa sine qua non seu per accidens propriè intelligendum est. Porro ut ex omnibus antecedentibus necessariis desumuntur signa necessaria & τεκμήρια quae necessarium sunt argumentum, & ratio consequentiae & cognoscendi; nec tamen pura antecedentia sunt causa existentia seu essendi [pag. 1100] per se: sic etiam ex ordinaria generatione humana, & ortu hominis per illam infallibiliter concludimus, hominem illum esse labe originali infectum, juxta illud Joh. 3. *Quod gentium est ex carne caro est.* Nec tamen dicendum generatione, aut materiam aut instrumenta, aut

causas

causas generationis esse causas directe & per se peccatum imprimentes. Nam alioquin sequeretur Manichaicum illud delirium, Conjugium, & actum conjugalem esse malum, consequenter generationem Hominis. Quod enim per se & ex se est causa & medium peccati, illud ipsum est malum & illicitum, & consequenter vitandum: Sed conjugium & actus conjugalis est tale; ergo. Et hinc sequeretur Deum naturae & conjugii autorem, & causam primam generationis, in causas generationis secundas, & in effectum juxta communem legem concursus influentem, esse authorem mali: juxta vulgatam regulam, quod est causa causae est causa causati. Atqui haec omnia absurda. Atque hanc cautelam in explicatione propagationis (quam accuratè semper adhiberi velim) invenio nunc vidisse longe eruditiss. Theol. *Martyr. in loc. comm. p.* 137. *& Calvin. cum Danaeo loc.* infra *cit.* ubi exsertè negant generationem esse causam per se. Quod ab aliis plerisque theologis ita notatum non memini: quamvis notari hoc necesse sit, ne incauti in semi- manichaicos conceptus incidant. I. Consect. *Nimis crasse loquitur* Lombardus lib. 2. dist. 31. *post eum* Gregorius, Henricus, Driedo; *dum statuunt corpus Adami post lapsus contraxisse contagium, quod non solum fuerit in carne ejus, sed & in semine. atque hinc fieri, ut omnes posteri contrahant eandem qualitatem in carne, ex quâ similis qualitas derivatur in animam, idque in puncto conceptionis.* Quam opinionem meritò refutant *recentiores ad* 1. 2. *qu.* 82. *artic.* 1. Et inter eos Greg. de Valent. loc. cit. & Bec. Theol. Schol. part. 2. tom. 1. tr. 2. c. 9. qu. 4. II. Consectar. *Falluntur etiam qui quacunque ratione corpori aut corporeis partibus ac qualitatibus traductionem, & impressionem peccati adscribunt. Inter quos sunt illi, qui opinantur animam puram & innocentem in corpus impurum, ab impuris parentibus derivatum infundi & detrudi, atque ab eo infici, haut aliter ac vinum aurum à vase impuro. Refert hunc modum* Augustin. lib. 5. c. Julian. 3. *probat eum* Lothar. Diacon. *postea* Papa Innocentius III. lib. I. de contemptu Mundi c. 3. Gers. in compendio th. de vitiis natur. *Ex nostris* Wittak. l. 1. de pecc. orig. c. 8. Polanus lib. 6. syntag. cap. 3 *quamvis postea explicet de semine ut instrumento traductionis. Ut &* Altingius *mox infra citandus. Ante illos* Beza in epist. *& cum eo* Grynaeus disp. theol. part. 2. p. 437. qui ib. p. 445. Bezae epistol: *inseruit.* Et Mart. in loc. com. p. 136. Sed Ref. 1. *quia* absurdum est & inexplicabile & omni sanae philosophiae repugnans, si dicatur spiritus (qualis est anima rationalis) affici, infici, & corrumpi à rebus corporeis. *Videtur haec opinio accedere ad commentum illud Pontificiorum de* [pag. 1101] *passione animae per ignem corporeum, & de passione daemonum per res corporeas. Quod tangimus in* dispp. de Daemonibus, de Spectris, de Exorcismis, *ubi vid.* 2. quia, *praesupponit animam aliquo tempore aut saltem aliquo momento praeexistere puram antequam labe originali infecta sit. Quod absurdum & Platonico ac Cabalistico delirio (supra notato, ad finem.* 3. quia, *praesupponit animam humanam aliquo tempore, aut saltem momento praeexistere ante unionem cum corpore, & ante compositum. Quod absurdum, & philosophiae repugnans. Vide* scholasticos, & disp. nostram de Creat. *Videbat hoc judiciosus theologus* Zachar. Ursinus, *qui eum* in disp. de peccato (*quae habetur in* volum. tract. theologicar.) p. 204. *ad objectionem ex sententia hac respondisset, corpus ex parentibus ortum peccati reum eoque infectum animam etiam corrumpere; aliam responsionem mox subjicit priori diffidens, immo eam satis refutans. Verba ejus* thesi ultima *exhibemus: ubi vide. Conferantur rationes eorum, qui commentum Platonico- Cabalisticum Originis,*

quod

quod animas demittit in corpora tanquam in loca supplicii, confutant: quales ex veteribus Cyrill. Alexanda. 1. in Joh. cap. 9. Epiph. epist. ad. Joh. Hierosolymit. August. epist. 28. *ex recentioribus* Bellarmin. lib. 4. de grat. & statu peccati c. 11. — 4. quia, *ex praestantioribus theologis aliqui accuratius hac re perpensa exserte modum hunc refutant & rejiciunt: inter quos* Danaeus. p. 43. Isagog. c. 18. & 19. Ursinus modo cit. Andr. Rivetus in disp. 15 thesi 15. in synopsi Theol. D. profess. Leidens. 5. quia *autores hujus opinionis non satis distincte se & opinionem suam explicant, An semen sit subjectum inhaerens peccati originalis istius individui e. g. Titii cum esset in corpore patris & matris, an vero cum esset decisum & quidem ad conceptionem, an v. cum inde embryo formari coeptus esset. Rursum, An corpus Titii jam formatum instanti ante animationem sit subjectum ejusdem generis cum semine unde corpus ipsis formatum; An & quomodo semem illud sit aut fiat subjectum individui istius peccati originalis e. g. Titii, & simul instrumentum, seu causa per se & directe producens? Et sit instrumentum an ante decisionem an post decisionem ad conceptum; ac post ichoatam embryonis formationem, an post absolutam; an post animationem foetus corpus sit demum fiat instrumentum traductionis in animam. Quod si per omnia illa momenta, & omnes illos (ita loquar) stationes, sit non tantum subjectum inhaesionis, sed & causa instrumentalis traductionis, atque adeo peccatum in se contineat & formaliter & virtualiter; explicandum esset an ejusdem modi & generis continentia à primo ad ultimum hic statuenda sit, nec ne? Necesse est in terminis his sibi constent: alioquin difficultates non evolvit. Video enim eos, ut & opiniones tertiae (quam mox* consectar. 4. *notabimus) sectatores in processu defensionis variare, & modo absolute subjectum modo subjectum quasi remotum & materiam transeuntem peccati, modo causam potius sive materialem sive efficientem appellare.* III. Consectar. *Nec accurate satis loquuntur, qui temperamento corporis* atque adeo sensualitati tanquam causae trahenti animum deorsum & propter absentiam justitiae originalis *necessario* [pag. 1102] *hoc agenti, seu tanquam allicio & sollicitationi peccati originalis ortum aut incrementum adscribunt. Hoc enim est obscurum per multo magis obscurum, & partim incertum, partim falsum, explicare. Hunc modum habent* Alensis, Bonaventura, *& nonnulli ex nostris. Quod animi mores falso, aut periculosè, aut saltem indistincte dicantur sequi temperamentum corporis notavimus in* disp. de creatione. *Velim etiam ab istius sententiae fautoribus explicari, quomodo temperamentum corporis dispositum sit & animam disponat, inclinet, ac pertrahat ad spiritualia & subtiliter magis peccata e. gr. mendacium, perjurium, haeresin, magiam, superbiam, invidiam, atheismum &c.* IV. Consect. *Non tollit difficultatem modus ille, quem tanquam communem defendit* Baronius *professor Aberdonensis in Scotia,* in Philosoph. ancillante exerc. 2. a. 6. *& ante ipsum tanquam peculiarem quendam & quasi novè excogitatum aut interpolatum indicarat* Keckermannus lib. 2. syst. theolog. c. 17. *Eundem modum defendit* Altingius in problematis theologic. *statui inde à primordio conceptionis inhaerere in semine & embryone, sed inchoative, dispositivum materialiter. Nec dissentit.* Kelletus lib. I. miscel. theologic. *(Anglice scriptorum)* cap. 6. *Quasi infectio spiritualis esset in semine, quae non sit actu seu formaliter peccatum, sed virtualiter: quomodo infectio in semine leprosi non est lepra vel morbus formaliter, sed solum virtualiter. Cum hoc convenit fere explicatio* Zegedini in loc. commun. p. 236. Thomae in qu. disp. de originali qu. 4. art. 4. & in 1. 2. qu. 83. & 3. art.

3. art. 1. *ejusque commentatorum*, Cajetani, Valentia. loc. cit. *Verba Alagona in compendio Thomae* 1. 2. *qu.* 83. *haec sunt:* peccatum originale, ut in prima causa est in Adam; ut in causa instrumentali est in semine corporali, non in carne; ut in subjecto, quia caro non est capax culpae, nisi ratione poenae, est in anima. *Addit* Valentia loc. cit. *corpus semen & rem semi-natam non infici subjective qualitate prava, sed tantum dici inquinari causaliter* (*dispositive ait* Stapletonus) *quatenus sunt instrumenta quaedam quibus culpa Adae ad posteros ordinario modo generatos derivatur. Modum hunc authores explicare non valent, nisi aut praesupponant animam creatam existere puram & sanctam,* (*quod falsum, vid.* Fr. Jun. in Genes. 2.)*: aut saltem Physicam actionem corpori in animam tribuant, idque vel occulto Dei judicio*, ut Pareus contr. Bellarm. l. 4. de amiss. grat. c. 12. *vel per naturalem concomitantiam & communicationem quae est inter materiam & formam*, ut Estius in 2. dist. 31. a. 1. *vel per Dei ordinationem, quae statuit ut labes illa à capite Adamo in omnes flueret & derivaretur, idque per semen tanquam vehiculum.* Zanch. de statu peccati & legali lib. 1. cap. thes. 3. ad arg. 4. *ubi distinctionibus & cautelis adhibitis studet hanc sententiam contra exceptiones & rationes tueri. Et citat ibidem pro se* Calvinum lib. 2. Instit. cap. 1. §. 7. Idem de operib. creat. part. 3. l. 2. c. 5. *Sed refutatur haec opinio* 1. Quia, *actionem physicam corporis in animam, saltem nostri theologi, concedere* [pag. 1103] *non possunt, nisi una desinant oppugnare opiniones Pontificias de actione rerum corporalium, & ignis in daemonas atque animas damnatas, deque directa actione aquae baptismalis in animam baptizatorum.* 2. Quia, *praesupponitur semen esse subjectum infectionis seu peccati virtualiter. Atqui velim probari & explicari peccatum virtuale, ab actuali distinctum; & semen, aut corpus esse subjectum peccati, & non solum hominum* Zanchius loco cit. *ad difficultates huic suae opinioni objectas sic respondere conatur. Quod contagium & peccatum hoc primum sit in carne tanquam in radice, eoque per inchoationem seu inchoative &c. sed quando accessit anima, in ea illud perficitur atque magis accenditur, tanquam in materia seu subjectum accommodato. Quod similibus quibusdam ibi explicat.* Ref. *Explicatio quidem perspicua & ingeniosa, sed probatio nulla. Nam semper petitur principium, & hypotheses illae, de semine humano, & de embryone, subjecto peccati: de contagio corporaliter per corpus propagando: de infectione animae per corpus; quasi scil. peccatum esset substantia Flacci Illirici (haut aliter ac vapor foetidus aut venenatus in rebus corporeis); aut saltem realis positiva qualitas patibilis, in tertia specie qualitatis. Quae omnia nimis cruda sunt, quam ut à philosophico stomacho concoqui possint. Et posset haec opinio iisdem fere rationibus impugnari, quibus* Wittakerus lib. 1. de pecc. origin. cap. 8. *impugnat opinionem* Thomae 1. 2. q. 3. a. 1. *Sed pluribus hunc modum infra oppugnamus* thesi 3. V. consectar. *Nec explicant modum, aut ad posteriorem quaestionem* thesi 3. *distincte propositam quidquam respondent, qui dicunt modum propagationis esse generationem ex semine corruptibili terminatam ad suppositum humanum. Hic tantum ad quaestionem priorem* thesi 3. *propositam respondetur, & quidem non nisi ad ejus membrum prius: ita ut posterius membrum inexplicatum & indecisum maneat; & ne quidem generationis modus per animae traductionem ex parentibus excludatur. Ita ut si comparetur haec explicatio cum iis quae indecisa relinquuntur, sit mera explicatio τοῦ ὅτι, nulla vero διότι aut causalis: q. d. propagatur per generationem, cum homo generat hominem.* VI. consectar.

sectar. *Difficultatibus plerisque jam tactis subjecta manet opinio Vedelii in opusc. theologic. novis, ubi in quaest. controversiis de Deo & creatione pag.* 226. *sic loquitur:* quoad posteriorem partem (*scilicet positivam corruptionem totius naturae*) parentes mediante seu cooperante anima sua, quae vim generandi habet producunt corpus infantis & per illud inficiunt animam illius. Et sic ab anima parentum inficitur, ut a causa principali, à corpore ut causa instrumentali animae parentum. VII. consect. *Nec satisfacit distinctio* Alagona in compendio summae Thomae 1. 2. q. 83. art. 1. *Animae infusio, ut dicit ordinem ad Deum, non est causa peccati, sicut nec Deus; sed in ordine ad carnem, cum infunditur, sic. Item melius est ut sit corpore corrupto, quam non esse: maxime cum possit per gratiam mundari.* Ref. *haec opinio iisdem argumentis,* [pag. 1104] *quibus praecedentes,* quia *praesupponit carnem per se, & seorsim, absque anima esse subjectum corruptionis peccaminosae: Inde derivari in animam, & per prius infici essentiam animae, ac deinde potentias à corrupta carne.* Addimus *distinctionem ipsam infusionis animae in ordine ad Deum, & in ordine ad carnem, obscuritate &* ἀκυρολογίᾳ (*ne quid gravius dicam*) *laborare. Si enim recte dici potest, Deum infusione sua in ordine ad carnem, in quam animam refundit, esse causam peccati: quomodo pari ratione dici non possit Deum infusione & inpressione gratiae primae & secundae in hominem peccatorem aut imperfectum esse causam peccati, non quidem in ordine ad Deum, sed in ordine ad hominem, e. gr. Petrum, cui gratia imprimitur. Quod si nostri, in controversia de operum nostrorum & sanctificationis nostrae imperfectione in hac vita* (*de qua vide* Bezae *eximium* tract. & *post eum* Davenantii de Justificatione) *dixissent, Impressionem divinae gratiae seu spiritus s. esse causam peccati & defectus culpabilis, ut dicit ordinem ad hominem corruptum aut imperfectum, totaliter aut ex parte carnalem, cui gratia infunditur aut imprimitur non esse causam peccati. ut dicit ordinem ad Deum: an non clamarent Deum statui autorem peccati.* III. *Concl.* Animam patris producendo animam Titii, aut quacunque alia traduce, vel ex semine quodam spirituali & incorporeo sic (*Brightus in Physic. Scribonii*) non esse causam hujus peccati, ut voluerunt Luciferiani, & plerique doctorum Occidentalium, testi *Hieronym. ad Marcellin. & Anapsychiam:* quorum opinionem impugnat *epist. ad Pammach. contra Joh. Hierosolmit.* & *apolog.* 2. *in Ruffinum,* quamvis *Augustinus* fluctuet, ut constat ex *l.* 2. *retract. e.* 56. *& lib.* 10. *de Genes. ad literam* & *lib. de origine Animae.* Totum hoc inventum, quod ab hodiernis Lutheranis adoptari videtur nititur falsis illis hypothesibus. Generationem positam esse in productione formarum. Quod vide refutatum à Scholasticis, & recentioribus qui ex illis philosophantur, Animam esse adaequatum subjectum peccati. Quod quamvis *Wittakerus lib.* I. *c.* 8. contra Pontificios urgeat, recte tamen corrigitur à *Pareo in Rom.* 5. *v.* 12. *p.* 492. Et peccatum esse positivam qualitatem, aut corporeum quoddam contagium, quod prius sit in anima, inde in corpus transeat, & illi communicetur. Non produci, aut non posse produci animam humanam per immediatam Dei creationem. Quae omnia cum gratis praesupponantur, eadem facilitare negamus. Praeterquam quod nullam certam traducem explicare possint adversarii creationis animarum, quamvis in quinque sectas divisi, quinque modos excogitarint, quos omnes refutatos vide apud *Baron. loc. cit.* IV. *Concl.* Relinquitur ergo nullam aliam esse particularem, propriam & proximam causam efficientem (deficientem) peccati originalis, quam quemque hominem, in quo est peccatum originale, idque

 per

per peccatum suum in [pag. 1105] Adamo tanquam causam meritoriam; & per defectibilitatem suam, quae; quia obex à Deo ex justitia propter primum peccatum nullus ponitur, necessario & consequenter in defectum & pravam dispositionem desinit atque erumpit, simulac homo est homo. Destitutus enim destituit se, funditque ex se & in se ac manat (ita loqui liceat) una cum facultatibus & activis suis principiis hanc irrectitudinem, sicut sole lumen suum non ministrante, actu sunt tenebrae. Est ergo quisque sui individui peccati originalis & proximum principium & subjectum simul & author & possessor, sicuti homo suarum facultatum naturalium, & suorum habituum acquisitorum; Et ipse Adamus hujus morbi originalis in propria sua persona. Si quis ulteriorem causam quaerat, ea dari non magis debet aut potest, quam defectus seu lapsus Adami, cum mutabilitas ejus allegata est. Si quis ergo quaerentibus, quae sit intrinseca, proxima, physica & directa causa efficiens (seu potius deficiens), per quam labilitas Adami ad actualem lapsum promota sit, & per quam mutabilitas ejusdem de justitia in injustitiam devenerit, primumque actualem motum peccaminosum seu primam actualum ἀνομίαν produxerit, aut producere facta sit; accuratè & in terminis respondere queat, sic ut sibi & aliis satisfaciat: ille etiam pari ratione sciscitantibus de causa proxima, physica, directa, per quam primo ingeneretur & in quoque homine actu resultet & existat peccatum originale inhaerens, respondebit & satisfaciet. Sin supra illud quale nos jam attulimus in explicanda origine peccati inhaerentis, ascendere se posse negabit in explicanda origine & causa prima intrinseca, physica, directa primi peccati τῶν protoplasion, & consequenter doctam ignorantiam fateri malet, quam absurdis αἰτιλογίαις & ἀλόγοις λόγοις suum lectorumque ingenium implicare: utique nos absurdis quaestionibus ultra obtundere, & minus certa ac solida elicere desinat. Quicunque hic enim ulterius quaerunt, illi absurdè videntur, fingere & imaginari. I. Esse realem & positivam causam per se, quae reali actione causalitate peccatum hoc producat. 2. Et consequenter causalitatem, propagationem, & communicationem hic esse positivam & physicam; non privativam & moralem. 3. Peccatum transfusum esse quasi liquorem, aut qualitatem patibilem, atque adeo traduci sicut calor ab igni in lignum, aut odor ex flore aut aromate in manum aut vestes &c. traducitur. Cum potius concipi debeat ad eum fere modum, quo circa participationem jurium & dominiorum (quam proles acciperet in primo conceptionis seu nativitatis instanti (ex vi contractus paterni, qui ante multos annos initus esset) ex opposito concipitur privatio aliqua privilegiorum, item paupertas, ignominia familiae propter crimen genitoris imposita. Explica, quaeso, quomodo illa propagetur, [pag. 1106] traducatur, & explicueris analogice propagationem peccati: de quâ quidquid hic nobis maneat ἀκατάληπτον, cum Augustino concludimus lib. 2. de Nupt. & concupisc. cap. 22. cum Julianus Pelagianus quaereret, *per quam latentem rimam intrasset: Quid quaeris*, inquit, *latinam rimam, cum habeas apertam januam? Per unum hominem, ait Apostolus, peccatum intravit in mundum.* Et lib. 5. de moribus Eccles. c. 21. ubi fatetur, *nihil esse notius quam peccatum originale traduci, nihil obscurius quam quomodo traducatur.* Et cum Wittakero lib. 1. de peccato originali c. 8. *& quemadmodum ab Adamo ad posteros propagatum fuerit, magis credi debet, quam quaeri, & quaeri facilius quam intelligi potest, & melius intelligitur quam explicatur.* Dixi quod potui in quaestione tam obscurâ & tam vexata, ut objectioni adversariorum perspicue & solide

lide

lide satisfieri possit quae haec est: Si peccatum ex parentibus in posteros propagatur, aut per animam propagatur, aut per corpus. Non per animam: quia tum ex corrupta anima parentum, aut ex semine corrupto per traducem eam propagari necesse esset; aut anima peccato infecta à Deo crearetur, & corpori uniretur: atqui utrumque absurdum. Non per corpus: quia tum corpus aut semen peccati subjectum esset & corpus infectum inficeret animam, antea puram simulac ei uniretur Quae omnia sunt absurda & inexplicabilia. Et fuit hoc olim praecipuum Pelagi & sectatorum argumentum, ut etiam Pighii, & hodiernorum Pelagianorum. *Et revera*, inquit Zanchius loc. cit. ad 9. arg. *non est de nihilo*. Si quis plura & meliora aut magis expedita ad rei hujus illustrationem nobis adferat, utique gratias illi agemus. Ne tamen, ut cavillatorum hodie magnus proventus, suspicione gravemur, quasi novas & vanas curiositates immo & heterodoxias sectari voluerimus, circumspexi more meo post primam hujus disp. editionem, quosnam theologos hac in parte suffragatores laudare possem, ut hac nube testium secundam editionem exornarem. Et ecce obtulerunt se, Ursinus in tract. theologic. p. 204.*Sed etiamsi obtinere totam Minorem possent, tamen alia est responsio ad Majorem sufficiens, ut neque de traduce, neque de modo propagationis peccati originalis anxiè disputare sit necesse. Etsi enim animas singulorum hominum cum vivere incipiunt, à Deo creari concedamus: tamen non est fingendum, esse aliquandiu animas, antequam corporibus inferantur. Simul enim & creantur, & uniuntur corpori; sicut dicitur*, Inspiravit in faciem ejus spiritum vitae. *Sicut aut corporum etiam substantia, quamvis ex parentum substantia sumiter, tamen à Deo creari, hoc est, formari recte dicitur, & hominem pariter à Diabolorum peccantium substantiae à Deo conservantur, neque tamen propterea Deus peccati aut malitiae ipsorum autor vel conservator existit: ita & animarum substantium & naturales facultates, Deus simul & creat, & privat donis suis, quae* [pag 1107] *Adamo ea conditione dederat, ut etiam posteris ipsius daret, si ipse illa retineret, non autem daret, si ipse sua ingratitudine illa abjiceret: anima vero spiritu & luce divina destituta, etsi ad appetitiones & operationes inclinata est, tamen coeca est, & non ad tales appetitiones & actiones, quales lex Dei requirit inclinata: Atque hac ratione inclinationes rectitudine sua spoliatae, sua sponte existunt malae, & cum lege divina pugnant. Defectus autem illi in mente & voluntate, & corde primorum parentum, quatenus à Deo infliguntur ipsis & ipsorum posteris justae sunt peccati à parentibus & à sobole in parentibus admissi, poenae: inclinationes autem his defectibus vitiatae, & ipsi defectus, quia faciunt ut homo divinae legi neque sit conformis, neque possit esse, quatenus ab hominibus, & sibi & soboli, peccando attrahuntur, & ab ipsis, & à sobole recipiuntur, & utrisque existunt, peccata sunt. Summa igitur est, quod à Deo creantur, & tanquam pars sobolis parentum peccatum, privatione justitiae puniuntur animae: atque simul dum ista fiunt, primorum parentum culpa corrumpantur, & peccato contaminantur, qui hanc privationem sibi & posteris peccato suo attraxerant, juxta dictum:* Unius transgressione multi sunt mortui. *Item*: Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. *Hoc membrum divisionis cum in majore omissum sit, nulla est argumenti consecutio.* Danaeus 3. parte Isagog. c. 18. & 19. de quo imprimis gaudeo, quod exserte neget generationem esse causam, etiam quaestiones duas accurate distinguendas moneat. Sic ergo ille c. 19. p. 151. *Alii denique aliud comminiscuntur, ut modum hunc explicent. Verum hoc ex parte*

jam

jam à nobis explicatum est: Modus enim istius propagationis est ab illius causa prorsus separandus. Est enim alia quaestio, quae sit causa istius propagationis: alia quis sit ejus modus. Causa febris est abundantia bilis flavae, Modus conciliandae fuit vel potus nimius, vigiliae nimiae. De causa, eam esse justam Dei de peccato primi hominis ordinationem ac legem. Modus igitur restat exponendus, etsi jam ex parte, ecquis sit, superiore capite diximus. Est autem propagatio hominis ex homine quae fit ex ea lege naturae, qua unumquodque pocreat sibi simile. Sit ex equo equus: ex bove bos proseminatur: ex serpente serpens: ex vipera vipera nascitur, idque naturali lege, ex nobili nobilia, ex ignobili ignobilia, Ergo ex homine & eo quidem corrupto homo & ipse corruptus quoque procreetur necesse est, uti ex venenato serpente serpens venenatus, ex Elephantiaco, seu lebroso patre filius lebrosus. Quae ratio propagationis nihil habet obscurum, aut difficile. Quamobrem lege nascendi ex parentibus peccatoribus, liberi peccatores fiunt. Atque hic est modus propagandi Originalis peccati, sed uti dixi, non causa, quoniam homo sit, necesse est, qui hoc peccato inficitur: ergo ex homine nascatur oportet. Quare modus propagandi istius peccati ex procreatio hominis ex homine: Causa vero, quia sub lege, ac poena à Deo imposita Adami peccato nascitur. Verum quaeritur, quum anima humana à Deo creetur, [pag. 1108] *ac proinde pura, ex Anima vero patris anima filii non traducatur, quomodo peccatum in ea inhaerere, & inesse possit, quae pura est neque ex traduce animae jam pollutae procreatur. Respondeo vero id fieri ex justa Dei ordinatione punientis peccatum Adami non in ipso solum Adamo: sed etiam in omnibus, & singulis ejus posteris. Sic quum quispiam propter crimen laesae Majestatis à se commissum, ex nobili sit ignobilis, omnes ejus posteri eandem ignobilitatem velut paterni criminis poenam ferunt, fiuntque ac nascuntur & ipsi ignobiles. Ergo polluta est filiorum anima, & in ea peccatum inest eodem temporis momento, quo creatur à Deo, non postea: Neque tamen illa, quatenus est res, & essentia a Deo de novo creata, polluta est: Sed quatenus est in humana specie Individuum, justa lege Dei & ordinatione huic poenae obnoxium nascens.* Et cap. 18. pag. 150. *Caeterum hujus peccati, uti caeterarum rerum, sunt quatuor principales causae, nimirum hae, efficiens. Est autem ex parte hominis, illa primi hominis infidelitas, & rebellio libera. Item materia seu subjectum. Est autem hominis anima, seu facultates. Anima enim proprie est peccati Originalis sedes. Forma peccati originalis est depravatio totius humanae naturae: nempe tenebrae in mente: & ἀταξία rebellioque in voluntate hominis. Unde reatus sequitur in nobis ipsis coram Deo: & fomes perennis, sive fons peccandi: & peccata ipsa actualia, quae tria sunt istius peccati justissima effecta,* Ibid. paulo post: *Denique peccati originalis efficiens causa ex parte Dei est justa ipsius ordinatio, non ipsa naturalis vis gignendi, quae est in nobis à Deo & illius Dei benedictionis,* Crescite &c. *effectum. Sic quoque August. Modus propagandi illud ad posteros, est generatio quidem & procreatio, per quam homines ex hominibus nascatur lege naturae, sed eadem generatio non est propagationis istius causa. Calvinus in commentar. in Genes. cap.* 3. *vers.* 6. exserte negat peccatum hoc naturaliter propagari. Quod non de modo naturali sed de causa naturali accipiendum, quomodo se explicat lib. 2. Institut. cap. 1 sect. 7. *Nihil ergo absurdi, si spoliato eo, natura nuda inopsque destituitur: si illo per peccatum inquinato, in naturam contagio serpit.* Et paulo post. *Neque enim in substantia carnis aut animae causam habet contagio: sed quia à Deo ita fuit ordinatum, ut quae primo homini dona contulerat, ille tam sibi*

quam

quam suis haberet simul ac perderet. Et sic Calvinum explicat Altingius in Exegesi confess. Augustanae art. 2. p. 18. *Primo igitur ex divisionis fallacia calumniam struunt adversarii: inde quoque ex ambiguitate vocabuli* naturaliter. *Quod ipsi de modo naturali accipiunt; Calvinus vero de causa interpretatur in hunc sensum: peccatum Adae omnibus ejus posteris imputatur, & corrupto naturae exinde contracta in omnes generando propagatur; id non sit naturaliter, h. e. ejus prima ac propria causa non est natura, sive animae corporisque substantia, sed id omne ex Dei ordinatione pendet: qui sicuti totam humani generis naturam in uno homine ornaverat praestantissimis dotibus: ita in eodem ipsam iis nudavit ac orbavit.* [pag. 1109] Rollocus loco supra cit. *thesi* 1. Ubi verba ejus vide. Et adde p. 156. ubi modum propagationis per contagium corporis tanquam probabilem sic explicat *Deus eodem momento, quo animam creat & infundit, justo suo judicio eam deserit, permittitque corpori corrumpendam: Ergo eodem momento & temporis puncto anima creatur, infunditur, deseritur à Deo, corrumpitur à corpore.* Et mox proposito alio modo, qui est per culpam Adami *per quam tanquam per portam transmisit in omnes posteros suos quidquid fuit in ipso mali*, subjicit, *Quaeres, unde sit ista efficacia primi illius peccati, ad propagandum peccatum in omnes & singulos Adami posteros.* Resp. *Efficaciam illius peccati ex verbo & foedere quodam Dei esse, quod in prima creatione pepigit cum Adamo, his quasi conceptis verbis: Quod si steterit homo in ea innocentia, in qua creatus est stabit sibi & suis: sin minus steterit, sed lapsus fuerit, labetur sibi & suis: & quodcunque malum in ipso est, id omne transmittet in posteros suos. Atque hic modus postremus propagationis peccati originalis, cum nitatur authoritate & verbis Apostoli, nobis magis arridet, & moderatis ingeniis omnibus debet satisfacere:* Tilenus in syntagm. part 1. c. 56. thesi 26. 27. 28. 29. 31. *Hanc corporis in spiritum actionem, cum natura respuere videatur, recte in Dei potentissimam justitiam & justissimam potentiam referimus, hoc malo poenae ulciscentis malum illud culpae, quo primus parens noster, spiritum carni subigendum ultro prostituit, & hoc pacto in necessitatem peccandi, & se, & posteros suos omnes conjecit. Est ergo anima pura quidem, quae a Deo conditur: sed tamen jam tum rea debiti illius in primo parente contracti, & ab haeredibus ejus dissolvendi: At qua carni hypostatice unitur, hominemque constituit; non modo reatum, sed etiam culpam habet: quippe ncn integram Dei, quam debebat, sed corruptam Adami imaginem & similitudinem gerens,* Gen. 5. 3. Vide disput. nostram de origine animae. *Extra hunc Adami lapsum, aliam portam, rimamve quaerere per quam irruperit hoe malum in genus humanum; hominum est in clarissima Scripturae luce caecutientium,* Rom. 5. 15. *Libidinis fervor in usu conjugii, etsi* δυσχώριστον *perperam tamen à quibusdam pro alveo, tubulove statuitur, per quem haec pestis à parentibus in liberos derivatur; cum neque* οὐσιώδης *sit hic pruritus* τῇ τεκνογονίᾳ, *neque caritura sit naturae illa lue proles sine libidine genita: quippe in Adamo lapsa, & rea. Igitur ipsa generatio, &* σπερματισμὸς, *modus est, quo in homines promanat hoc malum; qui & uno hoc modo ab Adamo pendent. Hermannus Ravenspergerus in disp.* cui tit. *Adamus miser. thesi* 34. sententiam Tileni prolatis ipsius verbis, approbat. Rivetus in disp. de peccato habita Leidae 1621. May. 25. Resp. Jac. Fontano thesi 16. *Modus autem quo propagatur peccatum originis; nec est per imitationem, ut volebant Pelagiani,* [pag. 1110] *nec per animam tantum, nec per corpus tantum, nec per semen, ut alii, sed primo momento Conjunctionis*

onis animae cum Corpore, ut fit homo, fit filius hominis; ac proinde peccato & poena obnoxius, cum propter Adami peccatum à Deo deseratur justè, & sine originale justitia nascatur, secundum illud, quo die comederis morte morieris. Molinaeus in anatome cap. 10. post refutatam propagationem per semen & corpus, aut per animam de anima satam tanquam lumen de lumine, tandem §. 17. p. 52. concludit: *His positis dico Deum creare animas hominum bonas, sed destitutas donis coelestibus & luce supernaturali, idque merito, quia dona quae Adam sibi & posteris acceperat, sibi & posteris amisit. Non dare autem lucem supernaturalem menti, non est indere peccatum voluntati, etsi caecitatem mentis aversio voluntatis postea consequatur. Nam voluntas destituta hac luce & cognitione bonorum supernaturalium non potest se movere ad ignota, sed tantum ad praesentia & nota, qualia sunt voluptates corporis, opes &c. Quae quidem cum naturaliter bona sint, avertunt tamen voluntatem à studio rerum supernaturalium. Tum amor nostri, qui naturaliter bonus est & necessarius, incipit esse moraliter malus, quia locum, qui debebatur amori Dei, invadit. Hinc propensio illa ad malum, quae existit ex inordinato amore sui ipsius, quem lux supernaturalis non dirigit. Quam lucem Deus non dans animae, idcirco ei indit peccatum. Amesius lib.* 1. *medullae cap.* 17. *thesi.* 6. 7. 8. Verba non exscribimus, quia autor in omnium manibus est. *Scharpius in cursu theologico tom.* 1. in loco *de peccato p.* 245. plane nobiscum sentit. Verba nimis multa sunt, quam ut hic describantur, & liber satis obvius. Maccovius *in disp. de locor. comm. part.* 2. *disp.* 14. Et in disp. post editos loc. comm. habita, de modo propagat. peccati originalis R. Nicol. Arnoldo Polono an. 1643. Ubi sic thesi 22. *Atque hinc jam manifestum evadit quomodo originale inhaerens peccatum transit in posteros Adae ex illo naturaliter propagatos, nam postquam Deus imputat, quia peccato huic inter alia debebatur mors spiritualis, quod est hoc peccatum, ut diximus, plectit Deus morte hâc posteros istos. Hinc non male respondet Catechetes dum quaerit: An peccatum originale transeat in posteros per corpus an per animam? datur inquit tertium, nim. per Adae culpam.* Imprimis in scriptis posthumis, in Anti Socino p. 77. 1. *Deus efficit subtrahendo gratiam ab ipsa natura, subtracta autem gratia res in nihilum abit, & hoc factum est an privatione imaginis divinae.* 2. *Efficit subtrahendo vim suam conservantem, non à natura, sed à qualitatibus naturae. Verbi gratiâ, istis quae ad bonum ferri debebant, subtrahit gratiam, non ut qualitates non sint, sed in eo ne bene sint. Nam ne pravitas quidem naturae nostrae, quae videtur positivum esse aliquid, est aliquid positivum, defectus enim est. Ita ergo in peccato originali inhaerente non egit nisi subtrahendo; subtraxit autem juste, quia merito subtraxit propter peccatum Adae imputatum. Sed nondum difficultas videtur expedita. Nam ista videntur adhuc posse objici.* [pag. 1111] Alstedius in quaestionibus theologic. c. 18. qu. 25. p. 128. Quomodo peccatum originis propagetur? *Justa Dei imputatione, & ordinaria lege generationis. Cum primum enim anima rationalis infunditur corpori à parentibus tracto, existit persona rea in Adamo, cui Deus negat gratiam suam atque ita ob primaevam, apostasiam existit in homine corruptio.* Matthias Martinius in Methodo Theologiae, in notis ad lib. 3. cap. 19. p. 412. *Peccatum autem originis propagari scio a parentibus justo Dei judicio, qui ut Adami & Evae animas, quae in puritate creatae erant, destituit sapientia & justitia salutari post lapsum: ita etiam destituit eorum naturales posteros. Haec est poena, quam meriti sumus, quae peccatum est, quatenus nos meriti*

riti

riti sumus istam caecitatem & ἀδυναμίαν ad bonum, & quatenus ea adhuc delectamur, & sapientes ac justi videri volumus, quasi re bene gesta.

Caetera spinosiora in castra curiositatis ablego, vide eruditissimum Johannis Spinaei tractatum *de curiositate, inter eos, quos* de animi tranquillitate *scripsit.* Perkinsus in serie causar. salutis &c. cap. 12. p. 27. *Propagatur peccatum à parentibus in filios, vel quod anima corporis contagione, ut unguentum impuro vase afficitur; vel quia Deus animam, eodem momento quo est creata & infusa, deserit. Nam* Adamus, *imaginem Dei ut sibi & aliis accepit, ita sibi & aliis amisit.* Parkerus lib. 3. de descensu ad Inferos § 65. pag. 121. *Non igitur illa* Urbani (Metaphras. ps. 51.) *placent: Anima à Deo infusa corpori labefactato, taliter maculatur: sicut in vase non sincero vinum infusum, licet optimum inficitur, & acescit. Et in illa infusione, ipsa anima damnationis sententiam in se justam accipiens, culpam contrahit & reatum, & poenae perpetuae obligatur. Nec vero vera illa* Fausti Rhegiensis *sunt. Sola caro in Adamo peccavit, anima polluitur propter consensum corporis, cui infunditur. Ita enim se res habet. Ut fons loco coenoso erumpens, vitium habet, non ab aqua sola, nec terra sola, sed ab utraque: sic homo nec ab anima sola, nec à corpore solo, sed ab utroque peccatum propagatum recipit. sic* Magister sententiarum. *Ipsius carnalis concupiscentiae causa, nec est in anima sola, nec in carne sola, ex utraque enim fit. Quomodo etenim potest, corpus ut Adae solum posteros inficiat, cum non corpus sed anima ipsum Adamum primitus infecerit? Ad hoc illustrandum citat* Augustinum. *Non fuit corruptio corporis. quae aggravat animam, causa prima peccati, sed poena: nec corruptibilis caro animam peccatricè fecit, sed peccatrix anima, carnem corruptibilem fecit. At si peccatum propagatur per animam dices, tum non creatur à peccato pura: ita sequetur, Deum peccati autorem esse. Facilis huic & expedita responsio est. Deus non solum ut creator considerandus a nobis est, sed etiam ut judex. Creator est animae quo ad substantiam, cujus respectu, cum creatur, pura est. Judex est praeterea Deus, dum animam creat, quo ad hanc circumstantiam scilicet quod non anima simpliciter ei sit creanda, sed unius ex Adae filiis anima.* [pag. 1112] *Hoc respectu justum ei est, animam deserere, quoad suam imaginem in Adamo amissam: ex qua desertione sequitur carentia justitiae originalis, ex qua carentia peccatum ipsum originale propagatur.* Paulus Ferrius in scholastico orthodoxo cap. 20. p. 195. *Dico igitur non dari aliquam causam realem quae actione reali producat originale peccatum in parvulis. Ratio est, quia in formali conceptu peccatum illud non connotat entitatem aliquam realem, sed privationem, ut dictum est.* Et postea: *Ergo etiam impossibile talem privationem introduci per naturalem & physicam expulsionem: & ideo realem esse causam ejus traductionis. Moralis tamen datur, quae est vel generale peccatum, quo omnes in Adamo peccavimus, vel naturalis propagatio.* Et paulo post: *Unde quoque patet ipsum actuale peccatum, quo omnes peccavimus in eo, directe causare istud originale: generationem autem sive propagationem tantum applicative, substituendo nimirum subjectum, in quo peccatum illud commune producat suum effectum: quamvis vero jam multis annorum millibus transierit, non impedit quin producat effectum, moralis enim causa, non realis: moralem autem, dum producit effectum suum, existere non est necesse.* Et p. 197. *At nec in corpore aliquod vitium inesse negamus: concupiscentiam enim ipse sentimus in carne seu inferiori parte, quae sensualitas dicitur: de quo etiam tam multa D. Paulus, & praecipue*

cipue Rom. 7. *ubi loquitur de malo inhabitante in carne, & repugnante legi mentis. At illud vitium non esse positivam qualitatem diximus, sed est ipsa sensualitas quatenus nata est, & prona ad non obediendum rationi, sed concupiscendum contra rectam rationem: non ex aliqua insita qualitate eam indicante, sed ex carentia justitiae originalis, quae eam perfectae rationi subjiciebat.* Cloppenburgius in gangraenâ theolog. Anabaptist. disp. 4. thesi 12. Remonstrantes *Dimanationem seu propagationem mali explicant, (hactenus quidem non male) illa naturae conditione quam ex Adamo peccatores trahunt, quae privata bono gratiae & gloriae, non aliter quam posteros eodem bono privatis proseminare potest*, pag. 57. *versa*. Ex Pontificiis, Lotinus fere idem inculcat, nisi quod errorem de peccato originali ablato admiscet, commentar. in Ecclesiast. 12. 7. p. 489. *Sufficit attingi ab homine generante animae conjunctionem cum corpore, quod fecit & praeparavit, in ejusmodi vero genitum hominem cum natura ipsa subit statim originale peccatum toti naturae commune, tali generatione propagatae, posita vetere illa* DEI *lege, & pacto cum primo parente tanquam cum Actore, & Capite totius hominum deinceps generandorum universitatis, licet anima generantis careat peccato originali, à quo jam sit justificata.* Et sic fere *Bellarminus lib.* 4. *de amissione gratiae*, & ante eum Durandus ab 2. dist. 31. qu. 2. ubi rejiciunt modum propagationis per carnem & infectionem animae ex carne: & tandem quod ad summam rei nobiscum concludunt. Verba Durandi qui forte omnibus ad manum non est, hic exhibeo: *Nec aliter traducitur, nisi quia natura defectuosa traducitur ab eo, qui se & nos* [pag. 1113] *hujusmodi defectibus ex sua culpa subjecit.* Et post ad dist. 32. qu. 2. *Talis reatus, qui peccatum dici potest provenit in nobis a primo parente: ipsa tamen poena, quam incurrimus, est nobis a Deo.* Et paulo post: *peccatum originale, prout nominat reatum, non contrahitur ex hoc quod anima carni unitur absolute &c. sed contrahitur per hoc quod totum compositum ex anima & corpore traducitur modo, quo supra dictum est, ab eo qui peccavit.* Idem fere statuit *Scotus ad* 2. *dist.* 32. Partem verborum ejus exscripsit *Scharpius loc. cit.*

Addimus problemata quaedam huic controversiae affinia. I. *probl.* An si ita explicetur, utraque quaestio à Pontificiis uti nos nunc explicuimus & in genere utrimque statuatur pravitas seu corruptio naturae, quae sit formaliter privatio; aliqua remaneat realis controversia inter nos & ipsos. *R. Aff.* quia ipsi (saltem plerique) privationem illam constituunt in defectu doni per se supernaturalis (puta originalis justitiae), quo absente homo tamen habeat liberum arbitrium ad bonum & ad malum. Vide *Bellarmin. loc. cit. & Greg. de Valentia ad* 1. 2. *disp.* 6. *quaest.* 15. *puncto* 1. aliosque à duobus illis citatos. Et confer ex nostris *Wittakerum toto lib.* 2. praeterea positivam inclinationem seu propensionem ad malum, dicunt esse appetitus inferioris seu sensualitatis, &c. non voluntatis: quod nos *Neg.* Vide *Wittakerum lib.* 1. *à cap.* 1. *usque ad finem.* Insuper defectum justitiae originalis & destitutum appetitum sensitivum secundum se consideratos volunt habere rationem poenae tantum & non culpae; sed quod secundum extrinsecam denominationem quodammodo habeat rationem culpae, quatenus hic defectus refertur ad primum peccatum Adami, à quo per vitiatam originem producitur. Sic *Thomas* 1. 4. *qu.* 82. *art.* 4. *Viguerius in Instit. cap.* 18. §. 5. *vers.* 1. *fol.* 244. Quod nos non concedimus. Denique finitum dicunt esse adiaphorum quid & occasione peccati: sed proprie & formaliter non esse peccatum. II. *Probl.* Quid de sententia *Arminii* statuendum in *disp.* 31.

31. *thesi* 10. *R*. Quod si nihil aliud voluerit, quam quod nos supra diximus, & distinctionem illam admiserit circa τὸ privativum & positivum quam theologi nostri supra citati inculcant; utique cum illo non contendimus. Sin latuerit anguis ille Pelagianorum & Pontificiorum sub herba illa, & ad extenuandam peccati & corruptionis efficaciam, & liberi arbitrii vires ad bonum asserendas positivum hic impugnat, uti *Corvinus contra Molinaeum cap*. 8. *p*. 119. 120. assertio haec nobis suspecta est. III. *Probl.* An & quomodo Christus fuerit & non fuerit in Adamo. ita ut à peccato originali imputato & inhaerente immunis fuerit? *R*. Christum in Adamo fuisse physice secundum originem carnis suae *Actor*. 17. coll. cum. *Luc*. 3. *v*. 23. 38. statuimus contra Anabaptistas, & Weigelianos. Erat enim Adamus commune principium [pag. 1114] & radix humani generis, ex cujus lumbis omnes homines longa serie successive orti sunt: & inter eos David, ex quo per interjectos majores Christus *Matth*. 1. *v*. 1. *Actor*. 2. 30. cujus generatio fuit univoca, quamvis modus fuerit supernaturalis. *Negamus* tamen eum fuisse in Adamo moraliter & foederaliter secundum foederationem cum Adamo tanquam principio, radice, capite repraesentativo communi istius foederis à Deo initam. *Negamus* consequenter cum consortem, participem & confoederatum fuisse Adami sic considerati, & pacti foederaliter cum eodem & participantibus ipsius (ita loquar) initi; Quod à posteriori, ex ipso eventu & facto ἀναμαρτησίας *Hebr*. 7. 26. nobis innotescit, & ex antithetica comparatione Adami primi & secundi, ac confoederatorum membrorum utriusque ut & foederis operum seu antiqui, & gratiae seu novi, *Rom*. 5. & 1. *Corinth*. 15. *Negamus* denique Christo imputari debuisse, aut etiam potuisse reatum peccati Adami & consequenter pravitatem naturae in illum poenaliter traduci potuisse; quia non fuit in Adamo, nec quidquam illi cum eodem fuit commune, tanquam confoederato, membro & participi foederis Adamici, nec consideratus aut reputatus fuit in illo tanquam capite & radice foederali. Quis enim locus secundo Adamo & alteri capiti an oppositae radici foederali, mediatori novi foederis, in foedere antiquo aut in capite antiqui foederis. Atque hanc puto esse superiorem causam, ad quam ascendendum sit, cum quaeritur, quare Christus non fuerit obnoxius peccato, aeque ac alii homines? *Responde*, Quia ex justitia Dei non incurrit poenam illam, quam nos omnes incurrimus. Si quaeratur cur non incurrit? *R*. quia nec peccavit in Adamo, nec fuit in Adamo reputatus & consideratus quà capite & radice primi foederis, & consequenter non pervasit ad illum κρίμα & reatus primi peccati. Si quaeratur quare non fuit in Adamo sic considerato? *R*. 1. Quia beneplacitum Dei (quod unicum fundamentum nostrae inclusionis & reputationis in Adamo tanquam communi principio & capite foederali) fuit, ut non esset in eo. 2. Et *Quia* secundi Adami sic mediatoris nulla consideratio aut reputatio, nulla ejus necessitas in veteri foedere, & nulla ipsi illic pars. 3. *Addo etiam*, *Quia* absolute non poterat esse & considerari in illo foedere, hac conditione: ut stante principio & radice staret cum illo, cadente caderet. Implicaret, enim contradictionem si de humanâ naturâ à Deo hypostatice assumtâ aut assumenda, atque adeo de persona divina diceretur, potest peccare, potest non peccare, consequenter potest propter Adamici foederis transgressionem poenaliter subjecta esse peccato originali, tum imputato tum inhaerenti, & sic peccatis actualibus inde orituris. De quo alibi egimus in *disp. de potentia Dei*. Scio à theologis non [pag. 1115] paucis assignari hanc rationem immunitatis à pec-

peccato originali, quia ex virgine per optationem spiritus sancti genitus sit, & non secundum ordinariam legem carnalis generationis. Sed haec ratio non videtur adaequata, nec ad primam radicem hujus immunitatis, jus ipsum scil. assurgere: sed tantum ipsum effectum seu eventum aut ad summum, aliquod sive medium sive conditionem subordinatam explicare. Nam si quis nobiscum non negaret exsertè Christum fuisse in Adamo, & primi ac communis foederis, ejusque transgressionis participem fuisse, quomodo poterit tueri ejus immunitatem à reatu & peccato, eamque cum justitia & veritate divina conciliare. Rursum pone Deum alium aliquem hominem extra communem & ordinariam generationis legem producere (quod fieri posse non implicat) qua ratione eum immunem praestabis à poena peccati originalis, nisi probare possis eum non fuisse in Adamo foederaliter, atque adeo immunem ab illo foedere ejusque transgressione. Confer *Molinaeum in anatome Arminianismi cap.* 10. §. 16. *axiom.* 1. Ex hâc nostra explicatione puto jam liquere quid sit respondendum ad objectionem Corvini, qua urget *Molinaeum*, qui in *Anatome Arminianismi cap.* 7. §. 6. concesserat (& rectè) *Christum fuisse in Adamo, quippe unum de ejus posteris.* Breviter qui in Adamo fuerunt tantum originaliter, naturaliter, seminaliter, radicaliter, (uti Christus,) & non etiam moraliter, & foederaliter, (uti in eo fuerunt omnes alii homines, praeter Christum) illi non participant reatum, & poenam mortis ac corruptionis spiritualis. Quod alii ad istam objectionem respondent per distinctionem principii passivi seu materialis tantum, & non effectivi seu activi; ita ut utrumque fuerit Adamus respectu omnium aliorum hominum; prius tantum & non posterius respectu Christi: id mihi difficultatem alia difficultate forte difficiliori) tollere videtur: uti aliquando in *disp. problematicis* σὺν θεῷ ostendemus. Quod si nobis & aliis satisfacere non possimus, acquiescendum potius erit in consilio *Melanthonis*, quod vide *part.* 2. *consilior. p.* 127. IV. *probl.* Quomodo animae humanae quae in Adamo non fuerunt, nec ex eo per traducem propagatae sunt, possunt esse subjectae peccato originali & imputato & inhaerenti ? *R.* Quamvis hanc animae substantiam non trahat ex Adamo sed ex immediata Dei creatione, nec in Adamo fuerit anima ipsius quod ad originem essentiae; fuit tamen totus homo seu compositum humanum constans anima & corpore in Adamo & moraliater seu reputative tanquam in principio capite & radice foederali, & naturaliter tanquam in radice & principio originis per generationem; fuit etiam ipsius anima in Adamo quod ab originem subsistentiae: homo enim ille totum hominem genuit, & ille rursus alium; & quamvis non [pag. 1116] produxerit eum secundum substantiam animae, attigit tamen unionem corporis cum anima à Deo secundum ordinariam generationis legem producta: in quo propriè & formaliter consistit generatio. Et in hac sententia quod ad summam rei video convenire *Zanchium lib.* jam *cit. p.* 63. edit. in quarto & *Franc. Junium in disp. de peccato originali, thesi* 14. 15. *Pareum inedict. ad Rom. cap.* 5. *v.* 12. *Rivetum in synopsi theol. Leidensi loc. supra cit.* Et *Altingium in problem. theolog. part.* 1. *probl.* 27. Et Parkerum lib. de descensu ad Inferos §. 65. p. 120. cujus verba dignissima quae hic exhibeantur: *Corpus & anima perinde ab Adamo fluunt, modo tamen propagandi dispari: illud quidem ex traduce est, haec vero ex infusione, quae hoc respectu à parente est: quod non animam creat Deus qua animam simpliciter, sed qua unius de Adami filiis anima est, unde & creando infunditur, & infundendo creatur, & non extra corpus subsisten-*

sistentiam ullam habet: sed unione ad corpus, & creatur & infunditur. Doctè Athenagoras *Christianorum legatus. Non anima animam gignit, sed homo hominem: id est: anima ex traduce minime est, a parente tamen, ea nempe quam jam diximus ratione. Hoc a* Cyrillo Alexandrino *explicatur fusius ita. Terrestium hominum matres, naturae ad generandum famulantes, in utero quidem carnem habent paulatim coagulatam. Deus autem foetui spiritum, modo quem novit, immittit. Est autem alia carnis, alia animae ratio. Verum tamen licet corporum tantum quae ex terra sunt, matres fiant: attamen totum hominem, qui ex anima & corpore constat, non partem illius parere dicuntur. Neque enim quisquam Elizabeth* sarkotokon, *& non* psuchotokon *dixerit. Accommodat ista ad ipsum Christum* Pacianus Barcilonensis. *Novissimis temporibus*, animam *utique cum carne, accepit Christus*, ex Maria; *hanc venit salvam facere, hanc apud inferos non relinquit, hanc spiritus suo conjunxit, & suam fecit. Atque ut anima ab Adamo ipso propagatur: ita & peccatum aeque atque corpus, ab Adamo propagat. Adam etenim genuisse filios dicitur in imagine sua* Gen. 5. 3. *imago autem in anima est, non corpore solo. Quod gignitur à carne caro est* Joh. 3. 6. *caro hic & ipsam naturalis hominis animam comprehendit.* VI. *probl.* An satis accurate à *Polano cap. cit. p.* 337. peccatum originale quod proprie & formaliter peccatum est, dicatur prius ordine generationis & temporis (ut loquitur *Thomas in qu. disp. de peccato origin. qu.* 4. *artic.* 3.) existere in semine. Et an ab alio theologo recte dicatur prius existere in corpore jam animato & deinde in anima; idque propter hanc rationem, quia corpus ex semine immundo concipitur & corpus ante unionem infectum est principio & dispositione quadam peccati; anima vero pura à Deo creatur, & sic in poenam primae transgressionis tum puritate sua privantur tum corporis contagione infecta corrumpitur. *R. Neg.* Quia varias hypotheses falsas assumere debeant, quas supra reijcimus, & sibi ipsis ac nostris orthodoxis theologis contradicere, siquidem ad finem hanc thesin [pag. 1117] suam tueri velint. Ego contra statuendum puto. *Primo*, adaequatum & primum subjectum peccati esse hominem, seu totum compositum; non vero sanguinem, aut semen, aut embryonem; quae ne quidem animalia, aut viventia sunt, nedum ut sint rationalia, & libero arbitrio praedita, consequenter bonitatis aut malitiae moralis, poenae & praemii capacia. *Secundo*, Ipsum corpus organicum & animae unitum proprie non est subjectum peccati: immo ne quidem, utraque pars essentialis simul sumpta, non unita in naturam & suppositum humanum. Est enim persona humana subjectum peccati proprie dictum. Nam quod scriptura aliquando corpori tribuit peccatum & partibus integralibus corporis, illud incomplete, synecdochice, & impropriè, mediate & per aliud intelligendum est: quatenus scilicet partes sunt in toto, & totum constituunt, in quo immediatè & per se est peccatum. *Tertio*, Quod si dicendum sit peccatum hoc per prius inesse alterutri parti, potius cum omnibus fere theologis animae hoc tribuendum quam corpori: idque ex lege contrariorum: imago enim Dei, omnisque virtus theologica aut moralis sive in actu sive in habitu aut principio elicitivo considerata, per prius est in anima, & non in corpore: ergo idem dicendum est de ejus opposito, peccato scil. sive originali sive actuali. *Quarto*, nullum datur morale malum, seu peccatum, quod tantum inchoative sit tale, ac tantum fomes peccati, non vero formaliter sit malum aut peccatum. Sed quidquid est praeter bonum morale, aut malum morale, est purum putum adiaphorum & neutrum, quod

de

de ratione sua formali nullam moralem impuritatem, turpitudinem, infectionem, depravationem aut pravitatem dicere potest. Et certe non video, quomodo hunc fomitem suum, explicare & tueri possint esse moralem corruptionem, pravitatem, & malam dispositionem (quae tamen formaliter non sit peccatum, nec poenam mereri possit), tanquam tertium quoddam à peccato & opposita virtute distinctum, & tamen solidè refutare Pontificiorum, Socinianorum, Remonstrantium) *apolog. p.* 84. *&* 86. (fomitem cui formalem rationem peccati & reatus tribui nolunt. *Quinto*, quod ad temperamentum, à quo tanquam principio directo, & per se seu causa proprie dicta & per se suspendunt infectionem & inexistentiam peccati originalis per prius in corpore jam informato, & deinde in anima, atque adeo toto composito, & in quo totum fere hujusmodi traducendi peccati praesidium ponunt; dico illud in se & per se esse morale adiaphorum & neutrum, non malum aut vitiosum, non magis quam humores, omnesque partes, omnia membra corporis. *Quia*, qualecunque illud sit in quovis homine, est directe & per se à Deo productum, tanquam à causa prima [pag. 1118] & est Dei creatura. Et *quia*, est subjectum substratum, seu bonum illud, in quo est pravitas moralis: ergo non est ipsa pravitas aut dispositio peccaminosa. *Quia* etiam est occasio, & fomes (si ita loqui liceat) oppositi boni seu virtutis; sed per accidens. Per accidens enim & per interventum spiritus regenerantis temperamenta, ex. gr. melancolica, cholerica, sanguinea fiunt instrumenta, quibus ut & membris corporis, uti potest & utitur, aut ad profundam humiliationem super peccatis & gravitatem ac constantiam in viis domini, aut ad zelum servorem, & animositatem in opere domini, aut ad laetitiam spiritualem & αὐτάρκειαν in gratia Dei &c. Sicut eadem temperamenta sunt occasiones & (per accidens sc. animae corruptae seu non sanctificatae) instrumenta fiunt haeresion, rixarum, αὐτοφωνίας &c. Sunt enim apta nata fieri instrumenta justitiae & injustitiae; quamvis ex statu lapsus ad justitiam non habeant potentiam receptivam seu passivam, nisi remotam & obedientialem; quia spiritum mundus non potest recipere *Johann.* 14. *Praeterea quia* concupiscentia naturalis & tota sensualitas nec materia nec forma est ullius peccati, nec aliquid in se vitiosum habet (ut recte *Polanus lib. syntagm.* 6. *cap.* 3.); ergo pariter nec temperamentum corporis immo multo minus. *Denique quia* cum isti philosophemati de temperamento tantum hic tribuunt, videndum ipsis ne quid concedatur docilitati Remonstranticae seu bonae indoli in primo conversionis momento, quam in temperamentum & educationem referunt, *Apol. c.* 10. *fol.* 118. 119. &c. Confer supra *app.* 2. *ad. disp. de Creatione p.* 849.



DISPUTATIO SEPTIMA.

PROBLEMATUM DE MERITO CHRISTI

PARS PRIMA. [1])

De Christi merito acturi I. Praecognita quaedam praemittemus. II. Controversias recensebimus.

1. Meritum Gr. ἀξία est vocabulum τῶν μέσων, & aeque dignitatem poenae, ac praemii significat, ut notant JCC. Scholastici dignitatem poenae speciali voce appellant demeritum. *Est autem meritum opus praestitum, cui secundum justitiam distributivam merces sive retributio operi proportionata debetur.* Inter Scholasticos *Thomas part.* 3. *quaest.* 49. *artic.* 6. definit, actionem, quâ justum est, ut agenti aliquid detur. *Scotus ad* 3. *dist.* 18. Meritum est aliquod acceptatum in alio, pro quo ab acceptante est aliquid retribuendum illi, in quo est quasi debitum illi pro illo merito, vel alteri pro quo meruit. Argentina: praemium debitum operis indebiti. *Gerson. part.* 4. *in descript. ter. ad Theolog. util.* Est actus laudabilis factus ad bonum alterius verè vel interpretativè seu reputativè, ut e. gr. ad bonum Dei, qui bono nostro non indiget. Sed mittamus Scholasticorum disquisitiones de essentiâ meriti, deque ejusdem radice, & distinctionibus, remisso Lectore ad recentissimos *Thomae commentatores loc. cit. Valentiam* scil., *Vasquez*, *Zwarez*, *Sylvium &c.* aut ad *Bellarminum lib.* 5. *de Justific. cap.* 10. *&c.* conferendum cum doctissimis hâc in parte Disputatoribus reformatis, *Ferrio* scil., *Scholast. Orthod. cap.* 33. *Mortono in Antidoto contra Meritum &c. cap.* 1. & 2.; *Davecantio in tract. de Justitiâ &c. cap.* 53. 54. *&c. Amesio in Bellarmin. Enervat. Meritum Christi* (de quo nobis agendum) *est perfectissima obedientia, quâ ipse nostro loco tanquam Sponsor justitiae legis divinae plenè satisfecit, nobisque remissionem peccatorum & absolutionem seu libertatem à maledictione, atque una justitiam, & jus possessionemque vitae aeternae acquisivit.* Dicitur alio nomine satisfactio. Ad homines relatum in Scripturâ gr. dicitur ἱκανὸν ποιῆσαι *Marc.* 15. 15.: cujus vocis significatio apud JCC. quaerenda. Notandum *satisfactionem* Christi saepe, si non plerumque apud Theologos strictè accipi pro causâ acquisitae immunitatis seu liberationis à poenis peccatorum; & *meritum* pro causa acquisitae justitiae activae, & per eam juris [pag. 229] vitae aeternae. Sunt etiam (inter quos *Amesius*) qui notant unam eandemque obedientiam Christi *satisfactionem* dici in ordine ad Deum, cujus justitiae & legi satisfit; & *meritum*, in ordine ad nos, pro quibus aliquid acquisitum est. Porro cum meritum sit ex

[1]) *Resp.* PETRO MONTANO, Amstelo-Batavo. *Ad diem* 31. *Maji, Anno* 1650.

ex τῶν πρός τι, & respectum habeat ad poenam aut ad praemium, idque ex debito seu secundum justitiam (*Rom.* 1. 32. *Hebr.* 10. 29. & *Rom.* 4. 4.), distinctè consideranda sunt in merito Christi, *opus meritorium & praemium.* 1. *Opus meritorium Christi est voluntaria & perfectissima illa obedientia, qua in humana natura loco nostro pro nobis tanquam Sponsor omnia* (aliqua etiam pro se tanquam creatura rationalis Deo sublex, de quo infra videbitur) *praestitit, quaecunque lex Dei a nobis exigebat. Rom.* 5. 19. & 8. *vers.* 3. Exigebat autem lex Dei à nobis peccatoribus *prima* poenas condignas & animi & corporis (vide hoc probatum in *Elementis Catecheticis ad quaest.* 9. & 11.)*: Deinde*, pertectissimam sanctitatem & accuratissimam conformationem cum lege Dei, siquidem ad vitam ingredi vellemus. *Levitic.* 18. 5. cum *Galat.* 3. 12. *Matth.* 19. 17. Quod vide uberius explicatum & probatum ad *Catech. quaest.* 62. Utrumque autem Christus tanquam Mediator & Sponsor loco nostro praestitit: omnes poenas salvandorum quibuscunque ipsorum peccatis debitas ferendo, non quidem in specie, sed quod ad compensationem & aequivalentiam: & omnem legis justitiam ac conformitatem accuratissimè usque ad minimum apicem & in habitu & in actu, absque ulla peccati aut defectus sive habitualis sive actualis specie implendo. *Jesa.* 53. 9. 2. *Corinth.* 5. 21. *Hebr.* 7. 26. Quamvis apparuerit in similitudine carnis peccatricis *Rom.* 8. 3. & cum peccatoribus reputatus sit *Jesa.* 53. Quod ad priorem obedientiae partem in ferendis poenis peccatorum, eam à Christo quà Sponsore & Ecclesiam suam repraesentante tantum praestitam asserimus; non autem pro se quà homine particulari in se & absolutè considerato; quippe hoc respectu planè indebitam: posteriorem obedientiae partem, eam à Christo & pro nobis & pro Christo quà homine isto singulari seu quà creatura ista rationali debitè praestitam, & consequenter ea praemium vitae aeternae ipsi acquisitum, cum Scripturis dici posse censemus. Sed diverso respectu: pro Christo, quatenus particularis seu singularis ille homo erat legi divinae subjectus, ejusque debitor, & quidem ex naturali necessitate juris divini immutabilis; & quatenus tendens ad praemium: pro nobis, quatenus Sponsor erat, & omnium salvandorum personam sustinebat, ac pro iis omnem justitiam legis implebat, quam illi implere non poterant. II. *Praemium* hoc opere, à Christo acquisitum est bimembre, *Primum*, libertas scil. seu immunitas à peccati servitute seu potestate & damnante & dominante, pro solis salvandis scil., non pro Christo. [pag. 230] *Deinde*, jus, possessio ac fruitio vitae aeternae, & pro Christo tanquam homine isto particulari & tanquam capite salvandorum, & pro omnibus salvandis, tanquam membris suis. Cum autem Christi meritum dicitur *satisfactio*, notat voluntatem Dei à Christo esse impletam (*Hebr.* 10. *vers.* 7.) quantum justitiae ipsius postulanti aut expostulanti satis est. Et quia specifice haec satisfactio refertur ad debitum, duo signatè hic consideranda veniunt debitum scil. & debiti exolutio. 1. *Debitum* nostrum ergo Deum est geminum, quo obligamur. *Unum* justitiae scil. seu obedientiae vel per nos vel per alium praestandum ad jus vitae acquirendum: alterum poenae per nos vel per alium ferendum, & si fieri posset, exhauriendum atque auferendum. 2. *Exolutio* utriusque debiti nostri intelligitur propria, non catachrestica, quae acceptilatio dici solet; & consequenter satisfactio haec praestita fuit factis, non verbis (qualis inter homines aliquando obtinet, per τὸ *nollem factum* ;) & quidem plenissimè absque conniventia, dissimulatione, relaxatione, quod ad Sponsorem nostrum: quamvis primum ejus fundamentum

tum sit mera gratia. Qualis autem & quanta fuerit materia hujus satisfactionis in locis de humiliatione & passione Christi, & de ejusdem vita ac sanctitate passim explicatur.

2. Controversias de merito Christi distinguimus in minus principales, & in principales seu capitales. *Principales* (ut ab his incipiamus) sunt aut tales de quibus omnes Ecclesiae nomen & professionem Christianismi praefaerentes cum infidelibus, nec non Enthusiastis, Libertinis, aliisque heterodoxis contendunt: aut quae communi & recepta sententia inter diversas in orbe Christiano professiones & Ecclesias agitantur. Quales sunt, quae omnibus Ecclesiis reformatis sive cum aliis in Christianismo professionibus & Ecclesiis, sive cum particularibus quibusdam heterodoxis Doctoribus intercedunt. Sunt ergo Controversiae primi generis, principales, tres; quarum duae de ipso merito Christi, una de ejus latitudine, extensione, & fructu. 1. *ContrDivisión.* De ipso merito Christi, quod ad priorem ejus partem, quae vulgò strictè satisfactio pro peccatis dicitur, quaestio an sit, inter hodiernos Christianos & Judaeos, Turcas, Gentiles, Socinianos controvertitur. Gentiles satisfactionem Christi ignorant, Turcae & Judaei non admittunt, Sociniani ex professo oppugnant. Vide *Socini praelectiones & de Christo Servatore*, & inter recentissimos *Smalcium c. librum Smiglecii de satisfactione;* & *Crellium contra Grotium; Volckelium in Institutionibus; Slichtingium in commentariis in Epistolam ad Hebraeos.* Ut nunc praeteream *Ostorodum*, *Sommerum*, aliosque sectae istius promachos. Ex Antagonistis Socinianorum qui ex protesso hoc agunt, videndi imprimis *Zarnovecius* & *Grotius in tract. de satisfactione c. Socinum; Johannes Junius* [pag. 231] *in refutatione praelectionum Socini; Joh. Poliander à Kerckhoven in concertat. Essenius contra Crellium.* Ex Pontificiis *Smiglecius in novis monstris novorum Arrianor.*; & *de Christo vero & naturali filio Dei, ejusque satisfactione contra Smalcium.* Judaeorum exceptionibus ad *cap.* 53. *Jesaiae*, doctè occurrit *Constantinus l'Empereur in refutatione Abrabanielis, Alschechi, &c.* Incipientes, qui istorum polemicorum lectioni nondum vacant, consulant, elencticam *Altingii*, aut *Maccovii collegium Dispp. part.* 3. *a Disp.* 6. usque 14. Nolumus hic actum agere, & à praedictis Autoribus tam feliciter & accuratè disputata ac delineata reponere, sed solum archetypon argumentorum ad juvandam memoriam indicamus; his versiculis comprehensum:

Propitians, purgans, redimens, ut victima, sponsor
Salvavit, sic jura Dei verumque requirunt.

Christus est ac dicitur Salvator noster, quatenus pro nobis justitiae divinae satisfecit poenas nostras ferendo. Quod probatur sex classibus argumentorum, quarum I. *Classis* signatur voce memoriali *Propitians* seu *concilians*: Huc refer omnia dicta Scripturae, ubi occurrunt istae aut similes phrases, *primo* ἱλάσκεσθαι, ἱλασμὸς, ἱλαστήριον Hebr. כפר & כפורת &c. *Rom.* 3.25. 1.*Johan.*2.3. *&c. Secundo*, καταλλάττειν, καταλλαγὴ, *Ephes.* 2. 16. *Rom.* 5. 10. 2. *Corinth.* 5. 18. 19. *Tertio*, εἰρονοποιεῖν, εἰρήνη, *Coloss.* 1. 20. *Ephes.* 2. 14. 15. *Rom.* 5. 1. *Hebr.* 12. 24. Si Mediator & Servator noster est quà propitians aut reconcilians: ergo satisfaciendo, & merendo pro nobis. II. *Classis* signatur voce *purgans*. Huc refer *primo* λούειν, ἀπολούειν, ῥαντίζειν, *Apocal.* 1. 5. 1. *Corinth.* 6. 11. 1. *Petr.* 1. 2. Confer infra classem quartam & quintam. III. *Classis* signatur voce *redimens*, Huc refer *primo* ἀπολυτρόω, ἀπολύτρωσις, λύτρον,

λύτρον, ἀντίλυτρον *Matth.* 20. 28. *Tit.* 2. *v.* 14. 1. *Petr.* 1. *v.* 18. *Hebr.* 9. 12. 1. *Timoth.* 2. 5. *Secundo,* ἀγοράζω ἐξαγοράζω τιμή, 1. *Corinth.* 6. 20. *Gal.* 3. 13. *Tertio,* λυτρωτής, vindex, גאל *goël*, vindicare *Levetic.* 25. & *Actor.* 7. 35. *coll.* cum iis locis ubi nos per Christum redemtorem dicimur ἀλλάττεσθαι & λυτροῦσθαι à captivitate & servitute peccati, diaboli, mortis &c. 1. *Petr.* 1. 18. *Hebr.* 2. 15. *Quarto,* ἀπαλλάττω *Hebr.* 2. 15. IV. *Classis* signatur voce *victima.* Huc refer *primo,* ἀναφέρειν, προσφορὰ, προσφέρειν, θυσία, θύειν, ἁμαρτία, אשם delictum, agnus, pascha, altare, sacerdos, Pontifex de Christi perpessionibus pro nobis usurpata, *Ephes.* 5. 2. *Hebr.* 7. 27. 28. 1. *Cor.* 5. 7. *Johan.* 1. *v.* 29. 2. *Corinth.* 5. *Jesa.* 53. *Hebr.* 13. 10. *Hebr.* 7. 27. & 9. 14. 28. & 10. *vers.* 10. 12. 1. *Petr.* 2. 24. *Secundo,* tota schola sacrificiorum & typorum V. T. huc advocanda, quibus translatio, impositio, satisfactio, expiatio, [pag. 232] propitiatio, ablatio, purgatio, remissio peccatorum tribuitur, *Levitic.* 1. 3. 4. & 4. *vers.* 15. 29. 32. & 16. *vers.* 21. 22. & 17. *vers.* 11. non propriè (neque enim hoc praestabant aut praestare poterant *Hebr.* 10. 1. 2. 3.) sed symbolicè & typicè, quatenus scil. adumbrabant & figurabant Christum *Coloss.* 2. *Hebr.* 7. & 8. & 9. & 10. Ergo in Christo fuit corpus eorum, & in eo vere impletum fuit, quod ibi praefiguratum. V. *Classis* signatur voce *Sponsor.* Huc refer *primo* ἔγγυος *Hebr.* 7. 22. *Secundo,* quod passus, mortuus, oblatus sit ὑπὲρ ἡμῶν, hoc est, vice nostra, loco nostro, quippe nobis substitutus: in illum enim translata & imposita nostra peccata & poenae peccatis nostris debitae *Jesa.* 53. Ipse factus est pro nobis peccatum & maledictio, 2 *Corinth.* 5. 21. *Gal.* 3. 13. Ipse in se suscepit, sustulit, tulit, bajulavit, *Jesa.* 53. 4. 5. 1. *Petr.* 2. 24. *Hebr.* 9. 28. Ipse exactus fuit, percussus propter peccata seu debita nostra, luit poenas nostras, solvit quod non rapuerat, *Jesa.* 53. 4. 5. *Psalm.* 69. 5. Et sic abstulit peccata nostra, nosque à poenis immunes praestitit, utrumque malum & culpae & poenae ἀθέτησε, κατήργησε, destruxit, ab utroque nos purgavit, liberavit, τετελείωκεν &c. *Gal.* 1. 4. *Hebr.* 9. 26. & 2. 14. & 10. 14. *Coloss.* 2. 14. 1. 10. *Jesa* 53. 1. *Johann.* 3. 8. *Tertio,* Quod omnes poenas peccatis nostris debitas ad ultimum usque quadrantem & in anima & in corpore luerit. Vide hoc per partes accuratissimè delineatum ab *Amesio lib.* 1. *Medullae cap.* 22. Et confer *Disp. nostram de Agonia Christi,* & *Maccovii Anti-Socinum cap.* 7. Atqui hoc de innocente & justo dici non potest, nisi Sponsorem seu vadem nostrum se praestitisset. Chirographum delevit ac è medio sustulit, *Coloss.* 2. *vers.* 12. & peccatum condemnavit, *Rom.* 8. 3. 4. VI. *Classis* signatur vocibus *juris* & *veri:* hoc est, secundum justitiam & veritatem Dei debuisse satis fieri à Christo Mediatore nostro ad nostri redemtionem, & consequenter revera ab illo fuisse satisfactum, cum nobis revera remissio peccatorum acquisita & applicata sit. Hoc argumentum cum sit bimembre, quod ad posterius membrum à toto Christianismo ex *Genes.* 2. *vers.* 17. cum *Roman.* 5. *vers.* 12.—19. tenetur; sed non itidem quod ad prius membrum de justitia punitiva, cujus exercitium Deus omittere aut abnegare nequeat. De quo infra pluribus agendum. Hae classes argumentorum accumulatis concordantibus Scripturae locis firmiter tenendae contra Achristianorum objectiones (quae alioquin satis tenues & futiles,) imprimis contra eorum exceptiones, quae primâ specie sophisticae admodum & validae videntur. Sed in progressu disputationis evanescent, si haec tria observentur: quorum *primum* est, ut confertim & conjunctim contra exceptiones textuales tota phalanx argumentorum iis opponatur, & urgeantur, ut

ut probent ex Scriptura [pag. 233] (siquidem excipienti affirmantis personam induenti probatio incumbit) tales phrases de aliqua persona aut re usurpari, aut talia praedicata omnia praedicari, ubi nulla sit satisfactio, nullum Sponsoris meritum propriè dictum. *Secundum* est, ut cum extra Scripturas pseudo-axiomata juridica aut Philosophica absque corpore juris, absque rationis lumine ex proprio cerebro fundunt, ea omnia negentur, & probatio postuletur: quam si moliri nec possint nec velint, poterunt ex abundanti, tales falsae hypotheses, & pseudo-axiomata solo τῷ αὐτὸς ἔφα Socini &c. subnixa, instantiis quibusdam aut argumentis deplumari: aut si in suis quaeque disciplinis quid veri habeant, mala eorum applicatio ostendi. *Tertium* est, ut ad argumenta & ad solutiones in forma constringantur; & si more suo rhetoricationibus aut longis logis nuditatem tegere laborent, nos involuta evolvamus & distinctè in forma syllogistica proponamus. Denique urgeantur absurda, quibus Sociniana sententia obruitur, & ad haec duo summa ac generalia capita revocentur. 1. *Quod* scil. evacuet totum mysterium Euangelii, & novi foederis, illudque in legem & vetus foedus operum transformet; atque adeo religionem Christianam à naturaliter notâ essentialiter non distinguat. 2. *Quod* omnem consolationem in tentatione & in morte conscientiis subducat. Hoc practice deducendum. VII. Atque haec in directa probatio *septimam* classem constituere potest, & specialia absurda quamplurima contra Scripturam & fidei analogiam ex illis generalibus deduci aut sub illis subsumi. VIII. Ex abundanti adjici potest universalis totius Christianismi, tum antiqui tum hodierni consensus: quin etiam ex Ethnicorum aliorumque extraneorum Theologia de necessitate purgationis, & expiationis peccatorum argumentum aliquod ad hominem proponatur. Vide quae in hunc finem indicata sunt à *Grotio*, *ad finem libri de satisfactione*, & conferatur liber *Johan. Guilielmi Stuckii de sacrificiis Gentilium.*

3. *Secunda Controversia* capitalis, quae Christianismo cum quibusdam heterodoxis (Remonstrantibus scil. in Belgio, Viris si non Socinianae, saltem dubiae Theologiae) intercedit, est de merito Christi pro nobis, hoc est, vice & loco nostro, & sic in bonum nostrum actualiter praestito, seu de satisfactione plenâ ac propriè dictâ à Christo Sponsore, loco nostro justitiae divinae praestita. Illi satisfactionem & meritum Christi sic accipiunt, quasi nihil aliud sit quam partis offensae talis placatio, quâ offenso hactenus satisfit, ut in gratiam redire velit, cum eo, qui offendit, & per quam Christus Deo Patri jus & voluntatem acquisiverit novum foedus ineundi cum hominibus. *In actis Synodi Nationalis Dordracen. in explicat. artic.* 2. In *confess. cap.* 8. § 9. collat. cum *Apologia cap.* 8. §. 9. Unde sequeretur Christum [pag. 234] revera Sponsorem nostrum non fuisse, nec loco nostro passum, nec nobis propri quid acquisivisse aut impetrasse, nec in cruce personam electorum sustinuisse: quod postremum haut obscure asserit *Corvinus cap.* 27. §. 6. & 28. §. 30. De acceptilatione & pacto inter Christum ac Patrem inito *Jacob. Arminius in artic. perpendendis pag.* 963. *in* 8. collat. cum *resp. ad artic.* 31. & 34. *Vorstius in catalog. errorum Sibrandi pag.* 31. 38. 61. 68. & *Parasc. resp. ad Piscatorem pag.* 25. & *Oratione Apolog. pag.* 47. Breviter *in Catechesi*, *confessione*, & *liturgia Baptismi ac Coenae*, item *aegrotorum consolatione* studiose sibi cavent Remonstrantes à voce satisfactionis; nec dicunt Christum obedientia sua meruisse & peperisse nobis immunitatem à condemnatione & praemium vitae aeternae quod tamen antiqua Ecclesia & hodiernae

 refor-

reformatae ac Protestanticae communiter profitentur. Vide *Praefat. Vossii ad librum Grotii de satisfactione;* & symbolizationem Remonstrantium cum Socinianis hic ostensam in *nostra catechizatione Catechismi Remonstrantici ad quaest.* 33. 34. 36. & à DD. *Professor. Leidensibus* in *Censura confess. Remonstranticae cap.* 8. & ab *Isaaco Junio in antapologiâ ibid.* & *Amesio in refutatione Scriptor. Anti-synodalium.* De acceptilatione, deque gratioso pacto cum Mediatore inito, nonnulla hic moveri possent: sed ut compendio utamur, si Remonstrantes à suspicionibus omnibus apud universum Christianismum se liberare causamque & sectam suam à damnato Socinismo distinguere velint, condemnent categorice & absque ambagibus sententiam Socinianorum, quousque ea à Reformatis, Lutheranis, Pontificiis communiter condemnatur. Dicant insuper, quid de satisfactione Christi asserant aut asserere velint supra asserta à recentissimis Socinianis *Slichtingio ad Hebr.* 1. *vers.* 3. *&* 4. *Smalcio contra Frantzium pag.* 154. quin & ipso *Socino in resp. ad Volanum Epist. dedicator.* sic ut vere dici possit, eos in summa rei aut in thesi principali non convenire cum Socinianis ad hunc modum se explicantibus. Porro novis aut aliis argumentis haec crypsis non premenda, sed solummodo classis quinta contra Socinianos ei opponenda. Ubi de substitutione Christi, deque translatione nostrae culpae in ipsum ejusdemque imputatione, & vicissim de imputatione justitiae ipsius, nostrique propter eam ac per eam justificatione & quidem legali (quod ad ipsum scil. Sponsorem), & accurata legis impletione & stabilimento (*Rom.* 8. 3. 4. cum *Rom.* 3. 29.) ita ut nihil ipsius postulato aut juri decedat.

4. *Tertia Controvers.* capitalis est inter Christianos, & *Fr. Puccium* ac *Samuelem Huberum. Prior* natione Italus Filidinus, instar cothurni omnium aut nullius religionis, nullius eruditionis literariae, philosophicae, scripturariae, molitus est libellum Goudae in Hollandia anno 1592. editum [pag. 235] & Clementi VIII. dedicatum, quo asserit universalem restitutionem, & fidem naturalem in Deum, per quam omnes salvari possint. Fanatico illi errori (jactat enim revelationes *rat.* 120. *pag.* 94.) mox publica scripta opposuerunt, ex Reformatis *Franciscus Junius*, ex Lutheranis *Lucas Osiander*, ex Pontificiis *Nicolaus Serrarius.* De hominis istius universali ἀπαιδευσίᾳ ex scriptis, de ingenio & moribus ex *epistolis Socini* judicare poteris *Epist.* 3. *quae est ad Matth. Radecum* Secret. Gedanens. Puccius *prior* Socinum satis sarcasticè perstrinxerat in collatione de Mortalitate, quae postea typis edita fuit in 4. *Posterior* natione Helvetius, motis in Patria controversiis de praedestinatione & gratia anno 1587. inde dimissus, à Lutheranis Witebergae receptus est. Sed simulac in sinu eorum calefactus esset, commentum suum de universali generis humani redemtione procudere & sic *decimumtertium scisma* inter Lutheranos (utor termino *Johann. Micraelii* Lutherani in *Syntagm. Histor. Ecclesiae*, qui à *p.* 1037. *usque* 1043. octodecim scismata enumerat,) moliri cepit. Verum in herba pressus est & inde ejectus. Causam ejus examinat, & una historiam hujus contentionis refert. *Aegid. Hunnius* in *tract. de Providentia Dei & Praedestinatione contra Tossanum & Huberum* anno 1603. edito. Ex Reformatis eundem refutat *Jacobus Kimedoncius* Belga, tunc Heidelbergensis Academ. Professor, in *libro de Redemtione &c.* Nuperrime post primam hujus Disputat. editionem idem praestitit *Johann. Crocius contra Weigelium part.* 1. *pag.* 464. *&c.* Classes argumentorum non est quod studiosis nostris hic praeformemus aut saltem indicemus; cum refutato Remonstrantium secundo articulo

de

de morte Christi, & inutili quorundam atque ἀσυστάτῳ inter orthodoxiam & heterodoxiam mediatione, abunde & eminenter dicti fanatici refutati esse videantur. Non memini istiusmodi sententiam ab aliquo Viro docto, qui alicujus nominis fuerit, inter Christianos postea in terminis recoctam fuisse; ita ut falsus vates sit, dicens pag. 94. *certi sumus hanc &c. ubique obtenturam.* Inter hodiernos Anabaptistas videntur aliqui simili somnio adhuc pasci (quod expertus loquor:) sed illi peculiarem refutationem non merentur; praesertim cum non communi aliquo sectae suae consensu, sed volatico privati cujusque idiotae arbitrio, talia opinionum & contradictionum monstra pro re natâ subinde effutiantur. *Cornelius Wiggerus* concionator quondam Hornanus simile quid voluisse videtur (Vide *collat. Hagiensem artic.* 2. & *Amesii coronidem ibid.*): sed is ne modicae quidem eruditionis fuit, & Ecclesiasticè condemnatus sine sectatoribus disparuit. Remonstrantes in fervore disputationis quàm propinquè ad hanc sententiam subinde accedant, judicet Lector ex *Responso eorum ad excerpta Leidens. pag.* 107. ex *Actis Synodi Nationalis Dordracena,* [pag. 236] *pag.* 198. 199. 280. 285. 286. edit. in fol. *Johanne Corvino cap.* 26. 8. 9. 13. *&* 28. §. 9. 36. ex *Arminio ad artic.* 31. *art.* 13. 14. Appendix aut ἑπόμενον hujus controversiae est, quod movent nonnulli de mitigatione poenarum in inferno. Cum quâ conferri potest opinio de sufficientiâ mortis Christi pro diabolis, de quà thesi proximè sequenti: ut & Pontificiorum περιεργία in Missali antiquae edit. ante correctionem post Concil. Tridentin. ubi in missa pro cujus anima dubitatur sic orant, *Et si plenam veniam anima ipsius obtinere non potest, saltem vel inter ipsa tormenta, quae forsitan patitur, refrigerium de abundantiâ miserationum tuarum sentiat.* Sic Missale edit. Parisiensis anno 1506. in 8. fol. 217. Poterit etiam conferri sententia Origenis de salute damnatorum, & daemonum post diem judicii & praedicandum in coelis aeternum Evangelium. Vide *Origenem in Roman.* 1. & *Hieronymum tom.* 2. *epist. ad Avitum* ex Origine περὶ ἀρχῶν. Ab hoc foedo errore purgari non potest: nisi dicatur scripta ejus ab haereticis corrupta fuisse. In idem hoc stabulum compingi debent commenta de liberatione omnium eorum ex inferno per Christi descensum, qui crederent ejus Deitatem (quod tangit *Gregorius Magnus lib.* 6. *epistol.* 15. *ind.* 15.), & de animâ Trajani ex inferno per Gregorii preces liberatâ. A posteriori & enormi hoc commento *Baronius* Ecclesiam Romanam repurgare conatur *ad annum* 604. & compendiosè ex illo *Spondanus epitomator ad annum* 119. Sed dum hoc agunt uterque insigniter propria vineta caedunt, & Damascenos, Johannes Diaconos, Brigittas, Mechtildes, aliosque divos & divas, caetera Papatus columnas, & testes adamantinos ad fidem atque historiam Papatus stabiliendam, turpissimae, mythologiae & gravissimi erroris haut obscurè convincunt.

5. *Posterioris generis* principales controversiae sunt quae reformatis Ecclesiis, cum aliis in Christianismo professionibus intercedunt. Suntque celebriores quatuor. *Prima* est circa subjectum & principium ἐνεργητικὸν meriti, an scil. Christus secundum utramque naturam tanquam Mediator & Sponsor noster pro nobis meritus sit. Vide *Catecheticos Scriptores ad quaest.* 15. 16. 17. *Altingii Elencticam,* & *Antagonistas Bellarmini, Amesium, Chamierum, Francisc. Junium ad* 2. *controvers. general. de Christo Mediatore, lib.* 5. *à cap.* 3. *usque ad finem;* & *Wigandum contra Stancarum,* ut & *Schlusselburgium contra eundem,* & *contra Osiandrum:* quorum ille divinam naturam cum Pontificiis, iste humanam excludebat. *Secunda* itidem est circa sub-

jec-

jectum, partes scil. humanae naturae patientis; an Sponsor noster immediatè in anima pro nobis poenas nostras patiendo meritus sit. Vide *Disput. nostram de Agonia & desertione Christi*, ubi Autores indicantur. Huc revocari potest controversia de descensu ad inferos. *Tertia* est [pag. 237] circa efficaciam & effectum satisfactionis & meriti, an scil. Christus poenas nobis debitas directè & immediatè sustulerit, & à nobis in totum abstulerit; an vero poenas aeternas in temporales commutaverit, quibus ipsi salvandi in hac & in futura vita per perpessiones & opera sua poenalia exhaustis divinae justitiae satisfaciant. Vide contra satisfactiones humanas Papistarum, *Chemnitium in examine Concilii Tridentini*, & recentissimos *Bellarmini*, *Antagonistas Amesium & Chamierum*, adhaec *Rivetum in Catholico Orthodoxo*, & *Molineum in Novitate Papatus*. Huc revocandae controversia de Indulgentiis & Purgatorio: ad quas introductionem dant duae *disp. nostrae*. *Quarta* est, circa extensionem meriti, an scil. pro omnibus & singulis hominibus praestitum sit. Hic cum reformatis Ecclesiis contendunt Pontificii, Lutherani, Remonstrantes: quamvis non iisdem armis & hypothesibus. De Pontificiis fidem facit *Malderus* Episcop. Antwerpianus *in libro contra Synodum Dordracenam:* Et *Paulus Windeck*, qui operosè & impotenter hanc causam agit *peculiari libro* anno 1603. Coloniae excuso in 4. ubi argumentis 286. Calvinistarum (uti loquitur) errorem oppugnare conatur. De Lutheranis *Menzerus in libro contra eandem Synodum*, quem refutavit *Johann. Polyander* Theologus Leidensis: *Hemmingii liber de Gratiâ universali*, peculiari tractatu examinatus fuit à *Johan. Piscatore, tit. de Gratiâ Dei.* De Remonstrantibus, *scripta* ipsorum *Antisynodalia*, & *Grevinckhovius contra Amesium.* Qui quia ad Socinianas hypotheses declinant, in belli hujus societatem nec à Pontificiis, nec à Lutheranis admittuntur. Exstat hujus judicii illustre documentum in *Exerc. sacris Joh. Tarnovii Lutherani*: quod alibi exhibemus. Inter Pontificios potiorem Theologorum partem, Anti-Jesuiticos scil. Dominicanos, Praemonstratenses, Cistercienses, cum Academiis Lovaniensi & Duacena, nec non Archiepiscopis & Episcopis aliquot Belgicis cum clero suo, dum Augustini sententiae strictè inhaerent. Remonstrantibus nostris non accedere palam est ex feralibus in Belgio Hispan. conflictibus super *Jansenii* Episc. Iprensis *Augustino*. Ne illorum ultro citroque dictis, ex tot librorum eristicorum farragine, excerpendis immorer, exhibeo solum ex Theologorum Lovaniensium Vulpe capta contra Jesuitam Johann. Martinez de Ripalda part. 15. 8. „*In materiâ* „*mortis Christi pro humano genere.* Disp. 23. n. 16. dicit: *Bajanos sustinere* Christum „non fuisse mortuum pro omnibus hominibus, ideoque nec omnium fuisse Redem„torem, nec pro omnibus orasse. *Quasi doctrinae Augustinianae & Catholicae secta*„*tores non firmâ fide tenerent, quod ait Apostolus* 2. *ad Corinth.* 5. Unus pro omni„bus mortuus est. *Item* pro omnibus mortuus est Christus. *Et de alio solliciti essent,* „*quàm de sensu & modo quo haec juxta SS. PP. potissimum autem juxta SS. Augu*„*stinum, Prosperum, & Fulgentium exponi debeant.* Vide & *Querimoniam Zegers* libellum scil. in 4. à Lovaniensibus contra Jesuitas editum sub nomine typographi Jacobi Zegers, *pag.* 24. 25. Hanc adversariorum quorumcunque, praesertim Remonstrantium praesumtam universalitatem mortis & meriti Christi solide refutatam habes in *Disp. Gomari de Morte Christi*, & *Amesii rescript contra Grevinckhovium*, *ejusdemque Coronide ad collat. Hagiensem*, nec non in scripto *ejusdem contra Antisynodalia Remonstr.* qui duo erunt instar omnium.

PRO-

PROBLEMATUM DE MERITO CHRISTI

PARS SECUNDA [1]).

Atque hactenus quidem controversias principales proposuimus: sequuntur nunc minus principales, in quibus reformati omnes aut unum non sentiunt, aut saltem uno modo non loquuntur, aut eas communiter non attingunt, saltem ex professo non tractant: easque ad tres Classes revocamus; quarum prima versatur circa quaestionem de necessitate; secunda circa quaestionem de extensione meriti; Tertia circa quaestionem de intensione meriti.

Quod ad primam Classem. *Quaeritur*, An posito peccato & futurâ liberatione nostri ab eo, necessaria fuerit secundum naturam seu essentialem ac necessariam justitiam Dei, & non tantum secundum decretum & legis ac comminationis veritatem, Christi Sponsoris satisfactio. Aliter haec quaestio proponitur: An necessitas satisfactionis ad nostri redemtionem sit absoluta, an vero hypothetica. Ad hanc quaestionem in genere sic propositam Patres aliqui & non pauci ex reformatis *negative respondent*. Vide *Cyprianum Augustinum* (qui tamen alibi aliter, uti mox videbitur) *Athanasium, Leonem Magnum* citatos apud *Vossium in desensione Grotii contra Ravenspergerum;* & Calvinum in Johannem cap. 15. vers. 13. *Poterat nos Deus verbo aut nutu redimere, nisi aliter nostra causa visum fuisset &c. Musculum in loco de Justific. cap.* 3. Zanchium lib. 2. de Incarnat. cap. 3. quaest. 1. thesi 1. *servare nos poterat solo suo imperio peccata simpliciter, per solam suam misericordiam condonando.* Et inter *Antagonistas Socinianorum Casmannum in integritate Christianismi; Christ. ad Portum contra Ostorodum; Grotium* [pag. 239] *de satisfactione contra Socinum;* & *Lucium contra Gittichium Socinianum, in scripto posteriori pag.* 109. *Ludovicum Crocium in Anti-Socinismo contracto disputat.* 11. *Frantzium in schola sacrificiorum disputat.* 14. §. 13. 14. Et *in disput. de Augustana confess. disput.* 4. *de justificat. Vossium contra Ravenspergerum cap.* 28. *Johan Prideaux lect.* 19. ubi disputat *de satisfactione contra Socinianos.* Quin & nonnulli affirmantem sententiam tanquam falsam & absurdam exsertè oppugnant, ut *Twissus in Vindic. lib.* 1. *part.* 2. *digress.* 8. *pag.* 253. *Scholastici & hodierni Pontificii* omnes ab hac parte stare videntur: excepto uno ex recentissimis *Jansenio* Episcop. Iprensi in suo *Augustino tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. ad cujus libri defensionem Lovanienses aliique in Belgio Theologi se offerunt: ut videre est in libellis variis contra Jesuitas seu Molinistas pro Jansenio editis. *Vulpe capta &c. Planctis veritatis Augustinianae in Belgio patientis; Responce d'un Ecclesiastique du Louvain &c.* Sociniani apud *Socinum de Servatore part.* 1 *cap.* 1. & *part.* 3. *cap.* 1. 2. & *in praelectionibus cap.* 16. & *Volkelium in Institut. lib.* 1. *cap.* 26. *in fine*, omnem necessitatem satisfactionis negant & absolutam scil. & hypotheticam ex decreto, comminatione, & promissione Dei. Hi ergo longe aliter & alia mente intentione ac Patres, Reformati, Pontificii, Lutherani modo citati. Aliter etiam *Vorstius in libro de Deo*, & *Exegesi Apologetica;* & Remonstrantes in *Apologia cap.* 2. *fol.* 44. eandem negantem sententiam tuentur. Sunt etiam non pauci inter Reformatos, qui si exserte non oppugnent aut negent, saltem

[1]) *Resp.* Nicolao Backero, Bommel. Gelr. *Ad diem* 15. *Junii*, *Anno* 1650.

saltem totum hoc in medio relinquere nec supra decretum & liberam Dei voluntatem assurgere videntur, ut *Rollocus de Vocatione*, *Tilenus in Syntagmate*, *Melanthon*, *Pezelius*, *Sohnius &c.* Nec praetereundi, qui quamvis non totum aut in totum in medio relinquant, illo tamen tempore, & istâ occasione in medio relinqui consultum putârunt. Constantinus l'Empereur in refutatione Don Isac. Abrabanielis, ubi satisfactionis Christi plenam doctrinam se exhibere dicit (in libri frontispicio), sic loquitur: *Quaerit, an infinitus servare non possit absque λύτρῳ. Respondeo, quidquid sit de potentiâ & jure divino; voluntati ejus, quam* Exod. 34. 7. Nahum. 1. 3. *ac alibi expressit, necessario satisfieri debuisse.* Contra tamen affirmantem sententiam tenent complures recentiores, qui ex professo Socinianos aut Remonstrantes oppugnarunt, aut qui post detectam ac ventilatam Socini haeresin locos communes, theses, elencticos tractatus ediderunt. Quales sunt inter alios qui nunc mihi occurrunt *Zarnovecius de satisfactione; Pareus in commentar. ad Roman.* 1. *Piscator in thesibus*, & in *scriptis contra Vorstium; Ravenspergerus in judicio de libro Grotii de satisfactione; Sibrandus Lubertus in scriptis contra Vorstium; Synopsis D D. Professorum Leidensium;* eorundem *Censura confess. Remonstr.; Rivetus in* [pag. 240] *considerat. ad Synopsin de natura & gratia cap.* 6. & *in epistol. ad Gul. Rivetum pag.* 78. *Johannes Junius in refutat. praelection. Socin. cap.* 16. *Maccovius in dispp. Altingius in Theolog. elenct.* & *in exposit. Cateches. quaest.* 11. & 12. & 40. *Isaacus Junius in antapologiâ cap.* 2. *Vedelius in opusculis, colleg. disp.* 5. & 33. Et *quaest. de Deo & creatione quaest.* 27. 28. *Diestius in Enchiridio Theolog. Christ. loc.* 15. *Stechmannus in Photinianismo disp.* 22. *quaest.* 3. *Wendelinus lib.* 1. *Theolog. cap.* 1. *thesi* 36. *Essenius contra Crellium de satisfact. lib.* 1. *sect.* 2. *cap.* 1. & 2. *Disp. Bezae & Faji* Anno 1591. Genevae editae, videntur etiam huc inclinare *disp.*26. Et*Hemmingius in Syntagm.cap. de Christo sacerdote* §. 26. 27. 28. Imprimis notandum Bezam, qui huic sententiae non ita visus alicubi favere, (quo nomine nonnunquam ab Antagonistis citatur) exsertè re melius perpensâ, asseruisse in homiliis de Resurrectione Christi, anno 1593. Gallicè primum editis: ubi homil. 9. pag. 221. edit. lat. in 8. *Sed aliis omissis articulis, de hoc aliquid amplius dicam, de quo hic quaestio agitatur, homines putà servari non posse alia ratione quàm per unicum Servatorem, qualem Scripturae docent, verum Deum & verum hominem, hominem, inquam, passibilem re ipsa, &c. Illa, inquam omnia vera esse, & ita fieri oportuisse, naturalibus principiis probari ac demonstrari possunt, aut alioquin hominibus pereundum fuisse, aut Deum non fuisse Deum (quae nimium absurda sunt) hoc unico posito ac concesso, Deum summè justum esse ac summè misericordem, & omnes homines esse peccatores: quae nemo, nisi prorsus insanus, audeat inficiari. En igitur certissimam ratiocinationem: Deum oportet quando quidem summè justus est, hominum peccata tanquam Deum vindicare, poenis nimirum infinitae ejus Majestati respondentibus: quod si fecerit in singulos animadvertens, quandoquidem singuli omnes peccatores, nullius miserebitur: & ita singulos oportebit in perditionem abire. Sin autem omnium miseretur, perfectissimâ illâ justitiâ suâ & quidem infinitâ spoliatur, ac proinde non amplius nisi hominum more Deus est. Idem esto dictum de unico homine, si ejus sic misereatur, ut in eum non animadvertat tanquam Deus. Quinam autem aliquis, quisquis ille sit, simul eodem tempore in aeternum pereat & servetur? Superest igitur ipsemet debiti persolutorem se constituat, in quo summa ejus justitia, summaque misericordia simul conveniant, vadem se*

ac

ac Sponsorem pro aliis omnibus offerens quorum misereri ipsi placuerit. Accedit ex Pontificiis (quem solum novimus) *Corn. Jansenius modo cit.* qui ex professo hanc sententiam & rationibus, & testimoniis Augustini tuetur: adeo ut de Augustini sententia, cum alibi aliter loquitur, ex pluribus illis locis à Jansenio adductis statuendum sit, aut ipse sibi non constitisse dicendus. *Cornelius à Lapide in commentar. ad* 1 *Joh.* 5. *vers.* 6. necessitatem Deitatis in Mediatore asserens infra citabitur. Ego *affirmantem* sententiam, ut semper amplexus [pag. 241] sum, sic ne nunc quidem post eruditiss. Twissi impugnationes, deserendam censeo, ob rationes, quas in *disp.* nostrâ *de jure & justitiâ Dei* ante hac attuli, nec hic repono. Quamvis, ut candide dicam quod res est, singulas aut quasvis omnium modo cit. probationes, tam solidas non arbitrer, ut contra exceptiones & objectiones tam validi antagonistae sufficere possint. Ego in *Disputat. meâ* modo *citat.* tentavi pro viribus sententiam affirmantem contra Twissi impugnationes commode explicare & tuto tueri. Quid assecutus sim, eruditi judicent. Duo tantummodo hic investigenda supersunt: quorum *prius*, Quodnam sit hujus controversiae momentum, & an negantis sententiae sectatores Socinianis causam tradant, aut prodant, aut ipsorum haeresi faveant, sive ex intentione sive re ipsa seu opere. *Alterum* est, quae causa & origo hujus dissensionis, aut ἐποχῆς; aut saltem silentii, quod in omnibus fere antiquis, ac Scholasticis, & tam multis reformatis deprehendimus. De *priori*, sic Synopsis Leidensis, disp. 29. in fine. Denique *rejicimus & eam, veritati tamen proximam quae necessitatem ejus facit hypotheticam tantum seu pendentem duntaxat ex decreto Dei, non etiam absolutam, dependentem similiter ex divina natura justitiaque Dei naturali.* Eandem Synopsin explicans Rivetus in Synopsi de Natura & Gratia, cap. 6. pag. 98. *Hypotheticam necessitatem veritati proximam etiam agnoscimus, existimamusque cum pluribus, eam sufficere contra dogma Socinianorum, quatenus ex Scripturis refutari debet. De altero,* sic conjicere liceat. 1. *Quod* non fuerint tunc adversarii, quales Sociniani, & sic securius locuti sint. 2. *Quod* status controversiae non satis evidenter, aut uno modo & iisdem terminis significantibus ab omnibus utrimque disceptantibus propositus & intellectus sit. Aliquando,enim quaeritur, An justitia Deo sit naturalis, essentialis, immutabilis, necessaria; seu an sit attributum Dei essentiale, &c. Cum principale κρινόμενον sit, de egressu, id est, exercitio justitiae, erga peccatum, & non de attributo ipso in Deo; quod juxta cum aliis attributis e. gr. scientiae, voluntatis, misericordiae, gratiae, potentiae, &c. Deo essentiale esse, imo & ipsam Dei essentiam, nec ab ea realiter distingui, minime dubitandum est. Ita ut status controversiae inter Orthodoxos hic dissidentes sic proprie formandus sit: An Deus posito peccato, necessario puniat, seu exerceat justitiam; an vero libere, antecedenter ex decreto libero, ita ut possit non punire, & peccata citra ullam satisfactionem, aut peccatoris, aut Sponsoris remittere, & quidem absque implicatione contradictionis. Quomodo quaeritur, An Deus posito peccato & miseria creaturae rationalis, angeli scil. aut hominis, libere & ex mero beneplacito voluntatis suae, possit misereri aut non misereri, absque abnegatione sui ipsius, h. e. essentialis attributi misericordiae & gratiae. 3. *Quod* multa & [pag. 242] varia particularia problemata, quae ad hanc controversiam cum suis hypothesibus moveri aut attingi solent aut possunt, distincte in terminis non semper proponantur, & sic à lectoribus & cognitoribus quaedam non raro involvantur, confundantur, & unum alteri substituatur. Quod ut magis ad oculum pateat, sigillatim ea exhibemus.

2.

2. I. *Quaeritur*, *An* rationalis creatura Deo obligetur & debeat subjectionem rationalem, seu obedientiam: ita ut relaxatio aut exemptio ab hoc naturali vinculo, & ab hâc dependentiâ in esse morali, contradictionem implicaret. II. *An* defectu istius obedientiae, obligetur ad compensationem poenalem, non tantum ex vi decreti & legis divinae, sed etiam ex vi justitiae naturalis: ita ut oppositum ejus, exemtio scil. ab ista poena, & remissio peccatorum sine satisfactione, implicaret. Nos utrumque in *disp. de Jure & Justitia Dei*, *aff.* Et supra indicavimus Autores ὁμοψήφους, saltem exserte quod ad posterius Probl.; quippe prioris distincte & in terminis omnes non ita meminerunt, quamvis necessario praesupponendum sit: Uno enim affirmato, & alterum affirmari debet, aut utrumque negari. III. *An* peccatum de facto mereatur poenam infinitam? Seu, *An* ex vi sive naturalis justitiae Dei, sive liberi decreti de jure mereatur aut mereri possit poenam infinitam? *Resp. Vasquez in* 1. 2. *quaest.* 87. *art.* 4. refert Pontificios quosdam affirmare. Ipse tamen, aliique commentatores communiter cum *Thomâ loc. cit.* negant. Quod quamvis *objective* infinita dici posset, quatenus, privat homines infinito bono, Deo scil. *Matth.* 25. 2. *Thess.* 1. 9.; etiam *extensive*, quia durat in aeternum: minime tamen posse dici infinitam *intensive*, sive quod ad poenam damni, hoc est, possessionem, & sensum privationis & abjectionis à facie infiniti boni, & tristitiam de ea; sive quod ad poenam sensus, ignem scil. vel cruciatum infernalem. Confer *Amesium* per distinctionem concise ita determinantem *lib.* 1. *Medullae cap.* 16. sed fuse magis & quidem accuratissime *Robertum Baronium in tract. de peccato mortali part.* 2. *sect.* 6. Et *Scholasticos ad* 3. *in supplemento*, *quaest.* 99. *art.* 1. 2. 3. 4. 5. Rationes istae adferri possunt. 1. *Quia* talis poena non est possibilis: neque enim finita creatura capax est infinitorum cruciatuum. 2. *Quia* sequeretur, Deum non posse justitiae suae satisfacere impios condigne puniendo; non enim sunt capaces hujus poenae: atqui absurdum est poenam aliquam de jure peccatis deberi, quam Deus nunquam posset infligere. 3. *Quia* sequeretur, omnibus peccatis aequalem poenam deberi, aut omnia de facto aequaliter puniri: quod absurdum & contra *Matth.* 11. 22. 24. Ratio consequentiae est, quod inter infinita & extensive & intensive nulla sit disparitas. 4. *Quia* culpa hominis est finita non vero intensive infinita: [pag. 243] sive respicias entitatem actus substrati; neque enim à finita creatura potest elici actus infinite intensus: sive respicias ἀταξίαν aut privationem actui adhaerentem; quae est privatio finitae rectitudinis seu conformitatis cum lege: sive respicias totum complexum, peccatum scil. concretive consideratum, neque enim pares sunt omnes actus vitiosi: sed admodum dispares; quod fieri non posset, si infiniti essent. Quamvis fateamur peccatum aliquo modo posse dici infinitum, tum *objective* & extrinsece, quatenus committitur contra infinitum bonum; tum *extensive*, ratione durationis, quod macula seu labes ejus duret in aeternum, ex parte peccantis sc. qui ex se & seclusa Dei misericordia liberante eam nunquam expurgare potest, & consequenter ipsum in aeternum coelo excluderet, & poenis infernalibus subjiceret. IV. *An* damnati in inferno ex necessitate justitiae divinae, obligentur simul ad debitam legis obedientiam & ad poenam; an vero tantum ad poenam substinendam, sic ut quamvis invidentes, blasphemantes &c. tunc non peccent, aut peccantes saltem non mereantur poenas. *Resp. Scholastici ad* 3. *Thomae (in supplemento) quaest.* 98. *art.* 6. communiter statuunt, post diem judicii nullum locum fore merito; quamvis concedant aliqui damnatos à morte usque ad judi-

judicium demereri, & sic poenas eorum augeri: quod tamen restringunt ad poenas accidentales seu secundarias. Ex nostris *Parkerus lib.* 3. *de descensu ad inferos* idem statuit, cui *Maccovius* adstipulari videtur in *Disp. loc. commun. disp. ultima.* Sed explicatius ita determinat *in Theologiâ Polemicâ pag.* 169. edit. in 4. Nos à quaestione hac abstinere quidem velimus, quamdiu per oppugnantes, aut quaerentes, aut dubitantes licet: sic tamen, ut cum *Scholasticis* & *nostris* modo *citatis* sentire non cogamur; cum rationes ipsorum nobis non satisfaciant, nec argumentum illud de rationalis creaturae absolute necessaria subjectione ad legem, obedientiam & cultum Dei naturalem atque immutabilem, hactenus solutum sit. Cui addi potest alterum, de malitiâ morali & peccaminositate, quae ab actionibus humanis legi & juri divino non conformibus, separari nequit. Rationes eorum huc redeunt, Quod absurdum hoc de augendis in infinitum poenis damnatorum sequeretur, cum tamen finita creatura non sit capax infiniti. Sed responderi posset. Quod infinitum potentia, non actu: & quidem extensivè tum duratione, tum numeraliter seu in quantitate discretâ: quale cadit in angelos bonos & malos, item homines quorum intellectiones scil. & volitiones multiplicabuntur, seu succedent in infinitum potentiâ; Addi posset, in infinitum potentiâ intensivè, si augeantur poenae, quidni etiam intensivè, in infinitum potentiâ intendi possent; Deo vires creaturae ad eas sustinendas suppeditante? V. *An* damnati ex vi naturalis justitiae divinae multo graviores [pag. 244] poenas promeriti sunt, quam sustinent. *Resp. Aff. Scholastici ad* 3. *in supplemento, quaest.* 99. *art.* 2. & ex nostris *Baronius loc. modo cit.* & pro fundamento adfert Theologorum effatum, quod Deus supra condignum pios remuneretur, & impios infra condignum puniat. Dubium hic movetur, *An* Deus quidquam de jure suo remittere hic possit: & si remittat, an absque Mediatoris intuitu, qualiscunque haec sive remissio, sive relaxatio, sive mitigatio damnatis obtingat? VI. *An* poenae peccatis debitae ex vi justitiae divinae, sint summae, hoc est, temporales & aeternae, seu mors utraque? *Resp. Aff. Catechesis nostra quaest.* 11. *&* *Commentatores Catechetici ibid.* Quod ad necessitatem poenae duratione infinitae, seu aeternitatis poenae, probatur ea ex aeternitate culpae: Maculae enim ex peccatis in hac vita commissis contractae durant in aeternum (uti modo dictum), & consequenter damnati in aeternum viles, foedi, abominabiles, Dei odio *(Tit.* 3. *vers.* 3.) digni, favore & consortio ejusdem indigni sunt. *Deinde* habitualis eorum malitia, speciatim odium Dei, blasphemia, invidia &c. durant in aeternum: ergo & poena eorum in aeternum durare debet. Semper enim sibi thesaurizant iram, & omnis transgressio &c. habet justam retributionem *Heb.* 2. Ex Pontificiis de poena utraque idem statuit *Smiglecius in novis monstris novor. Arrianor. pag.* 169. Et de aeternitate communiter *Scholastici ad* 3. *in supplem. quaest.* 99. *&* 1. 2. *quaest.* 87. *art.* 3. ubi tamen ad peccatum mortale (secundum ipsos) perperam restringunt. Vide & *Becanum partis* 2. *part.* 1. *Theol. Scholast.* VII. *An* Deus libere per misericordiam suam relaxatione adhibitâ, & poenâ peccatis debitâ in Mediatorem & Sponsorem pro ea satisfacturum translatâ, hominem peccatorem salvâ justitiâ suâ liberare possit? *Resp. Aff.* Communiter universus Christianismus: quia ex ipso facto per Euangelium revelato consequentia ducitur ad τὸ possibile, & justum; cum nulla apud Deum sit injustitia, aut sui ipsius abnegatio. Atque hoc Christianae Theologiae axioma contra Socinianas objectiones Theologi passim tuentur. VIII. *An* constituto & vadimonium obeunti Mediatori, necessario fuerit

fuerit pro peccatoribus satisfaciendum, nec illi, aut in totum, aut ex parte quidquam remitti potuit, salva Dei justitia? *Resp. Aff. prius. Neg. poster. Catechesis quaest.* 11. coll. cum 12. & 18. Videantur hic *Commentatores & Concionatores in passionem Christi.* IX. *An* hujus sponsionis, substitutionis, & translationis peccatorum, & praestitae atque acceptatae pro nobis satisfactionis, atque adeo totius meriti Christi pro nobis primum ac absolutè necessarium principium & fundamentum sit libera & immerita Dei gratia. *Resp. Aff.* Et explicat *Calvinus lib.* 2. *Institut. cap.* 17. §. 1. 2. (quem vide): ita ut per gratiam Dei & per meritum Christi tanquam subordinata [pag. 245] salvemur. Huic egregiae explicationi Calvini immeritissima calumnia struitur à nonnullis Lutheranis: sed quam verba ipsius modo leviter inspecta diluunt. Conferat, cui vacat, *Attingium in Exegesi Augustanae confess. art.* 4. *pag.* 38. X. *An* nulla ratio & via satisfactionis & meriti pro nobis esse potuit, nisi per Deum incarnatum. *Resp. Aff. Catechesis nostra quaest.* 12. 13. 14. 15. 16. 17. *Hemmingius in Syntagm. cap. de Mediatore; Ferrius in Scholast. Orthodox. cap.* 22. *Polanus lib.* 6. *cap.* 12. aliique passim in locis communibus. *Beza* disertè probat *homil.* 9. *de Resurrect. supra cit. Calvinus lib.* 2. *cap.* 12. necessitatem eandem argumentis fere iisdem quibus *Catechesis*, *Beza*, & *Hemmingius*, probare videtur, nihilominus initio capitis exsertè determinat. *De necessitate si quaeritur, non simplex quidem (ut vulgo loquuntur) vel absoluta fuit: sed manavit ex coelesti decreto, &c.* Quod si per decretum intelligeret Dei beneplacitum de homine peccatore liberando & salvando, utique hoc liberum esse nemo negat. Sed duo insuper quaeruntur, An posito ac praesupposito, Quod Deus liberè voluerit misereri hominis peccatoris, (prout ad hoc nulla naturae suae necessitate tenebatur) an, inquam, potuerit Deus libere absque ulla satisfactione homini peccata remittere; An posito decreto de satisfactione in & à Sponsore nostro accipienda, is Sponsor & Mediator alius potuerit esse, quam Deus incarnatus. *Altingius* supra *citatus* inter defensores necessariae satisfactionis ad remissionem peccatorum, qui etiam in *Problematis part.* 1. *Probl.* & in *Expos. Catech. quaest.* 40. necessitatem satisfactionis quod ad modum illud in specie (per mortem scil.) asserit; in Theolog. didactica cap. 10. pag. 163: haec habet: *Satisfactio pro peccatis est eorundem expiatio per λύτρον sanguinis Christi, filii Dei &c. ea ad procurandam salutem electorum fuit necessaria; non absolute: siquidem deesse nequivit Deo sapientissimo alius servandi modus; sed ex hypothesi beneplaciti Dei; de quo ita Apostolus: placuit Patri &c. Coloss.* 1. 20. Sed si conferamus Doctiss. hujus Theologi *Explic. Catechet. quaest.* 14. 15. 16. 17. videtur dici posse ipsum in *Didactica loc. cit.* respexisse ad illum modum de quo probl. proxime sequenti quaeritur. Quod si non obstarent verba in Problematis & exposit. Catechesis, forte dici posset eum de satisfactore θεανθρώπῳ in medio non relinquere, (quippe à Catechesi determinatum) sed de modo speciali satisfaciendi, qui est per λύτρον sanguinis & mortis seu per tales ac tantas poenas intensive & extensive, quales ac quantas Christus passus est. *Cornel. à Lapide in* 1. *Johan.* 5. *vers.* 6. statuit ad satisfactionem Mediatoris necessariam esse Deitatem. Reliqui Pontificii hodie communiter ad 3. *quaest.* 46. *artic.* 1. 2. 3. 4. & *quaest.* 50. *art.* 1. & satisfactionis per Christum Mediatorem, & satisfactionis per ipsius mortem, crucem, passiones [pag. 246] &c. necessitatem, & oppositi impossibilitatem hypotheticam solum defendunt, in Dei praescientia & decreto fundatam. Quamvis non pauci antehac negârint, asserendo, posse quem-

quemlibet purum hominem pro suo peccato etiam mortali condigne satisfacere. Vide apud *Vasquez in* 3. *Thomae quaest.* 1. *aut* 2. *disput. cap.* 1. citatos *Alexandrum*, *Paludanum*, *Richardum*, *Tapperum*, *Cajetanum*. De veniali peccato complures & cum iis *Vasquez ibid. cap.* 3. nimis manifestè id affirmat. XI. Posito quod Mediator & Sponsor debuerit esse Deus incarnatus, an is necessario fuerit persona secunda; ita ut simpliciter impossibilis fuisset incarnatio personae primae, aut tertiae? *Resp.* Congruentiae quaedam à Patribus, & Postillistis nonnullis, & *Scholasticis ad* 3. *quaest.* 3. *artic.* 8. adferri solent: sed quae vicem demonstrationis Theologicae praestare nequeunt. *Scholastici ad* 3. *quaest.* 3. *art.* 5. 6. 7. communiter *Neg.;* contrà asserendo quamlibet personam, & tres simul naturam humanam & unam personam in duas naturas posse assumere. Tutissimum est de talibus curiose non disputari. Si quis in partem *Aff.* praesens problema determinare vellet, & absque Scripturis tanquam articulum fidei aut dogma Theologicum urgere; utique petendum arbitror, ut solidae rationes adferantur. Sin totum hoc in medio quis relinquere, & in sapientissimo Dei decreto acquiescere malit, utique causam Dei hostibus fidei tradere, aut in gratiam eorum ab ulterioribus determinationibus abstinere dicendus non est, ab iis, qui sublimius hic quaerunt & determinant. Sicut vicissim ab illo hi accusandi non sunt, quod communi sententiae Ecclesiasticae Catechesibus & confessionibus omnium determinatae repugnent aut in eam rebelles sint, cum datâ à quaesitoribus aut adversariis occasione, supra sapientissimum Dei decretum ascendunt, & pro modulo altius quid respondere ac determinare conantur de simpliciter possibili aut impossibili. XII. *An* Christus Mediator debuerit assumere humanam naturam ex eodem sanguine; adeo ut simpliciter impossibile fuisset verum quidem hominem, sed alterius originis, à filio Redemtore assumi. *Resp. Scholast. ad* 3. *quaest.* 4. *art.* 6. dicunt prius esse conveniens. De quo minine dubitandum. Ex nostris *Cloppenburgius in Syntagm. select. Exercitat. pag.* 325. dicit debuisse ita fieri. Sed ulterius inquirendum esset, an necessitatem absolutam ex vi naturalis justitiae divinae, an vero hypotheticam tantum ex vi decreti intelligi velit: quod si illam, rationes audiendae & expendendae essent. De istâ contra Anabaptistas conclusum est. XIII. *An* debuerit assumere naturam humanam absque peccato, & impeccabilem. *Resp. Aff. Catechesis nostra quaest.* 14. 16. omnesque Reformati, contra horridas & profanas disceptationes quorundam Scholasticorum, *Scoti, Durandi &c.* Quas jam ante satis confuderant *Lombardus*, [pag. 247] cum *Thomâ ad* 3. *dist.* 12. Quos sequuntur *Capreolus*, *Paulus Soncinas*, *Petrus de Palude*. Sic et recentioribus eundem errorem merito impugnant *Becanus in Theol. Scholast. part.* 3. *tract.* 1. *c.* 12. *quaest.* 3. *Waddingus de Incarnatione disput.* 8. *dub.* 1. Remonstrantes, ut libere suum liberum arbitrium defendant, in eundem scopulum impingunt. Quos in *Apol. cap.* 17. & in *Epist. Viri docti* (h. e. *Simonis Episcopii*) *ad Cameron.* Vide detectos à *Cloppenburgio lib. cit. pag.* 223. 224. & in *nostra catechizatione Catechismi Remonstr. quaest.* 30. Addo qui nunc demum mihi lectus *Jacob. Revium in cursu Dispp.* ubi *Disp. de Obedientiâ Christi* ex professo omnes Remonstrantium objectiones & exceptiones profligat. XIV. *An* minima Christi poena, immo vel unica sanguinis guttula sufficiat pro omnibus peccatis quae quis commisit; atque adeo sufficiat guttulam tantum, aut minimam passionem à Deo in λύτρον nobis imputandam atque applicandam postulari? *Resp. Negat Catechesis quaest.* 37. 40. 44. Negant etiam

etiam plerique Theologi reformati, ex *Luc*. 24. 26. *Philip*. 2. 7. *Hebr*. 9. 11. *usque* 24. Quamvis Patribus & Pontificiis, etiam aliis simile quid exciderit. Vide *Altingii problemat. part*. 1. *probl*. 41. Sed forte ita loquentes, si non omnes saltem aliqui, conciliari possent, aut saltem corrigi deberent, distinctione illâ, quam *Thomas quodlib*. 2. *artic*. 2. & cum eo recentiores adhibent (apud *Valentiam ad* 3. *quaest*. 22. *puncto* 1. *Vasquez disp*. 12. *cap*. 2. *num*. 12. *Becanum in Theol. Scholast. part*. 3. *tract*. 1. *cap*. 14. *quaest*. 3.) inter infinitum valorem seu dignitatem, & inter infinitum meritum: quorum illud tribuendum sit singulis Christi actionibus; istud non nisi omnibus actionibus simul sumtis & per voluntariam ipsius mortem consummatis, ex *Johan*. 12. 24. 32. *Jesa*. 53. 10. *Ephes*. 1. 7. *Hebr*. 6. *v*. 15. 22. 28. Addi si placet *Philipp*. 2. *vers*. 8. 9. Ubi voluntaria mors ponitur, tanquam conditio requisita ad meritum Christi, per quam omnes ejus actiones simul sumtae fuerunt consummatae: *Quod factum* (uti loc. cit. ait Becanus) *non ex naturâ rei, sed ex libero pacto & promissione. Nam Deus non voluit Christo promittere redemtionem humani generis per modum praemii, nisi dependenter ab ipsius morte & passione.* Haec distinctio videtur fere coincidere cum illâ, quam infra aliâ in quaestione adhibemus, inter meritum potentiale & actuale. Sed tunc admodum catechresticè aut falsò dicitur, unam vel minimam hanc aut illam Christi actionem aut passionem actu sufficere huic aut illi peccatori redimendo, & consequenter perperam petitur à Deo ut ea sola ac seorsim tanquam sufficiens lutrum aut meritum sibi ad salutem donetur atque applicetur.

3. XV. *An* ergo Christus omnes poenas & afflictiones, quas per omnem vitam in anima & corpore pertulit, tum in forma ac specie, tum in quantitate [pag. 248] intensive & extensive sic ferre debuerit, & tamdiu, non tantum ex Decreto Dei, sed etiam ex vi naturalis justitiae divinae, alioquin satisfactionem Deo & meritum nobis non praestiturus. *Resp*. Non puto ab aliquo sententiam negantem sic propositam in dubium trahi, aut in medio relinqui. Sed difficultas eos, circa mortem corporalem ac spiritualem peccatis nostris debitam (de quo supra *probl.*), *An* scil. Sponsor θεάνθρωπος in forma & specie eam gustare debuerit, ut justitiae Dei satisfieret; an vero per compensationem & lutri aequivalentiam aliae passiones & poenae sufficere potuissent, propter infinitam personae patientis dignitatem, siquidem Dei decretum non obstitisset. Breviter huc recidit quaestio, *An* Deus per absolutam potentiam, salva justitia & natura sua, potuisset decernere ut Christus pro hominibus morti obnoxiis, non mortem utramque; sed aut alterutram tantum, aut neutram, aliam scil. poenam, aut alias graves poenas subiisset, & sic vi valoris & dignitatis & infinita divina natura & persona in passionem illam satisfactoriam manantis, sufficiens lutrum pro nobis exsolvisset. Videtur *Catechesis quaest*. 40. saltem de morte corporali tale quid asserere. De mortis spiritualis seu animae (prout ea à nostris nominatim ab *Amesio lib*. 1. *Medullae cap*. 22. describitur) absoluta necessitate (h. e. extra & ante omne decretum Dei) non memini Catechesin, aut alias formulas similiter determinare. Sed forte excipi posset, Catechesin loqui de morte corporali, ad quam ferendam Christus Sponsor tenebatur ex jure & justitia Dei, quae secundum primigeniam legem est, & secundum foedus creationis cum hominibus in Adamo initum, *Genes*. 2. *vers*. 17. atque adeo secundum Dei decretum. *Altingius ad Cateches. quaest. cit.* ut & *in Problemat. part*. 2. *Probl*. 41. Verba Catechesios exponit de justitia naturali contradistinctè ad jus & justitiam, quae in solo decreto & lege Dei fundatur.

Viden-

Videndum ergo quomodo haec expositio aliunde conciliari possit cum iis quae supra ex ejusdem *Didactica pag.* 163. notavimus. *Zarnovecius in tract. de satisfactione contra Socinum*, & *Pareus in commentariis ad Roman.* aliique *Antagonistae Socini*, & qui eos citat ac sequitur *Maccovius in Anti-Socino cap.* 7. *pag.* 113. & in *Theologia Polemica cap.* 14. *quaest.* 13. ad Socini exceptionem, (si valor mortis Christi pro nobis sumitur ex dignitate personae, tum morte Christi opus non fuisset, sed suffecisset alia passio) respondent, per distinctionem, concedendo si dignitatem personae respicias, negando, si veritatem comminationis divinae. Vide & *Thalyaeum in Anat. Samosatenianismi approb. à Theol. Leidens. qu.* 1. *arg.* 11. *Wendelinum lib.* 1. *cap.* 17. *Lubbertum c. Vorstii* 99. *errores, err.* 25. Addit *Maccovius in Anti-Socino*, ex Zwinglio (uti ait) insuper negando, si sponsionem Christi respicias, quam subiit non poenarum nostrarum [pag. 249] mutatione, sed earundem in se susceptione. Nos hac vice Palaemonis partes inter Catecheticos Interpretes, & Theologos reformatos (quorum aliquos ex utraque parte nunc passim indicavimus) nobis non sumemus; ut illorum dicta examinemus, aut ea conciliemus. Cum altius ascendentibus & ulterius determinantibus, hactenus statuimus, Satisfactionem justitiae divinae peccatori liberando, aut per se, aut per Sponsorem esse necessariam. Eam praestari non potuisse, nisi per Deum incarnatum. Eandem à Deo incarnato praestari non potuisse, nisi ferendis τιμωρίαις, h. e. passionibus & poenis, ad compensationem injuriae & damni (ita loqui liceat) Dei gloriae per peccatum illati sufficientibus, idque ex vi justitiae. Sed quaestio remanet, an utraque mors corporalis & spiritualis in genere damni & in genere sensus & inchoata & consummata, ex vi naturalis justitiae divinae absolutè & simpliciter fuerit necessaria, & necessariò à Sponsore nostro suscipienda citra & ante decretum Dei: & consequenter, an oppositum inter simpliciter & absolute impossibilia numerari debeat. Evidentem hujus assertionis defensionem & probationem, ab aliis exspectare velimus. Libenter enim in conflictu cum subtilibus & curiosis quaesitoribus aut adversariis, alios nobis praeeuntes videmus: siquidem via trita, via tuta. Sed dicas Catechesin praeire & ejus Interpretes *Ursinum*, *Pareum*, *Altingium*, indicatis locis Scripturae & argumentis. Atqui hoc ipsum est, quod quaeritur, & de quo dubium movetur, An iis argumentis potuerint aut voluerint altius ascendere ac determinare, quam *Autores* modo *citati*. Nam 1. *Dub.* An non Catechesios scopus & intentio fuerit, occurrere haereticis Marcionitis, Nestorianis &c. uti hoc diserte affirmat *Ursinus*, optime intentionis Catecheticae (uti arbitror) conscius. 2. *Dubit.* An *Pareus* secum pugnarit cum Socino sic respondit, uti modo retulit *Maccovius;* & an non posteriores curae h. e. *Disputationes contra Socinum*, debeant praeferri prioribus, h. e. *commentariis Catecheticis Ursini*, ann. 1591. ab ipso retextis, & deinceps aliquoties editis. De *Altingio* idem dubitari posset, si verba *didacticae*, & *exposit. Catechet.* supra *citata* inter se conferantur. 3. *Dubit.* An de loco *Roman.* 1. *vers. ult.* qui imprimis hic urgetur, solide probari posset, quod agat de jure Dei naturali, & absoluto antecedenter ante & supra omne voluntatis decretum, omnem legem, omne foedus naturae seu operum cum hominibus in prima creatione initum; an vero analogia & contextus & fidei salvari possit, si accipiamus, jus posterius, ex prima creatione, foedere, & lege ortum *Genes.* 2. & consequenter natura Gentilibus cognoscibile per reliquias & scintillas illas, quas indigitat *confessio Belgica artic.* 14. ex *Rom.* 1. 18. 19. 20. & 2. *vers.* 1. 2. 3. 12. 14.

12. 14. 15. 4. *Dubit.* An argumentum à debitó nostro ad Christi [pag. 250] sponsionem, & rursum à Christi sponsione, qualis de facto ab illo suscepta fuit, solidam consequentiam facit ad absolutam necessitatem talis sponsionis & oppositi absolutam impossibilitatem. Non negatur, hominem peccatorem debuisse mortem, aut Christum Sponsorem suscepisse eam pro nobis gustandam, & consequenter ex vi voluntariae sponsionis & susceptionis eum jure debuisse mori: sed dubitatur, aut in praesentiarum in medio relinquitur (donec certior probatio compareat) an absolute impossibile fuisset Deo statuere & Christo offerre sponsionem de satisfactione pro poenis peccato nostro debitis per alias quascunque gravissimas afflictiones in anima & corpore perferendas, absque morte corporali; qua sponsione posita, per aequalem compensationem propter personae infinitam dignitatem à poena utriusque mortis peccatores jure liberasset. 5. *Dubit.* Cur dignitas, aequivalentia & compensatio in poenis Christi temporalibus, quas pro nobis tulit ex dignitate personae accersi possit, & de facto accersatur contra Socinum; & non etiam quod ad speciem aut partem hanc poenae, scil. mortem corporalem, itidem ex eodem fonte accersi posset, siquidem Deo visum fuisset ita decernere, & Christo sic spondere. 6. *Dubit.* Si Christus Mediator absoluta necessitate naturae divinae nihil minus spondere potuit, quam mortem utramque quod ad essentiam, seu in specie & forma pro nobis & loco nostro subeundam; quae ratio solida afferri possit, cur inchoationem, gradus, consummationem utriusque mortis, cum quantitate extensiva, atque ex necessitate naturae divinae, usque ad minimum apicem ferre non debuerit, sicut peccatores ipsi in suis quique personis ea ferre debuissent. Si dicis, per compensationem & aequivalentiam illa omnia à Christo lata fuisse & suffecisse propter dignitatem personae; redit tum quaestio, Cur non suffecisset propter eandem dignitatem, si alias gravissimas passiones poenales tanquam Sponsor suscepisset loco nostro in anima & corpore pro nobis ad liberationem à debita utraque morte persolvendas. 7. *Dubit.* An Christus passiones numero pauciores, duratione breviores, quantitate minus intensas, & contractiores seu minus extensas, quod ad partes corporis, facultates animae, momenta & partes vitae in terris actae spondere, in se suscipere, ac ferre & sic satisfacere potuisset? Ad omnia haec dubia, & ad hypotheses ac problemata singula supra proposita siquis responderit, sic ut nihil in medio relinquat, aut nullibi haereat, rationibus insuper ex Scriptura adductis evidenter singula comprobet, indicato etiam ubique Ecclesiarum reformatarum & Doctorum contra haeterodoxos communi, aut saltem communiori consensu; utique me illi multum debere profitebor, & vestigia ejus tanquam ducis secuturum polliceor. Interim dum hoc exspecto, [pag. 251] absque ullius praejudicio hâc vice spectatorem agam, & veniam petam, si ingenio meo omnia aequè liquida & pervia hactenus non fuerint: praecipue cum antecessores non ita noverim, qui omnia & singula in terminis nunc proposita perspicuè in locis communibus suis, aut in controversiis determinaverint. Via trita meo judicio, via tuta. Sed eam nondum ostensam video in talibus problematis enodandis, quae praeter & extra fundamentales ac communi Ecclesiae consensu receptas theses, considerationi nostrae offeruntur. Ego profiteor me esse, & velle esse ex eorum numero, qui ab aliis discere parati sunt, & ex alienis meditationibus proficere deciderant.

4. Hactenus ad uberiorem controversiae de necessitate satisfactionis illustrationem, pro modulo occasionem & aliquem meditationum apparatum subministravimus.

mus. Accedamus nunc ad secundam controversiarum classem, quae circa quaestionem de Extensione meriti moveri, aut solent, aut possent. Extensio meriti spectatur dupliciter, objectivè vel subjectivè. Objectum meriti dupliciter dicitur *cui* & *cujus*, seu *pro quo*, & *quod* seu *propter quod*. Objectum *cui* seu *pro quo* Christus est meritus, nullum aliud potest cogitari quam Deus, homo, angelus, reliquae creaturae, ipse Christus. De *Deo*, nullum problema proponimus: cum *hujus disputationis parte prima* inter controversias principales numeraverimus, illam de Morte Christi inter nos & Remonstrantes, ubi disputant Christum suo merito seu satisfactione Deo jus seu facultatem acquisivisse de novo cum hominibus peccatoribus agendi, & foedus quodcunque cum iis ineundi. Quae opiniones, si modo detegantur, satis refutatae sunt. Sed ex abundanti debellatae sunt ab Antagonistis Remonstrantium, praesertim *Amesio contra Grevinckhovium*, & *in Coronide* & postremo *in refutatione Anti-synodalium Remonstranticorum*. Absurda consequentia, quibus per totam saniorum sermonum hypotyposin longè latèque Remonstrantica hujus secundi articuli defensio, grassatur, tanquam in tabellâ exhibet *Disputatio Vedelii super secundo articulo de morte Christi &c.* Confer quae habet in Opusculis *pag.* 80. edit. in 16. Quaeritur ergo de homine 1. *Probl.* An Christus pro omnibus & singulis hominibus mortuus sit; hoc est, pro omnibus & singulis tanquam Sponsor satisfactione & obedientia sua quidquam meruerit. *Resp.* Quid heterodoxi statuant, supra *disp. parte prima* indicatum fuit. Sed de Orthodoxis hic propriè agendum: qui non uno modo loquuntur. Sunt enim. 1. Qui universalitatem aliquam meriti, sed limitatam, admittunt; ut scil. tanto expeditius & tutius causam gratiae contra heterodoxos tueantur. In Belgio tale εὕρημα quis conceperat & amicis communicarat; quorum aliquos memini ex Orthodoxis factos, [pag. 252] rigidos Remonstrantes, ipso tamen Autore ad partes & coetus Remonstrantium non transeunte. Idem Vir eruditissimus publicè, me etiam inter alios praesente, stricturas hujus heurematis ostentârat coram Synodo Zuyd-Hollandicâ Leidensi, anno 1619. cum profiteretur gratiam quandam esse universalem, quandam resistibilem, quandam amissibilem. Sed profligato Remonstrantismo Anno 1619. quievit aut in spongiam incubuit consilium hoc syncretisticum, seu malè conciliata haec sententiarum conciliatio. Postea in illustri schola Bremensi, de universalitate aliqua mortis Christi (quod ad sufficientiam meriti) conceptus quidam propositi sunt. Opinio illa si inter nostram & Remonstranticam media non est, saltem tam longè ab illa non recedit ac nostra, quod ad hypotheses quasdam: ut videre est in *D. Conradi Bergii disp. de sufficientiâ & efficaciâ mortis Christi* 17. Julii & 21. Augusti in schola Bremensi habitâ, Anno 1641. & in *D. Ludov. Crocii Syntagmate Theolog.*, ejusdemque *dodecade dissertationum Apologeticarum pro syntagmate dissert.* 9. ubi defendunt per sufficientiam meriti Christi non denotari nudè *pretiositatem & valorem infinitum* in se, sed & *dilectionem quandam erga universum mundum, & beneficium aliquod actuale ex illa procedens:* Haec D. Bergii formalia verba disput. 2. thesi 1. 3. Huic opinioni favet *Joh. Crocius* Theol. Cassellanus *in comment. ad Titum* 2. *vers.* 12. 157. 160. Ubi vide. Denique in Galliâ alicubi simile placitum agitari coepit. Delineationem hujus opinionis si quis nosse cupiat, is adeat, *Spanhemii*, & *Reveti scripta:* ubi & *judicia Academiarum Belgicarum*, aliaque indicata inveniet. 2. *Sunt*, qui nullam universalitatem meriti Christi admittunt, sed distincte determinant Christum

pro

pro solis salvandis mortuum, iisque meritum esse; pro reliquis nec sufficienter, nec efficaciter mortuum esse, quippe nullo modo pro iis mortuum; nihilque loco ipsorum meritum esse, quippe qui vices eorum nullâ in re sustinuerit, nec ex intentione Dei ipsis datus Sponsor, nec illi vicissim ipsi dati sint. Quam sententiam solide evincunt *Amesius*, & *Gomarus* supra *laudati*, aliique Remonstrantium, Lutheranorum, & novae methodi *Antagonistae.* Vide *Piscatorem in Thesibus*, & *contra Vorstium*, *Altingium in problematis p.* 174. & *in Exegesi Augustanae confessionis pag.* 226. & *in syllabo controvers. Lutheranar. pag.* 237. *Censuram Profess. Leidens.* & *Antapologiam Isaaci Junii cap.* 9. *Bezam in colloq. Mompelgardensi. Eundem* & *Fayum in dispp.* Genevae editis anno 1591. pag. 129. *Twissum in Vindiciis pag.* 230. &c. *Combachium in disp. in schola Bremensi* habitâ Anno 1642. prid. Kal. Maji, *de praecipuis controversiis*, quae hodie in Ecclesia agitantur. *Resp. Reinh. Goebelio; Spanhemium in utroque scripto adversus Amyraldum.* 3. *Sunt* etiam ex nostris, qui distinctione adhibita admittunt sufficientiam meriti seu mortis [pag. 253] Christi, sed negant efficaciam: alii durius & magis ἀκυρολόγως concedunt, eum, sufficienter pro omnibus etiam reprobis mortuum, sed efficaciter seu efficienter tantum pro electis. Hanc distinctionem tanquam communem Scholasticorum & Pontificiorum (uti eam agnoscit & acriter defendit *Johannes Paulus Windek, cap.* 14.) *Beza loc. cit.* ἀκυρολογίας arguit, distinctione adhibitâ. Eandem *Augustino*, *Prospero Lombardo*, *Thomae, Calvino*, *Kimedoncio*, *Pareo*, (quos citat ibidem *Altingius*) & *Molineo in Anatome Arminianismi cap.* 24. usurpatam, *D. Altingius loc. cit.* benigne explicat, adhibita distinctione λύτρου Christi in se atque absolute, aut relate considerati; item sufficientiae mortis Christi in potentialem & actualem. Quae posterior distinctio huic negotio melius quadrare videtur. Sufficientiam aptitudinalem seu potentialem sic intelligendam & explicandam puto, ut non dicatur actu esse obedientia & mors Christi satisfactio, lutrum, meritum, omnibus & singulis praestitum est enim τό δέ τι, singulare, & cujus essentia singularis atque actualis in relatione consistit ad suum correlatum, debitores scil. illos, pro quibus ut Sponsor eorum persolvit); sed quod potuisset esse sufficiens pro omnibus & singulis, si Deus illud pro iis dare, & Christus pro iis & loco eorum praestare voluisset. In Christi vadimonio, lutro, & merito, non est actu potentia ac indifferentia, qualis à Philosophis statuitur in materia prima ad omnes formas: minime. Sunt enim illi dati à Patre, omnes redimendi, & ille vicissim iis datus. In rigore ergo si loquamur, admodum improprie & minus accuratè respondetur ad quaestionem propositam, Christum pro omnibus, hoc est etiam pro damnandis, & tunc actu damnatis, tanquam Sponsorem eorum vice & loco ipsorum mortuum, & consequenter meritum. Immo contradictionem implicat illa distinctio, pro omnibus sufficienter, pro salvandis seu electis efficienter seu efficaciter: uti exsertè ita judicant *Piscator in notis ad Vorstii amicam collationem sect.* 87. *Altingius in syllabo controvers. Lutheran. pag.* 23. *Diestius in disput. de Morte Christi.* Neque enim quaeritur de morte, lutro, merito Christi objective, in se, absolute, abstracte & in idea considerato; sed quaeritur de eo subjective, hic & nunc, & cum omnibus circumstantiis, cum Dei & Christi voluntate atque intentione, & cum relatione ad rem in individuo, quam merebatur, & ad personas quibus merebatur, & quarum Sponsorem se praestabat. Nec passiones & obedientia Christi materialiter hic spectantur, sed formaliter sub ratione lutri, meriti,

riti, satisfactionis; idque non vage, indefinitè, indeterminatè, universaliter, absolutè & in se, sed determinatè, definitè, singulariter, relate ad objecta sua, tum *cujus* seu *quod* h. e. ad ista & ista peccata, eorumque remissionem, & ad istas & istas vitae aeternae seu gloriae coronas, imo & ad istas [pag. 254] aureolas, ut & gratias justificantes proportionaliter impetrandas, acquirendas; tum *cui* seu *pro quo*, aut loco cujus. Relata Sponsoris seu vadis, & ejus, pro quo vadimonium oblatum aut obitum, *πρὸς ἀντιστρέφοντα λέγονται*, id est, sunt reciproca & adaequata: sicuti & relata meriti ac praemii; ita ut certa haec Christi merita sint istorum certorum praemiorum primum sibi tanquam capiti & *πρωτεύοντι*, deinde & singulis salvandis tanquam membris suis conferendorum; & haec praemia sint istorum meritorum: quomodo in aliis omnibus relatis haec uxor est hujus mariti, hic filius hujus patris, & vice versa. Addi hic posset simili fere methodo & *συγκαταβάσει* incrustari posse distinctiones Doctorum Hypotheticorum, voluntatis scil. antecedentis & consequentis, gratiae sufficientis & efficacis &c. ut scil. gratia regenerationis, vacationis, conversionis salutaris dicatur sufficienter a Christo impetrata pro omnibus, efficienter vero pro solis electis. Praestat ergo ab ejusmodi phrasibus abstinere, ne occasionem demus hodiernae novae methodi (uti vocant) fautoribus, talia opinioni suae praetendendi. Nos repetimus distinctionem nostram, inter materiam seu *τὸ* materiale meriti, quod etiam subjectum substratum dici posset (quod est mors & obedientia Christi), & inter formam seu *τὸ* formale. Illud dicimus, in se spectatum esse sufficiens: istud vero in ordine ad damnatos & damnandos negamus esse sufficiens, immo esse aliquid. Rursum distinguimus inter sufficientiam aptitudinalem & actualem: & inter possibile absolutè & hypotheticè; quorum illud concedimus, istud negamus: inter *τὸ* potuisset obedientia Christi fuisse sufficiens pro omnibus, si Deus & Christus Mediator voluissent pro damnandis seu reprobis eam praestari, & gratiam salutarem ac gloriam iis acquirere; atque inter *τὸ* obedientia seu passio Christi est sufficiens pro omnibus. *Prius Aff. Poster. Neg.* Sicut haec duo distinguuntur: potuissent 12. legiones angelorum sufficere ad Christum liberandum; vel potuissent 12. legiones dari ad Christum sufficienter liberandum, si Deus voluisset: Et 12. legiones destinatae & datae sunt à Deo ad Christum sufficienter liberandum, non tamen efficienter: Vel legiones 12. angelorum ex intentione Dei fuerunt Christo, vel pro Christi liberatione, datae sufficienter, sed non efficaciter. Quorum prius verum est *Matth.* 26. 53. posterius falsum. Vide quaeso & confer *Amesium in Coronide pag.* 102. & 120. edit. in 8. Pontificiis universalitatem & sufficientiam actualem meriti Christi respectu singulorum hominum asserentibus, sub distinctione inter valorem seu dignitatem & inter meritum, alibi ipsis usurpatâ (de quâ supra *thesi* 2. *probl.* 14.), respondere possemus, Passionis & obedientiae Christi in se spectatae dignitatem & valorem infinitum & consequenter sufficientem à nobis agnosci; sed [pag. 255] non meritum, aut lutrum. Et quotiescunque de merito aut lutro in ordine ad damnandos & damnatos quaeritur, nos nullum tale cum Scripturis agnoscere, & consequenter nec sufficiens: cujus enim nulla est entitas, ejus nulla est sufficientia; cum non entis nulla sit affectio. Rursum possibilitatem absolutam sufficientiae illis concedimus (neque enim implicat, si Deus pro omnibus sufficere & Christum Sponsorem dare voluisset) sed hypotheticam ex praesuppositione decreti & intentionis divinae, negamus. Nihil ultra in gratiam eorum, aut quorumcunque dissidentium

 hic

hic concedendum; ut scil. tanto minus odiosus sit rigor nostrae sententiae, aut ut hâc methodo facilius & tutius adversarios refutemus. Frustra talem in phrasi, *συγκατάβασιν*, aut talem methodum à nonnullis nostrorum adhibitam, ex unico libro *Joh. Windek* (ut alios nunc praeteream) cognosci potest: ubi *cap.* 12. stupendam blasphemiam vocat, assertionem de Christo non mortuo pro omnium salute; ejus reos peragit *Lutherum*, *Melanthonem*, *Bucerum*, *Calvinum*, *Bezam*, *Musculum*, *Boquinum*, *Johan. Jacobum Grynaeum*, *Tossanum*, *Pareum*, *Zanchium*, *Kimedontium*. Ejus fundamentum facit (*cap.* 14.) absolutam Dei voluntatem, & fixum praedestinationis decretum, ordinationemque causarum secundarum fatali & inevitabili necessitate cohaerentium. Cui opponit fundamenta sententiae Pontificiae, de praedestinatione ex praevisione; Oppositi aut non oppositi obicis divinae vocationi; deque voluntate antecedente seu conditionatâ, & consequente. Addere debuisset, distinctionem praescientiae Dei, in absolutam & conditionatam futurorum contingentium; adhaec distinctionem gratiae in sufficientem & efficacem. Idem *cap.* 15. emollitiones (ita loquar) sive phrasios & modi loquendi, sive ipsius assertionis, quas à nostris adhibitas dicit, tanquam imposturas & fraudes, & tanquam contradictiones (*cap.* 17. & 20.) furores, & spiritus vertiginis; nec non fidei frequentes variationis (*cap.* 18. & 19.) vehementer exagitat.

PROBLEMATUM DE MERITO CHRISTI

PARS TERTIA.[1]

1. *Probl.* Quid statuendum de isto *Achille vero & invicto pro gratiâ universali* à quibusdam Theologis alicubi defensâ, quem hoc titulo proponit & reponit Paulus Testardus in postremo scripto cui tit. De naturâ & gratiâ *τετάρται φροντίδες* A. 1649. in 8. p. 101. 103. [pag. 256]

„*Quidquid omnes & singuli homines aut tenentur credere, aut teneri possunt cre*„*dere sub poena incredulitatis in Euangelio denuntiatâ; illud verum est.*

„*Atqui omnes & singuli homines tenentur, aut teneri possunt* (Euangelio videlicet „illis praedicato, quod est omnibus & singulis, *seu omni creaturae humanae* natura „sua praedicabile) *credere sub poenâ incredulitatis denuntiatâ, Deum velle eos sal*„*vos fieri, & Christum pro iis esse mortuum, ut sublato justitiae per ejus sacrificium* „*rigore, possent ad salutem per viam fidei & resipiscentiae vocari, & sese ei commit*„*tentes ac totos credentes possint servari.*

„Ergo *Verum est Deum velle omnes & singulos salvos fieri, & Christum pro iis* „*esse mortuum, ut &c.*

Resp. Argumenti hujus vitium & infirmitas ante hac ostensa est, à *Perkinso in libello de Praedestinatione*, *Gomaro in* eruditissimâ *disp. de Morte Christi: Amesio in refutat. anti-synodal. Remonstr. ad artic.* 2. *cap.* 5.; Et *ad finem Medullae; Piscatore contra Vorstium*, *Baronio in Philosophiâ Theologiae ancillante Exercit.* 3. *artic.* 25.; *Wendelino lib.* 1. *cap.* 17. *Twisso in Vindiciis lib.* 2. *part.* 4. *sect.* 18. 21. *Diestio in disp. super quaestione, An Christus pro omnibus sit mortuus*, anno 1641.; etiam à *me in scripto vernaculo* anno 1628. *contra libellum Tileni* ex Gallicâ in linguam nostratem traductum. *Spanhemius* idem abundè docere potuisset gratiae universalis defen-

[1]) *Resp.* Andrea Posthumio, Medenbl.-Batav. *Ad diem* 3 *Julii*, *Anno* 1650.

defensores, in *Exercitationibus de gratiâ universali pag.* 1557. *usque pag.* 1587. Qui cit. ibidem socium in hâc palaestrâ *Rhetorfortem. Idem in Vindiciis pro Exercitationibus pag.* 183. 375. 363. 361. nonnulla denuo inculcat, per quae praesumtus iste Achilles planè delumbatus mihi videtur: ita ut iis quae à Theologis nostris bene responsa Remonstrantibus, & à *Spanhemio* hodiernis universalis gratiae patronis bene adaptata fuerunt, ne verbum quidem addere necesse sit. Sed quia visum fuit *autori modo cit.* idem sophisma, seu potius paralogismum eundem paululum mutato (uti videtur) schemate in acie collocare, non gravabimur ad abundantem cautelam eum denuò exuere. *Resp.* ergo I. ad formam argumenti, esse merum paralogismum, non syllogismum formalem; quia termini non inferuntur in conclusionem, ut erant positi in praemissis: quod sic ostendo, Quaestio est, An Deus velit omnium & singulorum hominum salutem & an Christus secundum illam voluntatem pro omnibus & singulis sit mortuus. Thesis affirmans, quod ad utrumque membrum, est Testardi, & eorum, quos ibidem laudat ὁμοψήφους. Haec ergo iisdem terminis constituat conclusionem; absque ullâ mutatione enunciationis purae in modalem: uti in omnibus quaestionibus Theologicis fieri solet, ex. gr. an opera justificent, an Christus sit Deus, An eadem caro sit resurrectura &c. Suspectum enim reddit se hoc argumentum, quod nunquam purè proponitur. Sed transeat [pag. 257] nunc schema modale, quo solo videtur Achilles noster, in acie comparere posse. Provocavimus antehac Remonstrantes, ut quaestionem controversam sive puro, sive modali (cujus conclusio constat dicto & modo) sive reali, sive nationali syllogismo concluderent; sic ut non committerent coccysmum, aut battologiam, aut petitionem ejus, quod est in quaestione. Hactenus ab *Arminio* & Remonstrantibus hoc tentatum, sed frustra: semper enim aut mutare genus praedicationis, & terminos *pro se* (*pro iis*, ait Testardus,) cum termino seu phrasi *pro omnibus ac singulis hominibus* adhibere, ac inter se confundere, & consequenter syllogismum quatuor pedibus currentem parturire deprehensi sunt: 1. *Christum pro se mortuum*, in minori seu subsumtione. 2. *Christum pro omnibus & singulis hominibus mortuum in conclusione.* 3. *Quod omnes & singuli tenentur credere*, in majore & minori. 4. *Verum est*, in majori & conclusione. Quod Testardus hunc Achillem infeliciter formatum, reformare videtur, medio termino disjunctivè proposito & per assumentum, (*aut possunt teneri credere*) extenso, id ab antiquo paralogismo ipsum non liberat: recidit enim in mutationem terminorum, & sic in syllogismum quadrupedem, qui hoc modo in formâ proponitur:

Quidquid omnes & singuli homines tenentur, aut possunt teneri credere &c. id verum est:

Atqui Christum *pro se* aut *pro iis* mortuum, omnes & singuli tenentur aut possunt teneri credere, &c.

Ergo Christum *pro omnibus & singulis* mortuum esse, verum est.

Vides Achillem quatuor terminorum. Habes enim duos in conclusione: & praeter illos in praemissis alios duos, 1. *Omnes & singuli homines tenentur, aut possunt teneri credere.* 2. *Christum pro se aut pro iis mortuum esse.* Ad materiam ex abundanti optime responderi potest, negando minorem, & sic hactenus à *Gomaro aliisque supra cit.* ac nuperrimè à *Spanhemio* responsum est; qui insuper probationem adjecerunt, quamvis minimè tenerentur; Et *nos in disp. de Praxi Fidei* ostendimus, neminem nisi actu resipiscentem atque actu directo fidei credentem in Christum,

actu

actu reflexio fidei specialis applicantis posse aut debere concludere, Christum pro se mortuum, aut se Deo reconciliatum, aut justificatum esse. Et hac ratione expedimus nos à sophismate *Bellarmini*, & *Remonstrantium in Apologia*, quo objectum fidei specialis (quod mihi aut tibi scil. sunt remissa peccata) ejusque certitudinem subvertere conantur. Minorem rectè negatam, ne quidem verbulo probare conatur Testardus, nedum ut explicationem ac probationem à Spanhemio additam infringeret, sed causae apertè desertae his verbis solummodo valedicit: *Quod Evangelii verbis*, & [pag. 258] *oeconomiae secundum quam Deus iram suam denuntiat incredulis*, *quadret*, *judicent alii*. Tria ergo nobis debet Testardus, 1, ut ad formam syllogisticam Achillem suum redigat: quod aliter fieri non potest, quam sic eum instruendo:

Quicquid omnes & singuli tenentur aut possunt teneri credere, sub poena &c.; id verum est:

Sed Christum pro omnibus & singulis esse mortuum, omnes & singuli tenentur, aut possunt teneri credere sub poena incredulitatis in Euangelio denuntiata.

Ergo Christum pro omnibus & singulis esse mortuum, verum est:

Jam demum in figura & modo, tribus terminis modaliter concluditur. Minus extremum est: *Christum pro omnibus & singulis esse mortuum.* Majus extremum est: *Verum est:* Medius terminus est: *Quia omnes & singuli tenentur aut possunt teneri &c. hoc credere.* Hoc si praestiterit, uti praestare debet, quis non videt esse negandam minorem: quin immo vix aliud esse hoc argumentum, quam coccysmum, aut battologiam, Christus pro omnibus & singulis est mortuus; quia verum est eum esse sic mortuum: & rursum, verum est, eum esse sic mortuum; quia homines hoc tenentur credere: Denique verum est eos teneri ad credendum, quia hoc Euangelio traditur. Hic terminus esto. Hoc ipsum est κρινόμενον. Ubi hoc traditur Euangelio? 2. *Quod* nobis debet est, ut minoram Achillis sive paralogisticè sive syllogisticè in forma propositi probet. Affirmanti enim & oppugnanti incumbit probatio: atqui nulla vel umbra probationis hic comparet: 3. *Quod* nobis debet Testardus supra Remonstrantes aliosque heterodoxos hoc Achille pugnantes, est probatio majoris: quam, ut ab ipso interpolata est, directè & confidenter negamus, ratione novi assumenti illius. Quod omnes illi quibus non fuit revelatum aut quibus nunquam est revelandum, possunt teneri credere (siquidem ipsis à Deo revelaretur) illud verum est. Nihil absurdius dici potest. Sexcentis instantiis & exceptionibus infelix hoc commentum facile profligatur. Unam solummodo atque alteram affero, ut videant absurdorum labyrinthos. Se esse electos, & Christum sibi promeritum esse gratiam regenerationis & fidei, atque adeo se Deo reconciliatos, se salvandos &c. omnes & singuli homines, etiam damnati in inferno, possunt teneri credere (Euangelio scil. hoc ipsis praedicato, quod omnibus sua natura est praedicabile, quamvis ex hypothesi decreti divini ipsis praedicandum non sit, nec praedicari possit:) Ergo verum est omnes & singulos homines esse electos, ipsis à Christo impetratam regenerationis gratiam, ipsos esse Deo reconciliatos &c. Altera haec est. Quod omnes & singuli possunt teneri credere, [pag. 259] siquidem Deus ipsis revelaret, illud verum est: Sed omnes & singuli possunt teneri credere, (siquidem Deus hoc ipsis revelaret, sicuti Abrahamo *Genes.* 22.) à se legitimè posse ac debere occidi innocentes filios suos (est enim tale mandatnm sua natura omnibus revelabile:) Ergo verum est ab omnibus

omnibus & singulis hominibus innocentes filios legitimè posse ac debere occidi. Rursum, Quod omnes & singuli possunt teneri credere, hoc verum est: Sed se esse divinos Prophetas, per propheticum raptum ac lumen de rebus futuris divinitus edoctos, omnes & singuli homines possunt teneri credere, lumine scil. prophetico ipsis infuso, quod sua natura omnibus infundi potest: Ergo verum est omnes & singulos homines esse divinos Prophetas, seu omnibus lumen tale infusum esse.

Quod omnes & singuli captivi, in captivitate & servitute Turcicâ mortui, possunt teneri credere, hoc verum est.

Sed omnes & singuli captivi in servitute Turcicâ mortui possunt teneri credere, siquidem Deus ipsis revelaret (sicuti suâ naturâ omnibus illis & singulis revelari potest) Deum velle eos à captivitate liberari, & lutrum pro iis esse solutum, ut ita possent quique in patriam ad suos redire, ibique suo tempore mori.

Ergo verum est. Deum velle omnes & singulos illos liberari, & lutrum pro iis esse solutum, ut possent quique in Patriam ad suos redire, ibique suo tempore mori.

Breviter ne talibus accumulandis chartam & lectorem fatigem, malè consequentia ducitur ab absolute possibili ente aut vero, ad ens seu actuale esse, aut verum: & rursum à veritate connexionis terminorum, ad veritatem rei seu in re. Veritas enim connexionis potest esse non tantum ubi antecedens aut consequens de facto nec verum nec ens est, sed etiam ubi ex hypothesi impossibile est; immo ubi absolutè & simpliciter impossibile est. *Primi* exemplum est, omnes possunt teneri credere plures esse mundos, siquidem Deus plures fecisset & hoc hujus mundi hominibus revelasset: sunt enim plures mundi factibiles, & hoc sua natura omnibus hominibus est revelabile. Sed inde non sequitur existentia & veritas plurium mundorum. Vel sic. Omnes & singuli possunt teneri credere, se esse reges, aut principes, aut equites, aut divites, aut doctos &c. siquidem Deus ipsis hoc revelaret, & tales faceret. Sed quis aureum somnium inde sibi dictaret, de vero regno suo, de verâ nobilitate, de divitiis suis. *Secundi* exemplum est, omnes possunt teneri credere reprobos aliquos salvandos, & electos aliquos damnandos, siquidem illi resipiscerent & crederent, & isti in finali impoenitentia & infidelitate perstarent, & Deus hoc omnibus & singulis hominibus revelaret. Hinc tamen non sequitur [pag. 260] verum esse, reprobos salvandos & electos damnandos. *Tertii* exemplum est, omnes possunt teneri credere, Christum, hoc est, filium, Dei & ὁμοούσιον cum ipso Deum, esse mendacem, siquidem negaret se Patrem suum nosse, (*Johann.* 8. 55.) & Deus hanc negationem omnibus revelaret. Ex hac tamen connexione minimè sequitur Christum de facto esse mendacem, & hoc verum esse. Absit, absit. Quamvis enim vera sit connexio conditionalis, inter antecedens & consequens; & consequenter hoc naturâ suâ à Deo revelabile sit, immo & actu revelatum Christo secundum naturam humanam, & actu ab eodem enuntiatum: nulla tamen hic est veritas nec actualis nec etiam possibilis antecedentis aut consequentis. Est inconcussa haec regula logicorum, *conditionalis nihil ponit in esse.* His ita dictis, alia insuper specialis instantia contra majoris universalem veritatem adferri posset, Quod scil. omnibus & singulis hominibus Euangelium sua natura non sit praedicabile, ut ex eo possint teneri credere, Christum pro se esse mortuum: quia non est predicabile infantibus in utero matris aut statim à nativitate exstinctis. Sed sufficienter absurdum hoc phantasma abactum est, & quidem ex superabundanti: cum autoribus & admiratoribus ipsius, non nobis, onus

onus probationis incumbat. Unum hic moneo me negare majorem; ut à Testardo, non vero ut ab *Arminio contra Perkinsum* proposita fuit, hoc modo: Quod omnes tenentur credere (fide scil. divina,) hoc verum est. Hanc enim verissimam esse, & malè à non nemine ex nostris aliquando negatam sentio. Vide *Amesii disp. de Fidei divinae veritate*, *Medullae* ipsius subjectam. Confer & *Wendelinum lib.* 1. *cap.* 17. Contra *Amesianam Disputationem* ab ipsius antagonistâ, postea excipi non potuit, quin admitteret hanc assertionem, Quod Deus possit praecipere mendacium, etiam quodvis aliud peccatum ex. gr. odium sui &c. De quo quid statuendum sit, diximus in *Disput. de Jure & Justitia Dei*. Perkinsus objectionem hâc formâ proposuerat:

„Quod quisque tenetur credere, verum est.

„At quisque tenetur credere se efficaciter redemptum esse per Christum.

„Ergo verum est unumquemque morte Christi efficaciter redemptum esse; & propterea reprobos quoque, cum & illi hoc credere teneantur.

Arminius in examine libelli Perkinsiani dicit majoris veritatem esse manife„stam; in quo illi assentimur. Sed minorem malè esse enuntiatam: corrigatur ergo, „inquit, (pag. 202. edit. in 8) & ita dicatur: *At tenetur unusquisque credere in „Christum Salvatorem, quod ille ipsius causâ mortuus sit, & reconciliationem illi „apud Deum redemtionemque impetraverit.* Hoc etiam est verissimum. Atqui hoc „non est verissimum, vel ipso Arminio [pag. 261] mox confitente pag. 204. Re„spondes, *argumentum bis sequitur in utrâque parte affirmatum.* At mi Perkinse, „quis te coëgit argumentum illud ita in syllogismum asyllogiston redigere, cum „possit legitimâ figurâ & modo concludi, hoc pacto. *Illud quod quisque tenetur cre„dere, verum est. At Christum esse Redemtorem suum, qui suâ morte ipsi meruerit „Patris gratiam & veniam peccatorum, est illud quod quisque Euangelio vocatus te„netur credere. Ergo verum est Christum esse redemtorem omnium, qui Euangelio „vocantur, & credere jubentur. At inter eos multi sunt reprobi. Ergo verum est „Christum esse Redemtorem multorum reproborum.* &c. Sed & illa forma, quâ tu illud conclusisti, eadem est, licet ita posueris verba, ut secus videatur. Sed quomodocunque transformet argumentum est tamen asyllogiston. 1. *Quia* termini quaestionis controversae non constituunt argumenti conclusionem. Haec enim est quaestio, *An Christus pro omnibus & singulis sit mortuus;* seu, *An omnibus & singulis morte suâ meruerit Patris gratiam*, &c. Arminius vero sustinuit τῷ *omnibus & singulis hominibus*, τὸ *omnibus Euangelio vocatis*. 2. Quia termini non inferuntur in conclusionem, ut erant positi in praemissis: & consequenter sunt quatuor termini. In minore enim est: *Christum esse Redemtorem suum.* Quod in conclusione sic mutatur: *Christum esse Redemtorem omnium, qui Euangelio vocantur.* Quod si dicat quis, hoc idem esse, Credit Titius esse eum *Redemtorem suum: &. credit eum esse Redemtorem omnium hominum*, aut, *omnium, qui Euangelio vocantur*. Regero minime esse idem. Illic enim objectum proprium fidei specialis seu applicantis in Titio, est Christus quà Redemtor Titii, seu redemtio Titii per Christum. Hic vero objectum fidei generalis est Christus Redemtor omnium internè atque efficaciter vocatorum: qualis etiam suo modo potest esse in damnatis; immo & in daemonibus. Sed si cum Arminio intelligas fidem de redemtione omnium, quibus externè praedicatur Euangelium, illam dicimus esse simpliciter falsam: Neque enim hoc absolutè, aut immediatè & primo fide speciali applicante debent credere; sed hypotheticè

&

& positis ponendis (si scil. prius resipiscant, desiderent gratiam, apprehendat Christum ut suum Servatorem actu fidei directo *Matth.* 11. 28. *Joh.* 7. 37.), & sic mediatè ac consequenter. De quo in *disp. de Praxi Fidei.*

2. III. *Probl.* An Christus meritus sit damnatis, aut totalem liberationem à poena, aut saltem aliquam poenae remissionem. *Resp.* Supra inter controversias principales, hanc & quidem merito numerabamus. Hic addimus quod ad prius membrum, communiter quidem negari à *Scholasticis* cum *Thoma* 3. *quaest.* 52. *artic.* 4. Sed argumentum de suffragiis pro quibusvis mortuis, quod opponit *Medina*, & decantata historia seu fabula [pag. 262] de anima Trajani ex inferno liberata, difficultatem ipsis parit. Similiter quod ad secundum membrum, non levis difficultas ipsis exurgit ex *missali antiquo* (supra nobis cit.) ubi Missa pro defuncto, de cujus statu dubitatur. Confer supra *part.* 1. *thesin* 4. IV. *Probl.* An meritus sit infantibus, sine baptismo discedentibus? *Resp.* Infantes hic intelligimus foederatorum: De quibus mota quaestio, ad controversias principales rejicienda. *Negant Pontificii* communiter cum *Thoma ad* 3. *quaest.* 52. *artic.* 7. Christum aliquos infantes sub Vet. Test. cum peccato originali mortuos ex inferno liberasse. Hodie communiter fere omissa fabulâ de limbo infantum, omnes ejusmodi infantes aeternis inferni cruciatibus adjudicant, & huic opinioni subscripserunt ante paucos annos Theologi Lovanienses & Duaceni, uti refert libellus Lovanii anno 1641. editus tit. *Querimonia Jacobi Zegeri &c. pag.* 61. Sed haec opinio alibi excutienda. Sufficit hic propter affinitatem materiae indicasse. Interim videantur *Antagonistae Pontificiorum, in quaestionibus, de Limbo, de Baptismi necessitate.* V. *Probl.* An Christus meritus sit Angelis? *Resp.* 1. *Concl.* De Angelis malis hodie (quod sciam) nulla est quaestio: & supra rejecimus aeternum illud Euangelium Origenis (siquidem haec fuerit ejus sententia) diabolis & damnatis post diem judicii praedicandum ad salutem. Ad quaestionem quam hic movent *Scholastici ad* 1. *qu.* 65. *art.* 2. cur Deus tempus & auxilium ad poenitentiam non concesserit, tutò & solidè responderi censemus, Quia non voluit: uti colligimus ex supremâ & absolutâ libertate, potestate, dominio Dei; quae inculcat Apostolus *Rom.* 9. *v.* 18. 20. & 11. *v.* 35. *Eph.* 1. *v.* 11. Et Servator *Matth.* 11. *vers.* 27. Haec indubitata axiomata etiam ratione, & ex lumine naturali contra omnes adversarios satis superque defendi possunt. Rationem discriminis, *Thomas loc. cit.* cum sequacibus suis hanc obtendit, quod Angelus suâ naturâ inflexibilis sit & fixè ac immobiliter adhaereat ei, quod semel elegit, ita ut electio ab illo semel facta mutari non possit: cujus ratio sit, quod voluntas moveatur ab intellectu seu judicio practico; atqui judicium Angeli nunquam mutari potest (est enim sine discursu), ergo nec electio voluntatis. Sed has male consutas consequentias refutant *Scotus, Durandus, Bonaventura, Richardus &c.* Et ex recentioribus *Becanus part.* 1. *Theol. Schol. tom.* 1. *tract.* 3. *c.* 4. *qu.* 12. Rationem aliam comminiscitur *Salmeron*, Quod Deus diu invitaverit Angelos lapsos ad poenitentiam, antequam eos è coelo ejiceret. Sed eam merito rejicit *Arriaga dispp. in* 1. *Thomae tom.* 2. *disp.* 25. *sect.* 1. Et *Zuarez. in tract. de Angelis ib. cit.* Alii ex tribus his ajunt confici unam rationem, scil. ex brevissimâ morâ viae Angelicae; ex aliquâ difficultate, in eo quod resipiscant, & ex eo quod Deus non dedit ipsis uberiora auxilia. Sed Arriaga loc. cit. de his judicat, [pag. 263] quod in hoc puncto se non satis determinent, & valdè obscurè loquantur. Hinc ipse sic concludit: *Melius ergo absolutè in Dei*

vo-

voluntatem id reducitur; possunt autem congruentiae accipi ex eâ brevitate temporis, & aliquâ pertinaciâ voluntatis Angelicae. Prius nos probamus; posterius Autori suo relinquimus, Becanus cap. cit. quaest. 11. simpliciter: *Quia Deus non dedit illis tempus & auxilium ad agendam poenitentiam.* Quidquid alii ex Pontificiis praeter Dei beneplacitum allegare conantur, huc tendit ne liberum arbitrium, misericordiam & gratiam conditionatam, meritum de congruo, & similes suas hypotheses cogantur deserere. Rationes quae afferuntur à Patribus recenset quidem *Becanus cap.* 11. sed ne verbulo quidem probat aut improbat. Sunt autem istae, 1. Quia Angelus suâ sponte, non alio suadente. 2. ex malitiâ peccavit: 3. Peccante uno homine periit tota natura humana, non autem peccante Angelo, periit tota natura Angelica. Istius generis congruentias sive conjecturas si qnis suas facere velit, fruatur suo judicio: ego fruar meo; in quo tuto acquiescere, & quod contra omnes adversarios certissimè defendere possum; quodque liberam & omnimodam Dei gratiam ac misericordiam, unâ cum absolutâ & summâ ipsius potestate evidentissimè vindicat, & majori ac fortiori vinculo ad gratitudinem nos astringit. 2. *Concl.* Christus non meritus est Angelis bonis gratiam aut gloriam. Sic plerique *Scholastici* cum *Thoma in* 3. *dist.* 13. Disputant vulgò de hac quaestione *ad* 3. *quaest.* 19. *art.* 4. Sunt, qui eandem attingunt in *tract. de Angelis*, inter quos *Becanus in Theol. Scholast. part.* 1. *part.* 3. *cap.* 2. *quaest.* 4. *Zwarez* tamen pro contrariâ sententiâ ex professo disputat *ad* 3. *quaest.* 12. *artic.* 4. *tom.* 1. *disp.* 42. *sect.* 1. & pro se citat *Thomam, Albertum, Catharinum, Galatinum, Arboream, Viguerium, Jac. de Valentia, Naclantum, Melchiorem Flavium.* Ibidem tamen pag. 656. sic loquitur: *Et quanquam (ut verum fatear) neque ex Scripturis sacris, neque ex sanctis Patribus possit haec sententia efficaciter convinci, possunt tamen ex illis adduci non contemnendae conjecturae, quae conjunctae cum iis, quae de Christi praedestinatione in superioribus dicta sunt, eam valde probabilem ostendunt.* Stramineas probationes videat ibi, cui vacat, aut epitomen earum apud *Becanum part.* 1. *Theolog. Scholast. tom.* 1. *tract.* 3. *c. cap.* 2. *quaest.* 4. Alias quasdam rationes refutat *Gomarus in Coloss.* 1. *vers.* 20. Sunt etiam ex nostris, qui cum distinctione Christum faciunt Mediatorem Angelorum. Sed de hac opinione conclusione sequenti. Inter novos Photinianos *Volkelius Instit. lib.* 5. *cap.* 10. *p.* 448. 449. Angelos hominibus fidelibus per Christum Dominum & caput à dominio peccati liberatis, sine ulla distinctione accenset. Sed haec opinio nullo Scripturae testimonio probari potest. 3. *Concl.* Quod ad specialem gratiam confirmationis, nec non [pag. 264] gratiam applicationis, & praemotionis, eam ex liberali, immerito, & libero Dei beneplacito iis collatam, secundum Scripturas affirmamus. Ratio nostra haec unica est & sufficientissima, Quià Scriptura hoc factum esse nullibi docet: quamvis nolimus determinare contra rei possibilitatem. Affirmantibus hic incumbit probatio. Sunt ex nostris, qui affirmant; inter quos *Tilenus pag.* 2. *Syntagm. cap.* 10. *Polanus lib.* 6. *cap.* 27. *Davenantius in Coloss.* 1. 20. & *Waleus in Synopsi Leidensi disp.* 12. *Daneus in* 1. *Thimoth.* 5. *vers.* 21. ubi etiam pro se citat *Augustinum in Enchirid. cap.* 28. *Bernardum in Cantic. serm.* 22. &c. *Thomam* 1. *quaest.* 23. *artic.* 1. Sed nos cum *Gomaro in Coloss.* 1. neganti insistimus. Rationum, quas *Waleus loco citat.* adducit, solutionem in ipsum disputationis exercitium reservamus. Interim consuli potest *Gomarus loco citato.* Quod autem *Daneus loc. citat., Augustini Enchiridion. cap.* 28. pro suâ sententiâ alle-

allegat, id lapsu memoriae, aut παροράματι scriptionis factum arbitror: nam in *loco citat. Augustini* ne γρῦ quidem comparet; nec ipse *Daneus in commentariis suis ibid.* hanc opinionem asserit. 4. *Concl.* Christus non meruit gratiam illam reconciliationis, per quam aliquomodo Angeli dicantur Deo reconciliati esse, non in se, sed in toto corpore; quod antea in toto corpore Ecclesiae una cum hominibus ante Christi reconciliationem Deo capiti non ita arctè & firmiter adhaeserint, nec cum eo conjuncti fuerint: nullum enim tale meritum, nulla talis gratia per Mediatorem collata, nulla arctior & firmior adhaesio post reconciliationem Christi praestitam in Scriptura comparet. Explicatur illa quidem perspicuè à *Rolloco in Coloss*. 1. sed ex Scripturâ non probatur. 5. *Concl.* Christus Mediator non meritus est Angelis aliquarum rerum seu mysteriorum revelationem; ut vult *Becanus part.* 1. *Theol. Scholast. tract.* 1. *cap.* 14. *quaest.* 9. Nusquam tale quid in Scriptura comparet. Quod à *Becano* ex *Jesa.* 63. *v.* 1. argumentum adducitur, inter ridicula nugamenta, non inter argumenta numerandum est: non enim ibi agitur de Angelis; quamvis hoc putet *Thomas in* 1. *quaest.* 57. *artic.* 4. Alterum quod ab eodem adfertur ex *Ephes.* 3. 8. Nihil aliud infert (vel ipso ibidem judice) quam augmentum scientiae Angelorum per praedicationem Apostolicam. Atqui hic quaestio est, an aliquid scientiae acceperint per & propter meritum Christi; non vero, per quid acceperint, an per praedicationem Apostolorum necne. VI. *Probl.* An Christus meritus sit creaturis irrationalibus. *Resp.* Videtur ex antiquis *Theodoretus* meritum & reconciliationem Christi huc usque extendere in *commentar. ad Ephes.* 1. 10. *Hebr.* 2. 9. Sed distinguenda est cum *Gomaro ad Coloss.* 1. 20. *pag.* 223. pacificatio & reconciliatio cum Deo, & meritum Christi hoc directè efficiens, ab effectis [pag. 265] seu consequentibus quibusdam, qualis ex. gr. liberatio creaturarum à vanitate & servitute corruptionis: quod ad nos scil., & quatenus usibus nostris inserviunt. Quo refer *Rom.* 8. *v.* 19. 22. *Hoseae.* 2. *v.* 18. 20. 21. 22. 1. *Corinth.* 3. 21. 22. 23. Sed inde non potest inferri Christum mortuum fuisse & legem implevisse pro omnibus creaturis vanitati subjectis, aut illis liberationem meritum esse, sed potius electis suis, quorum sunt omnia in Christo & per Christum 1. *Corinth.* 3. 20. 11. *Tim.* 4. *vers.* 4. 5. *Tit.* 1. 15. *Davenantius in commentar. ad Coloss.* 1. *vers.* 20. dicit τὰ *omnia* reconciliata per sanguinem Christi accipi posse de hominibus *proprie*, tollendo ipsorum peccata & iram Dei; de Angelis *analogicè*, tollendo possibilitatem labendi & incurrendi iram divinam; de universi hac fabrica *methaphoricè*, liberando à servitute corruptionis, & restituendo nativae suae integritati & pulchritudini. Sed ob locum *Coloss.* 1. 20. non est quod distinctiones tales advocemus: simplex enim & plana ejus interpretatio quam habent *Piscator*, *Gomarus &c.* de electis Ecclesiae triumphantis & militantis membris, analogiae contextus & totius Scripturae optimè convenit. Adhaec meriti pro nobis (id est loco nostro, à Sponsore ac Mediatore praestiti,) consequens usus & effectus ad alias creaturas extendi potest, per reflexionem quandam sed tantum in ordine ad electos redemtos: ita ut Christus pro aliis creaturis mortuus, aut iis quid meritus dici non possit, quia earum Sponsor, Mediator, Redemtor non est, nec iis à Deo datus est, nec vicissim illae ipsi à Deo datae sint, pro quibus se sanctificaret. Ut verbo absolvam, sunt creaturae illae occasio & materia in quibus & in quarum usu exserit se temporalis favor Dei erga fideles, tanquam consequens & effectum secundarium meriti Christi: sed minime sunt objectum cui: de quo hic quaeritur.

3.

3. VII. *Probl.* An Christus sibi quidquam sit meritus? *Resp.* In affirmante sententia nihil absurdi videmus: cum Christus legem impleverit, & perfecta obedientia jus vitae sibi acquisiverit juxta formulam legis *Levitic.* 18. coll. cum *Gal.* 3. Qui fecerit ea, vivet &c. Tenent hanc *Bullingerus in Apocal. serm.* 27. & 28. *Zanchius in praefat. ad confessionem*, *Piscator in expositione symboli*, & *in Philipp.* 2. *vers* 9. *Ravenspergerus in Florilegio Theolog. pag.* 168. *Turretinus* & *Cloppenburgius in disp. de Christo Servatore* Genevae anno 1614. habita, quam *Syntagmati suo* anno 1645. edito D. Cloppenburgius subjunxit: *Gomarus in Philip.* 2. 9.; ubi accuratè hoc explicat & defendit: Contrariam sententiam habent *Calvinus*, *Daneus*, *Pareus*, (cujus varia argumenta vide *in Exercitationibus pag.* 102. edit. in 8.) *Amesius contra Bellarmini controvers. generalem secundam*, &*Matth. Sladus contra Vorstium*, denique *Maccovius.* Sed in medio relinquere videtur *Fr.* [pag. 266] *Junius in notis Bellarminum;* & utramque conciliare *Altingius in problematis part.* 1. *Probl.* 43. *Chamierus lib.* 7. *cap.* 6. imprimis hoc agere videtur, ut ostendat non esse necessariam hanc quaestionem; & si quid de ea dicendum sit, timidè hoc agendum; saltem non tam certò eam determinatam à Pontificiis ut in Calvinum incurrere possint. Quid autem sibi meruerit, & quo seu quibus actionibus & passionibus, non uno modo à nostris explicari solet: de quo infra. Rationes affirmantis sententiae desumuntur 1. *ex Philip.* 2. *vers.* 9. collat. cum *Jesa.* 53. *vers.* 10. 12. *Luc.* 24. *vers.* 16. *Joh.* 10. 17. *Hebr.* 1. 3. & 10. 12. *Psal.* 110. 7. 2. *Quia* pro se fuit subjectus legi, eamque pro se implevit. De quo in sequenti problemate. Notandum autem non intelligi hic meritum rigidissimè dictum sed modificatum; nullum enim tale apud Deum locum habere potest, cui non praestruatur aliqua libera Dei gratia seu benevolentia & beneficentia. VIII. *Probl.* An Christus legi subjectus fuerit, eamque pro se implere debuerit? *Resp. Aff. Piscator* Christum pro se legem implevisse, eique subjectum fuisse. Consentiunt, qui opinionem ejus de non imputatione justitiae activae Christi sectantur: inter quos doctè hanc causam agit *Tilenus in Syntagm. part.* 2. *disp.* 4. Ex Antagonistis sententiae Piscatoris de justitia activa, alii hypothesin hanc concedunt, ex. gr. *Gomarus in disp. de materià & formâ Justificationis.* Alii vero negant, inter quos *Maccovius*, *in Collegio locor. commun.*, & ante ipsum celebris quis Theologus, cujus rationibus in *Syntagmate* suo *Tilenus loco cit.* (uti arbitror) respondet. Inter antiquos *Chrysost. homil.* 59. *in Joh.* negat Christum ullum habuisse praeceptum Patris, quod Christus omnia liberè & spontè ex caritate fecerit: cujus rationes refutatas vide apud *Rivetum comm. in Ps.* 40. *v.* 9. Nos mentem nostram istis conclusionibus explicamus. I. *Concl.* Christus fuit subjectus legi naturali seu morali dupliciter, *primò* quà homo particulares seu quà creatura rationalis pro se, ex Dei jure naturali, & creationis (vide *disp. nostram de Jure Dei*, & *Thomam* 1. 2. *quaest.* 100. *artic.* 8): *Secundo*, quà Mediator & Sponsor pro nobis. 2. *Concl.* Subjectus fuit legis ceremoniali, *primo* quà homo particularis Israelita, verum Deum cultu instituto pro oeconomiâ istius temporis colens: *secundo*, quà Mediator pro nobis. 3. *Concl.* Subjectus fuit legi Politicae, tum Mosaicae, tum aliis quibusvis illic loci constitutis quà homo particularis, incola mundi, & civis Reipublicae Israeliticae. 4. *Concl.* Subjectus fuit nobis legi speciali de exolutione debiti nostri per poenas condignas, quà Mediator & Sponsor noster, juxta foedus cum Patre initum. Huic legi speciali annexae erant speciales illae promissiones *Matth.* 3. & 17. *Jesa* 53. *Philipp.* 2. *Hebr.* 2. Confer *disp.*

nostram

nostram de quaestione, Qualem fidem habuerit Christus &c. An autem & quomodo [pag. 267] Christus dicatur servus Dei, propriè an metaphoricè explicat *Rivetus loco cit.* De hac servitute fusiùs *Zwarezius ad* 3. *Thomae disput.* 43. *&* 44. Non tamen huic negotio satisfacit: uti mox dicemus. IX. *Probl.* An meritus sit sibi ut homini particulari, an ut Mediatori, & quidem secundum utramque naturam. *Resp.* I. *Concl.* Sibi ut homini particulari, & ut Mediatori: quomodo autem & secundum quam naturam, infra dicendum, ubi de objecto *cujus*, seu *quod*, agetur. X. *Probl.* An ergo, & quomodo possit dici *inaequalis* Patri & sibi ipsi, seu minor Patre & seipso; *subjectus* Patri & sibi ipsi; *servus* Patris & sui ipsius. *Resp.* Tria haec non malè distinguit *Zwarez. ad* 3. *quaest.* 20. *artic.* 1.Quod autem cum Thoma ibidem secundum humanam naturam haec tantum praedicanda atque intelligenda asserit; quamvis non putet necessarium esse illis praedicatis semper addi, *in quantum homo*; uti *Thomas* volebat: id nostri non putant sufficere, sed Scripturae ductum & Patrum Theologiam secuti, ulterius hoc extendunt cum Christum quà Mediatorem Deo subordinatum, & subjectum, ejusque servum atquo adeo ipsi inaequalem seu eo minorem & inferiorem asserunt; imprimis cum Socinianis urgentibus concedunt, Christum fuisse Mediatorem apud seipsum, & loca *Joh.* 14. *vers.* 28. *Philip.* 2. 7. exponunt; & cum contra Stancarum, Osiandrum, Pontificios defendunt Christum esse Mediatorem secundum utramque naturam; & consequenter sessionem ad dextram,tanquam unum ex Apotelesmatis Mediatoris secundum humanam non tantum, sed etiam secundum divinam naturam accipiunt (*Joh.* 17. 5.); sed adhibitâ Patrum distinctione,κατὰ Θεολογίαν & κατὰ Οἰκονομίαν, hoc est, personae divinae in se & sua natura & absolutè spectatae, ab eadem in ordine ad munus Mediatorium & Oeconomicè spectatâ. Vide *Franc. Junium contra Samosatenianos*, & recentiores *Antagonistas Socinianorum*, & *commentatores in Philipp.* 2. 7., praesertim *Gomarum; Antagonistas Bellarmini*, ubi de persona Christi; *Antagonistas Lutheranorum*, & inter complures alios *D. Altingium in Exegesi Augustanae confessionis artic.* 3. Et ex locorum communium Scriptoribus, *Polanum lib.* 6. *cap.* 27. *Wendelinum lib.* I. *cap.* 17. *&* 18.

4. Extensio meriti ad objectum *cujus*, seu *quod*, nunc explicanda, hoc est omnia illa quaerenda indigitanda, quae Christus meritus esset ratione hominum, Angelorum, ipsius Christi. Sit ergo I. *Probl.* An electis meritus sit gratiam electionis ad gloriam? *Resp.* Zwarez in 3. tom. I. ad quaest. 19. artic. 4. Aff. addens, *hanc sententiam his temporibus esse receptissimam, & majorem habere pietatem, & probabilitatem.* Sed in cursu probationis admodum fluctuat, & vela subinde contrahit. Nos nullam aliam causam, aut conditionem, aut antecedens electionis nostrae agnoscimus praeter [pag. 268] liberam Dei gratiam & εὐδοκίαν. Dicimur in Christo electi *Ephes.* 1. 4. (unde palmarium adversariorum argumentum petitur,) non quod Christus sit causa ipsius actus eligendi seu volendi; sed quod sit medium executionis & consequenter causa rei volitae; quatenus ille exequitur electionem, & ab ipso salutaria effecta electionis in nos derivantur. Vide *Antagonistas Remonstrantium ad* I. *artic.*: imprimis *Amesium in Coronide & contra Anti-synodalia Remonstrantium;* & *Twissum lib.* I. *Vindic. part.* 2. *digress.* I. 23. Ex nostris *Polanus lib.* 6. *cap.* 27. & *Davenantius in Coloss.* I. 20. Christum esse Mediatorem Angelorum probant, quia in ipso sunt electi: quod quam ἀκριβῶς dicatur, aliis judicandum relinquo. Sed de hoc infra.

II.

II. *Probl.* An meritus sit hominibus ante lapsum, gratiam imaginis divinae & persistendi in ea, quamdiu Deo visum esset: seu an fuerit eorum Mediator respectu primae illius unionis cum Deo; quod scil. non per seipsos, sed per filium Deo essent uniti. *Resp. Aff. Polanus lib.* 6. *cap.* 26. Sed ex Scripturis probationem nullam adfert; nec nos talem ex ea adferri posse censemus. Nihil ergo hic affirmandum.

PROBLEMATUM DE MERITO CHRISTI

PARS QUARTA [1]).

Pergimus in Problematibus de Meriti Objecto quod, *seu* cujus*: ubi, ut omnem materiam ex methodo institutâ simul & semel exhauriamus, etiam controversias principalis perstringemus.*

1. *Probl.* III. An Christus meritus sit salvandis solam immunitatem à poena promerita; an insuper gratiam in hac vita, & beatitudinem, seu gloriam in vita futura? *Resp. Neg. poster.* Neo-Pelagiani, ut *Puccius*, *Huberus*, & Anabaptistae quidam, qui solam restitutionem in statum neutrum (qui nec condemnationis, nec salutis sit) omnibus hominibus à Christo acquisitam volunt: ut scil. omnes à debito per Adami transgressionem contracto liberati & liberi, de novo salutem suam operentur; quod si fecerint, salutem acquirant; sin minus reatum de novo sibi contrahant, & tanquam relapsi justè condemnentur. Sed haec opinio Scripturae (*Johann.* 3. *vers.* 5. 36. 6. *Ephes.* 2. 3.) & Orthodoxae ac Catholicae antiquitati repugnat. Vide *Antagonistas* [pag. 269] *Puccii & Huberi*, supra *indicatos.* IV. *Probl.* An salvandis tantum meruerit gloriam; an vero etiam gratiam tum justificantem, tum vocantem, & regenerantem, tum sanctificantem; breviter primam seu praevenientem, & secundam seu subsequentem; eamque conservantem, excitantem, praemoventem, confirmantem & augentem, omnemque aliam; exceptâ gratiâ tum praedestinante seu electionis ad gratiam & gloriam, tum primò primâ exequente, quâ dedit & constituit Sponsorem ac Mediatorem, nosque dedit isti Mediatori salvandos (de quo infrà?) *Resp. Neg.* Remonstrantes, specialiter quod ad gratiam regenerationis, ejusque perseverantiae. Vide ipsorum *Apologiam cap.* 8. coll. cum *Antapologiâ Isaaci Junii, & censurâ Profess. Leidensium. Nos Aff.* & probamus. *Primo* ex *Ephes.* 1. *vers.* 23. *usque* 12. 2. *Timoth.* 1. *vers.* 9. 1. *Petr.* 1. 3. *Rom.* 8. *vers.* 32. 39. *Secundo* probatur per partes de gratia reconciliationis 2. *Corinth.* 5. *vers.* 19. *Ephes.* 1. 6. 7. Justificationis *Rom.* 3. 24. 25. & 5. *vers.* 1. 2. Adoptionis *Ephes.* 1. *vers.* 5. vocationis, regenerationis, sanctificationis 2. *Timoth.* 1. 9. 1. *Petr.* 1. 3. *Ephes.* 1. *vers.* 7. 8. 9. *Galat.* 1. *vers.* 6. *Tit.* 2. 14. *Johann.* 17. *vers.* 19. actualis conversionis, recipiscentiae, fidei, perseverantiae, 1. *Petr.* 2. *vers.* 24. 25. *Rom.* 8. *vers. ult.* 1. *Johan.* 5. 18. 19. 1. *Petr.* 1. *vers.* 3. 4. 5. *Tertio* probatur ex intercessione Christi pro nobis (vide hanc intercessionem explicatam à locorum communium & Catecheticis Scriptoribus, nec non commentatoribus ad *Rom.* 8. 34. *Hebr.* 7. 25. & 9. 24. collat. cum 12. *vers.* 24.) Pro quocunque Christus in terris oravit, & etiamnum intercedit, illud ipsum nobis meritus est. Sed pro omni gratiâ nobis datâ aut dandâ Christus

[1]) *Resp.* Petro van der Burcht, Medioburgo-Zelando. *Ad diem* 4. *Decemb. Anno* 1650.

Christus intercedit. Ergo Major probatur, quia aequè latè patent oblatio meritoria & intercessio 1. *Johann.* 2. *vers.* 1. 2. collat. cum 1. *Timoth.* 2. 5. *Minor* probatur, quia omne donum & bonum precibus nostris petimus & petere debemus in Christo, propter Christum, in nomine Christi, per intercessionem & mediationem Christi. *Quarto* probatur, quia Ecclesia orat pro conversione infidelium, & confirmatione fidelium (uti *Augustinus* gratiae necessitatem ab universâ Ecclesiâ creditam hoc argumento probat,) dandâ scil. à Deo per & propter Christum *Ephes.* 1. *Philip.* 1. *vers.* 2. 3. 4. 5. 6. Ergo Christus, quodcunque istorum datur, meritus est. *Quinto* probatur. Quia fideles omnes pro quâcunque parte, gradu, aut momento, istius gratiae à Deo gratis sibi aut aliis collatae gratias agunt, respectu Christi Mediatoris, propter quem illud gratiosè contulerit. *Ephes.* 1. 3. &c. *Denique* accedit consensus. Vide & confer *Antagonistas Remonstrantium ad* 2. *articulum*, imprimis *Amesium in refutatione Antisynodalium*; ex Pontificiis *Benacum part.* 3. *Theol. Scholast. tract.* 1. *cap.* 14. *quaest.* 11. V. *Probl.* An electis quibusdam [pag. 270] meruerit non tantum gratiam salutarem, sed & gradum gratiae ac modum peculiarem, quem nacti sunt supra alios fideles? *Resp. Aff. Quia* valet hic communis regula 1. *Corinth.* 4. *vers.* 7. *Psal.* 115. 1. *Roman.* 12. 3. *Jacobi* 1. *vers.* 16. 17. Quod si ergo bonum & donum quodcunque gratiae Dei acceptum ferendum est, sequitur etiam excellentiam & abundantiam donorum à Dei libera gratia uni magis conferri, quam alteri. Atqui hoc non sit nisi in Christo & propter Christum *Johann.* 1. 16. *Coloss.* 3. 11. *Ephes.* 1. 3. *&* 4. *vers.* 7. *Roman.* 8. 32. Ergo. 2. *Quia* adaequata sunt & reciproca, salutis impetratio per Christum & ejusdem applicatio seu collatio: uti à nostris *Gomaro*, *Amesio*, aliisquè peremtoriè contra Remonstrantes disputatum est. Jam verò inaequaliter & gratiam & gloriam donari seu applicari, in confesso est ex 1. *Corinth.* 7. *vers* 7. cum *Matth.* 19. 12. & 1. *Corinth.* 12. *vers.* 11. *Ephes.* 4. 7. Unde sequitur eam inaequaliter huic aut illi, quibus applicatur, impetratam esse. 3. *Quia*, ex analogia regnorum seu operum naturae & gratiae, idem colligi potest. Ut enim ibi Deus non tamen providet & procurat suâ gubernatione ipsas res, causas effectus, sed & cujusque rei causae & effectus gradum & modum, sive contingentem sive necessarium: sic etiam in regno & operibus gratiae salutaris. *Becanus tract. & cap. cit. quaest.* 11. §. 13. docet, hominibus inaequaliter (& extensivè & intensivè applicari merita Christi; sed illic ne γρῦ comparet, quod Christus inaequaliter meritus sit. *Idem quaest.* 12. statuit opera justorum habere sufficientem dignitatem & valorem respectu augmenti gratiae & gloriae. *Ibid.* tamen §. 5. labascit, & ab Autoribus quibusdam apud *Zwarezium ad* „3. *disp.* 41. *sect.* 3. citatis, probabiliter & piè assertum fatetur, augmentum gratiae „quod datur nobis propter nostrum meritum, semper majus dari, quam sit valor „nostri meriti: excessum illum provenire immediatè ex meritis Christi, quatenus „cum nostro merito conjunguntur. Idem paragrapho praecedenti concedit dici „posse: nostra merita non esse sufficientia, nisi conjungantur cum meritis Christi, „id est, nostra merita non posse obligare Deum nisi intercedente promissione Dei, „de facienda retributione, quam promissionem meruit nobis Christus. Nec mirum „ipsum fluctuare: aliud enim non potest ex falsa & Semi-Pelagiana hypothesi, de Christo pro omnibus & singulis mortuo, deque gratia Servatoris universali, indifferenter omnibus & singulis applicabili. Nec expedire se possunt, qui caetera Orthodoxi commentum gratiae universalis quocunque colore, & figura obtrudunt: quam-

vis

vis à voce *meriti* abstineant. VI. *Probl.* AnChristus dici possit omnium salvandorum aequalis Mediator & Salvator? *Resp. Neg.* Quod ad meritum, impetrationem, & acquisitionem fidei, sanctitatis, gloriae. Nam [pag. 271] juxta determinationem problematis praecedentis, quod ad liberationem à culpâ, & poenâ sensus secundum multitudinem & magnitudinem peccatorum, inaequalitas est liberationis à peccatis, & impetratae & applicatae: Ut enim omnes & singuli salvandi aequaliter per Christi gratiam à peccatorum magnitudine & multitudine praeservati non sunt (conferantur e. gr. latro in cruce, & infans electus absque omni peccato actuali mortuus), sic etiam à poena sensus peccatis cujusque debita, aequaliter liberati non sunt; sed ille à majori, quae scil. peccatis pluribus & majoribus debebatur, iste à minori. Quod vero ad liberationem à poena damni, aequalis est: nemo enim majori damno affici potest, quam privatione fruitionis Dei in lumine gloriae. VII. *Probl.* Majoris evidentiae causa adjicimus: An omnibus electis aequaliter meritus sit justificationem? *Resp.* Distingue in justificatione duo momenta, seu duas partes. Prior continet remissionem peccatorum & absolutionem à poena peccatis *debita per & propter* imputationem obedientiae Christi passivae seu satisfactionis plenissimae. Posterior continet adjudicationem juris vitae aeternae, per & propter sanctitatem vitae Christi, seu justitiam activam (quam vocant,) hoc est, perfectissimam legis pro nobis impletionem. Sit ergo I. *Concl.* Quod ad remissionem peccatorum, *Neg.* Ut enim huic plura peccata remittuntur quam isti (*Luc.* 7. *vers.* 47. *Roman.* 5. *vers.* 20.) sic per meritum Christi huic major & extensior gratia remissionis impetrata est, quam isti: siquidem ex plenitudine Christi (*Joh.* 1. 16.) omnes accipimus. 2. *Concl.* Quod ad absolutionem à poena *dist.* Si poenam damni intelligis, *Aff.* aequalitas. Sin poenam sensus, *Neg.* 3. *Concl.* Quod ad secundam partem justificationis, scil. adjudicationem vitae, *Neg.* aequalitas. Ut enim electi inaequaliter fruuntur gloria; sic inaequaliter ipsis à Deo in justificatione jus gloriae adjudicatum est. Et si non adjudicatur ipsis, nisi propter meritum Christi (*Joh.* 1. 16. 1. *Corint.* 1. 30. *Coloss.* 3. 10.) sequitur Christum huic gradum majorem gloriae promeritum esse, quam isti. VIII. *Probl.* An omnibus electis aequaliter meritus sit immunitatem, aut liberationem malorum hujus vitae tam internorum quam externorum, aut mitigationem eorundem? *Resp.* *Neg.* Cum enim Deus propter Christum mala omnia publica aut privata, à fidelibus auferat, sed inaequaliter, iisque parcat; & fideles per & propter Christum precibus suis semper petant mitigationem aut ablationem eorum: sequitur Christum talem mitigationem aut ablationem huic plus, illi minus promeritum. Huc applica *Roman.* 8. 32.

2. IX. *Probl.* An electis meritus sit electionem seu praedestinationem ad gloriam & gratiam, *Resp. Neg.* est enim omne decretum Dei primum, summum, absolutum, independens, quod à nullo antecedente sive conditione [pag. 272] sive causa principali dependet? Uti in materia & controversiis de voluntate, decreto Dei, praedestinatione, ex professo docetur. Confer & *Thomam* 1. *quaest.* 16. *artic.* 5.—X. *Probl.* An iisdem meritus sit omnem praedestinationis effectum. *Resp. Neg.* Neque enim qua sponsor & mediator sua obedientia meritus est creationem electorum in Adamo ad imaginem Dei, & gratuitam illam confoederationem, & promissiones primi antiqui foederis operum; nec dilectionem misericordiam & gratiam relaxantem, secundum quam libere & gratis instituit & dedit electis mediatorem incarnandum,

dum, & illos vicissim dedit mediatori salvandos, eorumque peccata transtulit in sponsorem; Haec enim omnia ordine naturae praecedunt Christi meritum, & hoc illi liberrimae gratiae subordinatur. Ita ut hic similiter determinandum sit, ac à Scholasticis ad quaestionem, An Christus meritus sit incarnationem: de qua infra. XI. *Probl.* An iis meritus sit peculiarem illam curam Dei circa electos ante conversionem. *Resp. Aff.* Confer *disp.* nostram *de statu electorum ante conversionem.* XII. *Probl.* An iisdem meritus sit gratiam externam praedicationis Euangelii, & internam illuminationis, quae distincta sit à gratia speciali regenerationis & conversionis? *Resp.* Quidni? Quamvis enim gratia illa in genere & in se considerata non habeat infallibilem cum sulute connexionem, quippe quae reprobis quibusdam, quibus Christus nihil meritus est, communis sit; tamen respectu specialis intentionis divinae secundum quam electis ex vi electionis, foederis gratuiti, & justificationis & reconciliationis activae dona & bona illa confert, Christi Mediatoris merito atque intercessioni ea adscribi possunt. Sicuti Deus pariter reprobos & electos aliquos nondum actualiter conversos per communem gratiam praesenti periculo subducit, & in hac vita conservat: hoc tamen cum discrimine, quod hos conservat cum speciali intentione & respectu ad conversionem & fidem actualem sine quâ salvari nequeunt; illos minimè. *Becanus part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 14. *quaest.* 11. Idem determinat de auxiliis gratiae excitantis & adjuvantis h. e. de motionibus fidei, spei, dilectionis & contritionis. XIII. *Probl.* An etiam gratias gratis datas, seu charismata? *Resp.* Quid, & quae sint charismata, peculiari disp. explicuimus. Nos non videmus, cur de iis affirmari non possit; praesertim sit alia charismata ipsis conferantur actu jam conversis & in Christum credentibus: tunc enim vera fides salvifica in se continet dona illa. Atqui vera fides confertur propter meritum Christi: ergo etiam peculiaris ille modus, seu extensio & applicatio fidei ad haec charismata, quae fide illa continetur. Confer *dispp. nostras de miraculis, & de charismatis.* XIV. *Probl.* An etiam communia auxilia tum naturalia tum civilia dicta gratiae coërcentis, seu reprimentis [pag. 273] seu cohibentis, quaecunque regenerationem aut actualem conversionem praecedunt. *Resp.* Inclinamus in *Aff.* XV. *Probl.* An fidelibus meritus sit benedictiones vitae animalis & civilis; seu bona animi, corporis, fortunae, eorumque qualitatem & quantitatem, quibus in statu fidei & gratiae existentes fruuntur. *Resp.* Incl. in *Aff.* Si enim fidelibus omnia illa externa, etiam adversa, cooperantur in bonum *Rom.* 8. 28. & pietas eorum promissiones habet praesentis vitae 1. *Timoth.* 4. 8. & Deus fidelibus confert omnia ad vitam necessaria 2. *Petr.* 1. 3. cur dicendum non sit omnia illa propter Christum donari, & consequenter Christum eadem ipsis promeritum esse. Huc applicari potest locus Roman. 8. vers. 31. 32. *Li Deus pro nobis &c. Qui proprio filio non pepercit, sed eum pro omnibus nobis tradidit, quomodo non omnia cum ipso &c.* XVI. *Probl.* An meritus sit electis non tantum dona, & gratias omnes jam recensitas, sed & satisfactiones, nec non merita de congruo aut saltem de condigno? *Resp.* Ita quidem velint Pontificii, cum determinant nostra merita ratione auxiliorum gratiae, quae nobis dantur ad bene operandum & merendum, pendere ex meritis Christi: quod scil. causa nostrorum meritorum sint auxilia gratiae; quae nobis dantur ex meritis Christi. Vide ex recentioribus *Becanum in Theol. Scholast. part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 14. *qu.* 12. Ubi refert intestinam suorum controversiam, An opera nostra facta per auxilia gratiae, valorem seu virtutem

tem merendi accipiant ex meritis Christi. Vide eundem ibid. quaest. 13. ubi statuit Christi satisfactionem non esse talem, quae per se formaliter exstinguat debitum, sed talem quae mereatur & impetret aliquid, per quod debitum exstinguatur: *nam Christus*, inquit, *per suam satisfactionem meruit nobis gratiam justificantem per quam formaliter exstinguitur peccatum*. Sed non entium (humani scil. meriti, & satisfactionis) nullae sunt affectiones, nulla attributa. Frustra itaque quaeritur, an & quomodo dependeant à merito Christi. Videantur antagonistae Bellarmini, *Pareus*, *Chamierus*, *Amesius;* ad haec & *Mortonus*, *Davenantius*, *Chemnitius*, *aliique de merito, justificatione, satisfactionibus* disputantes. XVII. *Probl.* An meritus sit omnibus electis partes & gradus glorificationis post hanc vitam, primo in anima separata, deinde in resurrectione corporis, tum in toto composito. *Resp.* De eo dubitandum non est. Vide *Rom.* 8. 23. 32. 1. *Corinth.* 15. 1. *Thess.* 4. *&* *supra Probl.* 6. *&* 7. XVIII. *Probl.* An gradus beatitudinis & gloriae sive in anima separata, sive in toto composito? *Resp.* Praesupponimus dari gradus; quamvis quidam Orthodoxi dissentiant, veriti, ne quid concederetur Pontificiis pro merito humano contendentibus. Sed de causis quaeritur: quas ita delineamus. Principalis est Deus, qui est omne bonum nostrum, aut à quo est omne bonum nostrum. [pag. 274] Proëgumena est libera ipsius gratia. Procatarctica seu meritoria est meritum Christi. *Donativa* seu collativa, prima & summa est Deus: subordinata Christus Mediator, quâ talis. *Applicativa* est, 1. Divinae gratiae excitantis & corroborantis mensura peculiaris. 2. Inde promanantes fortiores & frequentiores actus. 3. Hinc resultantes fortiores & frequentiores actus spei, patientiae, caritatis: qui vulgò cum termino diminuente, causae dicuntur, scil. sine quibus non, aut conditiones, aut media, aut via; ita ut omnis ἀξία, dignitas, meritum absit: cum non sua dignitate, sed Dei dignatione & gratiâ propter unius Christi meritum (1. *Corinth.* 15. *vers.* 10.) gradus illos operentur. 4. Denique judicium Dei in morte, & in judicio extremo, secundum gratiae suae mensuram & opera nostra per ejus gratiam praestita, gradus illos nobis adjudicantis, & majora dona sua majoribus praemiis in electis suis coronantis. Considera textum *Matt.* 19. *vers.* 28. de duodecim thronis Apostolorum. XIX. *Probl.* Quid statuendum de viventibus novissimo die (1. *Corinth.* 15. *vers.* 51.) adhaec de Enocho (*Hebr.* 11. 5.) à morte corporali, quae per peccatum ingressae *Rom.* 5. *vers.* 12. praeservatis aut praeservandis? *Resp.* Quandoquidem peculiaris hic modus & gradus est divinae gratiae, non video cur merito Christi tribuendus non sit, ex *Rom.* 8. *Coloss.* 3. aliisque textibus supra cit. XX. *Probl.* Quid infantibus in infantia morientibus meritus sit. *Resp.* Pontificii distinguunt inter baptizatos & non-baptizatos. Istis negant quid meritum esse, quippe qui reprobentur justo Dei judicio propter peccatum originale. Illis ajunt meritum esse baptismi susceptionem, & per eum liberationem à poenâ tum damni tum sensus; aut ut alii, à poenâ damni tantum: atque insuper vitam aeternam. Vide *Vasquez ad* 3. *disp.* 77. *cap.* 5. & *Becanum part.* 3. *tract.* 2. *cap.* 11. & *Bellarminum, de sacramento Baptismi*, cum *Antagonistis.* Nos rejectis ipsorum disputationibus, dicimus Christum infantibus salvandis seu electis meritum esse remissionem peccati originalis & imputati & inhaerentis, & consequenter liberationem à poenâ damni ac sensus, atque insuper jus vitae aeternae; breviter gratiam tum justificantem, tum regenerantem. XXI. *Probl.* An omnibus infantibus salvandis ante usum rationis morientibus, meritus sit aequalem gratiam

&

& gloriam? *Resp.* Si quid dicendum sit, videntur rationes pro *Aff.* à posteriori colligi posse, ex eo quod nulli gradus excellentiores actualis fidei & sanctitatis in uno eorum deprehendi possit, quam in alio: & consequenter nulla major gratia, & secundum eam conferenda major gloria. Quod si quis malit in medio relinquere, utique non repugnamus. Saltem pro inaequalitate non putamus determinandum esse; cum nullum Scripturae testimonium, nulla ratio pro eâ hactenus allata sit. [p. 275]

3. Atque hactenus quaesitum quid Christus salvandis meritus sit. Restat, quaeramus an aut quid reprobis, angelis, sibi ipsi acquisiverit. Sit ergo XXII. *Probl.* An reprobis meritus sit, & qualia ac quanta? *Resp.* *Becanus quaest.* II. praesupponit ex & cum *Vasquez disp.* 77. cap. 5. aeque late patere τὸ dari hominibus aliquid ex meritis Christi, & applicari ipsis merita Christi. *Idem quaest.* 10. praeposuerat ex communi consensu (uti ait) Scholasticorum, Christum salvandis meruisse haec tria. 1. gratiam justificantem remissionem peccatorum. 2. Omnia dona gratiae, quae sequuntur primam gratiam justificantem: cujusmodi sunt auxilia gratiae, merita bonorum operum, augmentum gratiae, donum perseverantiae, remissio peccatorum venialium, remissio poenae temporalis. 3. Vitam aeternam. Addit ibidem disputari inter recentiores (apud *Vasquez ad* 3. *disp.* 77. *cap.* 1. *cit.*) an meruerit dispositiones, quibus praeparamur ad primam gratiam justificantem & remissionem peccatorum, quales sunt motus fidei, spei dilectionis, contritionis.
„Determinat *cap.* 11. contra Calvinistas (uti loquitur) merita Christi applicari
„omnibus adultis non tantum praedestinatis, sed etiam reprobis: & paulo post.
„2. *Concl. Meritum Christi reipsa esse efficax, quoad dona gratiae in hâc vitâ*
„Denique 3. *Concl.* Non applicari omnibus aequaliter. Quod sic explicat, quia qui-
„busdam datur tantum gratia vocationis, non justificationis. Et inter hos, aliis major
„gratia vocationis, aliis minor. Addit saepe fieri, ut qui majorem gratiam vocatio-
„nis aut justificationis acceperit, eâ non utatur, qui minorem, eâ utatur: & contra-
„riò. Omnia autem illa pendere partim ex Dei voluntate, qui inaequaliter distribuit
„suam gratiam &c. partim ex cooperatione hominum, qui vel respuunt dona Dei,
„vel illis bene utuntur, & alius majori, alius minori conatu & industria (*Matth.* 25.
20. & 1 *Cor.* 9. 24) Nos omnibus illis humani cerebri commentis rejectis, *Neg.* Christum vice & loco damnandorum tanquam Sponsorem & Mediatorem passivam & activam obedientiam praestitisse, & sic ipsis salutarem gratiam & gloriam meritum esse. Quae omnia abunde excussa sunt ab Antagonistis quinque artic. Remonstrant. & novissimè renovatae alicubi opinionis de gratia universali. XXIII. *Probl.* Frustra ergo quaerat quis, An meritus sit reprobis τὸ ἀνεκτότερον *Matth.* 11. 22. 24. An temporalia beneficia *Matth.* 5. cum *Actor.* 14. An auxilia communia, gratiam reprimentem, honestatem civilem, heroïcos motus, agnitionem aut desensionem veritatis & Ecclesiae, charismata *Matth* 7. Apostolatum Judae, prophetiam Bileami, poenitentiam Achabi, dilationem aut mitigationem poenarum in hâc vitâ, &c. *Resp.* Nihil ipsis omnino meritus est, qui tanquam Spònsor pro iis se non obtulit, non sanctificavit, nec pro iis intercessit aut intercedit [pag. 276] *Joh.* 17. *vers.* 19. collat. cum *Matth.* 7. 23. Quod ad nonnulla bona aut dona recensita, quatenus ea cedunt in bonum & salutem electorum, dicendum set, Christum meritum esse ea hoc respectu non reprobis, sed electis suis, seu Ecclesiae suae. XXIV. *Probl.* Huc pertinet, an & quomodo Christus sit caput omnium hominum, etiam reproborum. *Resp. Neg.*

 Ab-

Absolutè Christum quà Mediatorem dici posse caput reproborum. Quod enim auxiliis quibusdam communioris gratiae nonnunquam eos instruit, externis coetibus fidelium per fidei ejusdem professionem eos inserit, ipsorum donis utitur in bonum Ecclesiae &c. Id facit non quà caput eorum, sed quà caput Ecclesiae suae. Haut aliter ac eos coërcet, virgâ ferreâ confringit, in medio eorum dominatur, eos pedibus suis unà cum daemonibus, bestiis noxiis, aliisque creaturis subjicit *Psal.* 2. *&* 110. *&* 1. *Cor.* 15. *Philipp.* 2. *Rom.* 16. *Marci* 16. collat. cum *Actor.* 28.) quod facit non tanquam caput daemonum, damnatorum bestiarum &c. Sed tanquam caput solius Ecclesiae: quamvis quà Mediator illorum omnium dominus sit domino peculiari & oeconomico in ordine & respectu Ecclesiae suae, quam internè & externè quà caput gubernat. *Matth.* 28. 18. *Philipp.* 2. 9. 10. Ex hac determinatione corrigi debent, quae *Becanus cap.* 20. de Christo capite omnium hominum proponit, hic propter chartae angustiam non exhibenda. Conferendi cum *Becano commentatores ad* 3. *quaest.* 8. *artic.* 3. Et epitomator Thomae Alagona, qui ibidem de suo absurdum hoc addit: *Infideles sunt membra Christi impotentia, quae fundatur in merito Christi, & in libero arbitrio.* XXV. *Probl.* An obedientiâ suâ sibi acquisiverit jus perdendi infideles. *Resp.* Distinguè τὸ directè, primò, immediatè, per se acquirere, à τῷ mediatè, consequenter, & per accidens acquirere, tanquam opus seu munus succedaneum, aut annexum. Priori modo *Neg.* Ex *Johann.* 3. *vers.* 17. 18. Posteriori modo *Aff.* Quia acquisivit regnum oeconomicum (*Philipp.* 2. 9. 10.) per quod dum tuetur & coronat fideles, una coërcet & perdit infideles, *Psal.* 2. *vers.* 8. 9. 12. *&* 110. *vers.* 1. 2. 3. XXVI. *Probl.* Quid Christus meruerit Angelis bonis? *Resp.* Nihil. 1. Quia Scriptura hic tacet. Ergo non est sapiendum supra id quod scriptum est. 2. *Quia* fuerunt confirmati in gratia, & in termino, antequam Christus datus aut constitutus esset Mediator. 3. *Quia* sunt independentes a peccato Adami, & consequenter ab incarnatione, carne passibili, morte, & tota obedientia tum activa, tum passiva Christi Mediatoris. Quae omnia non fuissent, siquidem Adamus non peccasset. Contrarium hic statuunt Theologi nonnulli tum ex Pontificiis, tum ex nostris supra *part.* 2. *hujus disp. Thesi* 2. *Probl.* 5. indicati. *Becanus locis ibi cit.* nobiscum statuit Christum nec gloriam nec gratiam iis meruisse. [pag. 277] Concedit tamen, de aliquarum rerum & mysteriorum revelatione: Sed absque ulla ratione, ut ibi notavimus. Frustra ergo Autores citati in merito Christi Angelorum reconciliationem, aut redemtionem, aut conservationem, aut praemotionem, aut adoptionem, aut glorificationem quaerunt. XXVII. *Probl.* Affinis est quaestio an & quomodo sit dominus & caput Angelorum? *Resp. Dominus* eorum est duplici ratione κατὰ θεολογίαν scil. consideratus tanquam ὁμοούσιος cum Patre Deus, idque jure creationis & conservationis: κατ' οἰκονομίαν quà Mediator, & quidem speciali ratione post ascensionem *Ephes.* 1. 20. 21. *Caput* eorum est, quia gubernat eos, & utitur illorum ministerio circa salutem hominum, & in regni oeconomici administratione, *Joann.* 1. 52. *Actor.* 12. 17. *Matth.* 24. 30. 31. *&* 25. 31. 2. *Thessal.* 1. 7. Et associavit eos hominibus, & vice versa, *Apocal.* 19. *vers.* 10. *Coloss* 2. 10. Vide illic *commentar. D. Gomari.* Autores modo indicati addunt, quia sit Mediator eorum, & ipsis gratiam meritus sit. Sed tale quid in Scriptura non comparet, *Thomas p.* 3. *qu.* 8. alias rationes adfert, cur Christus dicatur caput: sed quae omnes accuratum examen non sustinerent. Sed hic abrumpimus, reliqua problemata sequenti parte exhibituri.

PRO-

PROBLEMATUM DE MERITO CHRISTI

PARS QUINTA [1]).

1. Videamus nunc quid Christus sibi ipsi meritus sit. Praesupponimus ex supra dictis *part.* 3. *hujus disp. thes.* 3. Christum sibi meritum. Hic quaeritur, quid sibi meritus sit. Esto ergo XXVII. *Probl.* An sibi meritus sit gratiam praedestinationis? *Resp. Neg.* Sive terminum ejus facias gratiam & gloriam naturae humanae quà talis sive gloriam Mediatoris quà talis. Rationes communes pro absoluto & independente voluntatis divinae decreto huic aptari possunt. XXVIII. *Probl.* An unionem hypostaticam, ejusque adjuncta necessaria communicationem idiomatum, impeccabilitatem; dignitatem & excellentiam humanae naturae, quippe quae à personâ divinâ assumta fuerit, & hypostaticè divinae naturae unita? *Resp. Neg.* 1. *Quia* meritum illa sequitur, & ex iis resultat: ergo non potest tanquam causa efficiens praecedere illa, sive ordine naturae, sive ordine temporis. Jam vero meritoriam [pag. 278] causam esse causam efficientem procatarcticam, ex Elementis Logicis notum est. 2. *Quia* Humanitas Christi, aut anima ejus, debuisset unionem mereri per opera priora tempora aut naturâ. Sed non meruit humanitas aut anima humana per opera qua tempore praecesserint: quia non fuit in rerum natura ante unionem hypostaticam. Quod autem *Scholastici* aliqui, & cum iis *Becanus cap.* 14. *quaest.* 6. difficultatem hic movent, dato eam exstitisse aut in proprio supposito, aut sine omni supposito & personalitate, quid tum statuendum esset: dicimus eos nodum in stirpo quaerere, impossibilia postulata comminisci, & nugaces consequentias nectere. Nec humanitas aut anima humana meruit per bona opera quae ordine naturae antecesserunt: quia illa opera debuissent esse opera gratiae. Atqui gratia Christi fuit ordine naturae posterior unione; quod vide probatum à *Thomâ part.* 3. *quaest.* 6. *artic.* 6. & *quaest.* 7. *artic.* 13. 3. *Quia* Unio hypostatica est principium omnis meriti in Christo: ergo non potest ea per meritum tale acquiri. Atque haec est communis Scholasticorum sententia. Sed otiose disputatur ab iisdem, *ad* 3. *quaest. cit.* (quos vide apud *Zwarez disp.* 10.) an potuerit mereri unionem. XXIX. *Probl.* An saltem haec tria meruerit, aut mereri potuerit. 1. Continuationem, seu perseverantiam unionis. 2. Extensionem ejus ad omnes partes materiae, quas paulatim per nutritionem acquirebat. 3. Restitutionem unionis, quae tempore resurrectionis facta est in humanitate. *Resp.* Curiosa haec quaestio tutius omitti, aut in medio relinqui posset. Sed quia *Scholastici ad* 3. *quaest.* 2. *art.* 2. eam ventilant, & occasione praecedentis problematis inter objectiones aut hypotheses proponi potest, & solet. *Resp. ad* 1. *membrum. Negando.* Quia quod ex natura rei debitum est, non cadit sub meritum (confer *Problema* proximè *sequens*:) sed perpetua conservatio unionis ex naturâ rei debita est unioni; Ergo *Ad* 2. *Neg.* propter eandem rationem. Quia illo extensio seu unio partialis, ex naturâ rei debita est unioni hypostaticae, & ex vi primae unionis sequitur. Requirit enim prima unio, quâ Deus factus est homo, ut omnes partes humanae naturae subsistant subsistentiâ verbi. *Ad* 3. *concedendo*, quod sicut meruit resurrectionem, etiam dici possit meruisse restitutionem unionis; siquidem & quatenus

[1]) *Resp.* Abrahamo Migrodio, Medioburgo-Zelando. *Ad diem* 7. *Decemb. Anno* 1650.

tenus scil. unio cum humana natura aliquid addere concipitur supra partiales uniones. Vide & confer de merito incarnationis disputantes *Scholasticos ad* 3. *quaest.* 2. *artic.* 11.; imprimis inter recentiores *Zwarezium*, ubi alii citantur. Et de hoc problemate *Becanum cap. cit. quaest.* 6. XXX. *Probl.* An visionem beatificam, quam accepit in instanti unionis? *Resp.* Respondet ex recentioribus *Becanus cap.* 14. *quaest.* 7. *Neg.* & rationes adfert duas. 1. *Quia*, principium meriti non cadit sub meritum, nec quod [pag. 279] antecedit omnem actum meritorium, habetur per actus meritorios. Atqui visio beatifica ab initio conceptionis antecedit omnem actum meritorium, & tria quasi principia visionis beatificae; à quibus dependet, unio scil. hypostatica quo ad infinitum valorem; infusum lumen gloriae aliique habitus supernaturales, ut scientiae infusae, caritatis, obedientiae &c.: cognitio scientiae infusae, sunt principia merendi: ergo non dependent à merito, sed potius meritum ab ipsis. 2. *Quia* visio illa data fuit Christo in instanti conceptionis ex debito connaturali: ergo non per modum praemii aut ex merito. Sicut enim visio sensitiva debebatur illi ratione animae sensitivae, ita visio beatifica ratione unionis hypostaticae. Sed hypothesin Pontificiorum de visione beatificâ ab instanti unionis usque ad finem, ejusquo concomitante seu adjuncto perfecto gaudio in superiori parte animae, nostri examinant in controversia de Perpessionibus, & de Scientia animae Christi: & doctissime *Gomarus ad Luc.* 2. *vers.* 52. XXXI. *Problem.* An meruerit sibi gratiam habitualem. *Resp. Neg.* Quia omnis actus meritorius fuit posterior infusione gratiae habitualis: ergo per nullum actum potuit gratiam illam mereri. XXXII. *Problem.* An exauditionem (de quâ *Johann.* 11. *vers.* 42.) & liberationem à malo tum intermedio tempore, tum in fine vitae, morte scil. utrâque: de quo *Hebr.* 5 *v.* 7.? *Resp.* Non video cur *affirmari* non possit. *Luc.* 24. 25. 26. *Johann.* 17. 4. 5. *Hebr.* 2. 10. & 12. 2. *Jes.* 53. *vers.* 10. 11. 12. Confer *Becanum* 14. *quaest.* 3. 5. 7. XXXIII. *Probl.* An exaltationem, hoc est, resurrectionem, ascensionem, sessionem ad dextram. *Resp. Aff.* ex *Philip.* 2. *vers.* 9. Ubi vide longè accuratissimum *commentarium Gomari*. Consentiunt *Scholastici ad* 3. *quaest.* 50. *artic.* 6. Ubi distinctè determinant, quod majorem claritatem, non vero charitatem meruerit. XXXIV. *Probl.* An distinctè gloriam humanae naturae, quà scil. singularis illa creatura rationalis est, h. e. glorificationem corporis, & animae impassibilitatem. *Resp. Aff. Scholastici.* Ex nostris aliqui videntur negare, ut *Zanchius* & *Piscator*, qui gloriam Mediatoris exaltati in suo regno, merito ipsius adscribunt. Quorum sententiam confirmat *Altingius in Probl. part.* 1. *probl.* 43. Sed cum triplex gloria Christi à nostris (inter quos *Polyander in concertat. cum Socinianis*) distintè & rectè consideretur, quà hominis illius, quà Mediatoris idque secundum utramque naturam, uti infra dicetur) & quà Dei ὁμοουσίου cum Patre & Spiritu Sancto absolutè considerati: non video cur hoc negari debeat. *Zanchius de Incarnatione pag.* 495. edit. in 8. statuit Christum *Johann.* 17. duplicem glorificationem petiisse, unam humanitatis, alteram Deitatis. Putem ergo horum Autorum sententias inter se & cum nostrâ optimè conciliari posse. Qui enim propter meritum obedientiae [pag. 280] mediatoriae, gloriam mediatoriam ipsi collatam dicit, non negat meritum & consequens praemium ejusdem secundum humanam singularem illam naturam considerati; seu ut particularis istius hominis. XXXV. *Probl.* An gloriam Oeconomicam quà Mediatoris? *Resp. Aff.* ex *Hebr.* 2. *vers.* 9. 10. & 12. 2. *Jesa.* 53. 11. Hanc sententiam habent *Zanchius, Piscator*, aliique supra citati

citati. Imprimis eam explicat & tuetur *Gomarus loco citat.* Quem nos sequimur. Utramque sententiam conciliat *Altingius loc. cit.*distinctione adhibita inter meritum impropriè & propriè & dictum. XXXVI. *Probl.* An dici possit Christum secundum divinam naturam quid meritum esse, seu gloriam Deitatis. *Resp. Aff.* Et doctè atque accuratè id explicat *Gomarus loco cit.* & nostri cum contra Pontificios & Lutheranos tuentur sententiam suam de sessione ad dextram. Vide *Altingium Probl.* 45. Et *Zanchium de Incarnat. pag.* 514. 515. Confer *thesin sequent. Probl.* 4. XXXVII. *Probl.* An meritus sit humanae suae naturae adoptionem? *Resp.* Quaestio haec praesupponit opinionem *aut Durandi* & *Bassolis ad* 3. *dist.* 4. quâ Christus ut homo statuitur filius Dei adoptivus :*aut Scoti ad* 3. *dist.* 10, quae dicit humanitatem Christi denominari posse filiam adoptivam: *aut Almayni* & *Majoris ad* 3. *dist.* 10. quae concedit posse humanam naturam dici adoptatam. Sed quandoquidem tres illae opiniones falsae & à *Scholasticis ad* 3. *quaest.* 23. *art.* 4. communiter, ut & *Becano lib. cit. cap.* 18. *quaest.* 4 & 5. satis superque refutatae sunt, non est quod de merito adoptionis laboremus.

2. Hactenus de meriti Christi extensione objectivâ. Consideremus nunc ejusdem extensionem subjectivam, de quâ secundum personam, naturas, partes naturae humanae, status, actiones & passiones quaeri potest. Sit ergo. 1. *Probl.* An persona Christi & Christus θεάνθρωπος sit proprium & adaequatum meriti subjectum? *Resp. Aff.* Actiones enim sunt suppositorum. *Object.* Ergo Christi persona Christi personae esset merita, & quidem à Christi personâ? *Resp.* Nihil absurdi; diverso enim respectu persona divina κατὰ θεολογίαν, aut κατ' οἰκονομίαν considerata, optimè omnia explicat & conciliat. Sic Christus sibi ipsi subjicitur tanquam servus, apud seipsum Mediator, se ipso major & minor, dici potest. *Thomas part.* 3. *quaest.* 20. *art.* 2. vult non simpliciter dicendum Christum sui ipsius servum, se ipso aut Patre minorem, sed cum determinatione, ut homo, seu secundum humanam naturam. *Zwarez ad loc. Thomae citat. disp.* 43. *sect.* 1. de suo addit illam propositionem *(verbum seu filius est minor Patre)* esse simpliciter falsam sine ullâ dubitatione. Sed sine dubitatione eum hic errare censeo; quidquid se ab objectione ex Scripturâ & Thomâ allatâ expedire conetur: Magis enim magisque vir alioquin subtilissimus se intricat. To„tum id, inquit [pag. 281] quod est Christus comparatur cum Patre, & affirmat ali„quid esse minus illo, quod simpliciter falsum est, quia in Christo est aliquid, quod „non est minus quam Pater. *Resp.* Mirum est non novisse ipsum distinguere inter „totum Christum, & totum Christi. Secundo, inquit, & clarius, quia praedicatum „*(minor)* includit negationem repugnantem supposito Christi: praedicata autem „quae sunt hujusmodi, vel nullo modo attribui possunt Christo etiam cum determi„natione *(ut homo)* &c. vel saltem non enuntiantur de Christo, sine determinatione „*(ut homo)* quando illa sufficit ad limitandam negationem ad esse humanum, ut „contingit in hoc praedicato *(incepit esse)*, vel in hâc voce *(creatura)* rigorosè sumtâ. *Resp.* Sed gravissimè hallucinatur. 1. Quia petitur principium, immo negantur quamplurima Scripturae testimonia, quin & totum mysterium incarnationis & mediationis. Omnia ergo praedicata, quae Scriptura tribuit Christo, quà Mediatori includent negationem repugnantem supposito Christo, cum *Johann.* 14. dicitur minor Patre, & *Jeza.* 42. cum *Zachar.* 6. *Malach.* 3. servus Dei, angelus foederis, &c. Et quomodo quaeso per suum *(ut homo)* limitabit illud *Philipp.* 2. *vers.* 7. seipsum exina-

exinanivit, forma servi accepta. Ubi conferat, qui volet, *commentar. Gomari* longè accuratissimum. 2. *Quia* incurrit in antiquitatem, quae contra Arrianos tam sollicitè distinguebat sermonem seu praedicationes de Christo κατὰ θεολογίαν & κατ' οἰκονομίαν, seu τὸ θεολογικῶς & οἰκονομικῶς. 3. *Quia* hac ratione veritas contra Photinianos & Neo-Arrianos feliciter defendi nequit. Vide & confer nostros longè felicius hic theologizantes *Franciscum Junium*, *Johannem Junium*, *Polyandrum*, &c. II. *Problem.* An meritum sit secundum utramque naturam, seu an ad merita tanquam opera mediatoria θεάνδρικα concurrerint duae naturae tanquam distincta principia *quo*, seu energetica, per suas quasque ἐνεργείας. *Resp. Aff.* Explicant & probant hoc locorum communium Scriptores de officio Christi: & elenctici, qui defendunt Christum esse Mediatorem secundum utramque naturam, ex quibus aliqui *parte* 1. *hujus disp.* citati. III. *Problem.* An ergo secundum divinam naturam tanquam principium formale ἐνεργητικὸν aut passivam, aut activam, aut utramque obedientiam legi praestitit. *Resp. Neg.* Sed se secundum humanam naturam patientem & agentem, per vim Deitatis sustentavit, & valorem ac dignitatem infinitam obedientiae illi contulit. IV. *Problem.* An dici possit, Christum se humiliasse secundum naturam divinam, ad hoc ut pro nobis mereretur? *Resp. Aff.* Cum determinatione & distinctione duplici: κατ' οἰκονομίαν scil. non vero κατὰ θεολογίαν consideratum: idque non absolutè & in se mutatione aliqua essentiae, & gloriae internae atque aeternae; sed tantum relatè ratione occultationis illius temporariae coram [pag. 282] hominibus. Sic accuratè *Gomarus loc. cit.* Pendet haec determinatio ab articulo de sessione & exaltatione Christi ad dexteram Dei; quam etiam secundum naturam divinam esse intelligendam, simili scil. sub distinctione, communiter defendunt nostri contra Pontificios & Lutheranos. Confer *Thesin praeced. probl.* 9. & 10. Et adde *Autoribus* ibi *citat.* Chamierum tom. 2. lib. 7. cap. 5. §. 19. *Sed oeconomica secundam personam exinanivit quodammodo ἠλάττωσε minoravit; non φυσικῶς ut auferret naturam, mansit enim quae erat; quia non potest mutari Deitas; sed σχετικῶς assumtâ carne. Et per hanc oeconomiam Christus Mediator est, quà Deus incarnatus; non vero per naturam quà Deus.* V. *Probl.* An secundum humanitatem & quod ad animam, & quod ad corpus meritus sit? *Resp.* 1. *Aff.* De merito obedientiae passivae: quia secundum corpus non tantum, sed etiam secundum animam immediatè (& non per meram sympathiam cum corpore) tanquam Sponsor pro nobis passus est. De quo in *disput. nostra de Agonia & desertione Christi.* 2. *Aff.* de merito obedientiae activae. Nulla enim est obedientia activa, nullus actus meritorius, nisi Deus diligatur ex toto corde, &c. *Matth.* 22. VI. *Probl.* An etiam secundum animam separatam, in statu mortis existentem, & secundum corpus in eodem statu? *Resp.* Quamvis Christus propriè tunc non potuerit dici homo, quia tamen manebat unio hypostatica, & status ille humiliationis pro nobis susceptae partem seu gradum facit, & Christus tunc fuerit Mediator ac Sponsor noster, ac munus mediatorium quod ad satisfactionem actu executus fuerit, utique humiliatio illa voluntaria tanquam meriti sive pars sive appendix requisita censeri debet. VII. *Problem.* An ante constitutionem & designationem ad munus mediatorium meritus sit. *Resp. Neg.* VIII. *Probl* An post illam constitutionem tempore V. Test. usque ad incarnationem? *Resp.* De merito propriè & strictè accepto *affirmari* nequit: Quia actiones theandricas non edidit, quibus mereretur. Verum tamen est eum se subjecisse, suscipiendo munus Mediatoris, & exinani-

nanitionem incarnationis in plenitudine temporis implendam; insuper aliquos actus Mediatoris obivisse, specialiter intercessionem pro suis tunc viventibus & in fide morientibus, qui à Patre ipsi dati erant: vi scil. meriti non antecedentis aut praestiti, sed in plenitudine temporis certissime praestandi. IX. *Problem.* An ipso actu exinanitionis *(Philip.* 2. *vers.* 7.) quâ humanam naturam assumsit, seu incarnatus est? *Resp.* Quamvis haec humiliatio incarnandi pertinuerit ad humiliationem seu subjectionem pro nobis, & fuerit principium ac fundamentum omnis meriti, ac conditio necessario ad id requisita: non proprie & formaliter fuit meritum: quia non erat actio theandrica. X. *Probl.* An nunc in coelo, aut etiam post diem [pag. 283] judicii tanquam mediator & sponsor pro nobis mereatur? *Resp. Neg.* utrumque. Ex *Johann.* 17. *v.* 5. 6. Addi posset haec ratio, quia meritum proprie locum habet in via, non in patria, aut in termino: (Confer *Scholasticos ad* 3. *qu.* 19. *art.* 3.) & sic beati & angeli in coelo, quamvis perfecti sint, nunc non merentur. Adamus, si integer mansisset, & terminum obedientiae complevisset, tanquam viator meritus fuisset: merito scil. tali, quale inter Deum & creaturam intercedere potest.

3. XI. *Probl.* An actionibus, an vero perpessionibus suis, Christus proprie & formaliter meritus sit? *Resp. Aff. pr.* Passionibus tamen tribuitur sub illo formali, quatenus plená & perfectâ cum obedientiâ eas sponte subiit & substinuit. (secundum voluntatem Dei, cui suam voluntatem humanam absolute subjecit. *Heb.*10. *v.* 8. 9. 10.) Et sic objective ac per denominationem exponenda est phrasis, *obedientiae passivae:* non quod obedientia secundum legem praestanda formaliter sit passio, sed actio; quippe bonum opus ex virtute procedens. Videantur definitiones obedientiae, observantiae, virtutis, sanctitatis, pietatis, religionis apud locorum communium scriptores. In *disp. de Meditatione* attingimus Enthusiastarum & quorundam ecstaticorum contemplantium opinionem de summo gradu contemplationis, qui in mera passione consisteret: quam *Zwarez* aliique recentiores communiter & rectè rejiciunt. XII. *Probl.* An actione humana sibi quid mereri potuerit? *Resp.* De hoc *Scholastici ad* 3. *qu.* 19. *artic.* 3.Et de eo supra satis determinatum. Sed nos ulterius quaerimus, An actione humana potuerit Christus mereri sibi non tantum quà homini singulari, sed etiam quà mediatori, immò & secundum deitatem: si quidem mediator est secundum utramque naturam. Et distincte respondemus Christi actiones meritorias, non fuisse proprie humanas sed theandricas, sunt enim actiones personae divinae, & quidem secundum utramque naturam: ita ut nobilius & excellentius meriti subjectum aut objectum excogitari non possit, atque hac ratione hoc meritum numerari debeat inter ea quibus Deus meliora producere nequeat. Quid autem sibi qua mediatori meritus sit secundum divinam naturam, explicant nostri ex *Johann.* 17. *v.* 5. de nova & majori patefactione gloriae deitatis, quae velo carnis mortalis & mortis passionibus ad tempus quadantenus occultata fuerat. Vide Gomarum ad *Philipp.* 2. *v.* 7. 9. jam saepius laudatum, & confer *thesin praeced. probl.* 4. XIII. *Probl.* An in Christo fuerint verae virtutes creatae ad merendum, etiam illae quae respiciunt superiorem, ut religio, oratio, humilitas, timor, obedientia? *Resp. Aff.* Et quidem heroicae, hoc est, perfectissimo modo: quae fluebant à gratia, & perficiebant potentias. Confer *Scholasticos ad* 3. *qu.* 7. *art.* 2. & *qu.* 21. Quae autem virtutes in specie Christo tribui aut non tribui [pag. 284] possint, vide ibid. *qu.* 7. *art.* 3. usque ad *art.* 10. Quid nos de iis sentiamus, alibi diximus in *disp. de hac quaest.*

Qualem

Qualem fidem habuerit Christus &c. XIV. *Probl.* An in Christo fuerit habitualis gratia, tanquam principium meriti? *Resp. Aff.* Vide hoc probatum à *Scholasticis ad* 3. *qu.* 7. *art.* 1. XV. *Probl.* An plenitudo gratiae, & quidem in illo solo. *Resp.* 1. *Aff. pr.* cum *Schol. qu. cit. art.* 9. intensive scil., & in summo gradu, ut haberi potest, seu pro capacitate creaturae in viâ, & extensive quantum ad efficaciam, id est, secundum omnes effectus, ut universali principio merendi pro omnibus gratiam salutarem. 2. *Distinguitur posterius ibidem artic.* 10. & ex parte gratiae intensive & extensive. *Aff.* sed ex parte subjecti, quod impletur pro sua capacitate, *Negatur* esse propria Christi, quippe quae communicetur B. virgini & aliis sanctis per Christum. Verum hic iis non assentimur. Nulli enim viatores plenitudinem habent, qualem illi B. Mariae, Francisco aliisque tribuunt, sed tantum primitias spiritus *Rom.* 8. & τὸ ἐκ μέρους: plenitudo demum obtingit in patria 1. *Cor.* 13. De Francisci gratia & sanctitate quid sentiendum sit, alibi declaramus. XVI. *Probl.* An gratia Christi sit finita? *Resp.* De habituali *Aff.* de gratia unionis respectu personae suo modo per denominationem quandam dici potest, quod sit infinita. XVII. *Probl.* An eadem gratia sit Christi, considerati ut hominis istius singularis, & ut mediatoris ac capitis ecclesiae? *Resp.* Re eadem est, sed ratione differt: quomodo actiones Christi secundum legem, ad merendum & pro se & pro nobis praestitae, materialiter & re eadem sunt, sed formaliter differunt. Confer *Thomam* cum suis *p.* 3. *qu.* 8. *art.* 5. XVIII. *Probl.* An gratia Christi potuerit augeri? *Resp. Neg.* communiter *Scholastici ad qu. cit. artic.* 12. Sed male & contra *Luc.* 2. *v.* 40. & 52. *Marc.* 11. *v.* 12. 13. & 13. 31. Rationes praecipua eorum sunt 1, *Quia* ratione formae non potuit augeri: attigerat enim ultimam perfectionem, quam in suâ naturâ habere potest. 2. *Quia* ratione subjecti non potuit augeri, omnia enim ab instanti conceptionis habuit. Sed utraque ratio petit principium. Problema hoc fere coincidit cum aliis suprà propositis, & cum controversiâ de scientiâ animae Christi; quam eruditissimè excussam vide à *Gomaro ad Luc.* 2. 5. ubi specialiter *Bellarmini lib.* 4. *de Christo cap.* 6. disputationem de scientiâ Christi infusâ seu revelatâ, seu habituali non auctâ, accuratè & plene examinat. XIX. *Probl.* An Christus secundum humanam naturam verè & propriè fuerit capax praecepti seu legis quoad vim directivam ejus, & obligationem faciendi quod lex praecipit, & vitandi quod prohibet. *Resp.* Aff. Ex *Psal.* 40. v. 8. 9. coll. cum *Hebr.* 10. Confer *Scholast. ad.* 1. 2. *qu.* 9. *art.* 4. & *ad* 3. *qu.* 20. *art.* 2. Ubi inter alios *Zwarez disp.* 43. *sect.* 1. tres rationes adfert. XX. *Probl.* An secundum specialem quam legem [pag. 285] actiones meritorias ediderit? *Resp.* Specialis lex fuit de anima ponenda in sacrificium pro peccato: illius itaque impletione & sibi & nobis meritus est. *Jesa.* 53. 10. Inter Scholasticos *Neg. Paludanus, Dionys. Cisterciensis.* Contra tamen cum *Thoma in* 1. *qu.* 41. *art.* 6. & 3. *qu.* 47. *artic.* 2. *Aff.* reliqui. Vide inter alios *Zwarez. ad* 3. *qu.* 20. *art.* 2. *disp.* 43. *sect.* 3. XXI. *Probl.* An praeceptum hoc speciale fuerit merè positivum, an omnino naturale? *Resp.* Dubium hoc, *loco cit.* movetur à *Zwarezio.* Ubi dicit valde probabile sibi videri, posito quod homines liberari non potuerint nisi hoc medio, amorem Dei & hominum naturaliter obligasse Christum ad omnia illa mala subeunda. Addit tamen in re non esse magnam diversitatem. Nos, si quid dicendum sit, distinctione adhibita inter praeceptum generale & speciale, absolutum & hypotheticum, quorum hoc ex illo educatur aut sub illo (positis ponendis) subsumatur, aut ad illud reducatur: existima-

timamus dici posse utrumque, & positivum, & naturale, sed diverso respectu.

4. Explicuimus nunc necessitatem & extensionem meriti tum objective tum subjective. Addimus aliquid de intensione meriti, ubi occurrit. 1. *Quaestio* capitalis, an fuerit sufficiens & ad satisfactionem, seu ad remissionem peccatorum electis impetrandam, & ad jus vitae sibi atque electis suis acquirendum. *Resp. Aff.* & de hoc ab Antagonistis Socinianorum, illisque affinium abunde agitur. Supra etiam *part.* 1. *hujus controversiae* meminimus: hic solummodo methodi causa, verbulo reponimus. II. *Probl.* An actiones Christi ex praescripto legis & generalis & specialis impletae, fuerint infiniti meriti? *Resp. Aff.* cum determinatione; *subjective* scilicet seu principiative, quatenus scil. sunt in & à Christo, seu persona divinâ λόγου, qui secundum deitatem est infinitus; & *objective* quod ad objectum seu potius effectum, quatenus scil. referuntur ad praemium infinitum in potentia, seu ad praemium finitum in infinitum. Illud autem meritum est actu infinitum, quod nullo praemio finito exhauriri, aut aequaliter compensari potest, uti definit *Becanus cap.* 14. *qu.* 2. III. *Probl.* An fuerint infiniti valoris? *Resp.* Distinguunt Scholastici in Christi actionibus valorem, meritum, satisfactionem. Quod valor reperiatur in omnibus Christi actionibus tam necessariis, quam liberis, meritum & satisfactio in solis liberis. De valore autem ad quaestionem *Aff.* respondent. Sed *Scotus ad* 3. *dist.* 19. *qu.* 1. & nonnulli alii negant, hac ratione moti, quod valor actionis fundetur in entitate ejus, atqui Christi actiones in entitate fuerint finitae, ergo. Sed bene respondent alii, quod valor seu dignitas non oritur ex sola entitate & morali bonitate actionis, sed etiam ex circumstantiis, & maxime ex dignitate & sanctitate operantis. Alias objectiones vide apud *Becanum cap. cit. quaest.* 1. refutatas.



DISPUTATIO OCTAVA.

DE PERSONA CHRISTI MEDIATORIS.

PARS PRIMA. [1]

De personâ Christi mediatoris locum communium & Thesium scriptores passim accuratè pertractant; controversias circa eam agitari solitas Antagonistae Socinianorum, Anabaptistarum, Pontificiorum, & Lutheranorum plenius & quidem ἐμσψήρως prosequuntur. In unâ strophâ & exceptione Socinianorum detegendâ ac refutandâ conceptibus, aut saltem verbis seu modo explicandi nonnihil variant. Hinc alicubi natum problema, an Christus quà mediator sit adorandus. Ad quod nos datâ occasione coacti fuimus respondere: quam sententiam nostram Thesibus publice propositis complexi sumus [pag. 305] a. 1638. Ad quarum uberiorem illustrationem a. 1642. appendicem dedimus. Ejus appendicis supplementum tunc promittebam. Vide *part.* 1. *selectar. disp. pag.* 537. juxta capita ibidem designata. Sed venit mihi postea in mentem, caput quartum, quod inchoaverat explicationem philosophicam omnium terminorum huc pertinentium ad indicandos fontes errorum in his aliisque controversiis, multò commodius peculiari disputatione pertexi ac proponi posse, ne haec disputatio in nimis magnam molem excresceret. *Caput.* 7. continens consectaria & problemata, peculiari itidem disp. absolvi posse. Quod ad *cap.* 5. continens argumenta pro sententiâ nostrâ, ea multis vindicanda non esse; quando quidem hactenus à nemine, quod sciam, ad ea publice responsum sit; saltem non ad mea argumenta, ut ordine proposita sunt *p.* 529. 535. Nihil ergo restare videtur quam ut *caput sectum* suppleamus, & argumenta sententiae oppositae dissolvamus. Argumenta omnia, quae *D. Maccovio* opposita fuerunt, abunde ab ipso *in collegiis theologicis* a. 1641. editis in 4°. *p.* 369. 396. refutata arbitror. Unus ex iis, qui *D. Maccovii* sententiam non probabat, diserte in *locis comm.* suis in 4. *p.* 713. 714. profitetur, in hâc quaestione contra Maccovium idem sibi esse *rationem formalem sub qua adorationis*, seu *rationem fundamentalem*, cum *argumento* & *causa adorationis;* & consequenter eadem sibi esse & reciproca *qua* & *quia.* Unde manifeste sequitur, inter ipsum & D. Maccovium nullam realem controversiam restare, nec contra Maccovium probandum, mediationem seu officia & beneficia Christi dare novum adorationis argumentum & rationem moventem: hoc enim non negat Maccovius, nec memini ullum Christianum theologum de hoc dubitasse. Quod si quis contendere velit, motivam quamvis seu argumentum, aut rationem aut causam moventem dicendam esse proprie & accurate loquentibus objectum formale, fundamentum, rationem formalem, *quae, qua, per quam, sub qua;* jam erit mera disquisitio philosophica de acceptione & usu istorum terminorum,

---

[1] *Resp.* GUILIELMO SALDENO Ultrajectino. *Ad diem* 20. *Novemb. Anno* 1647.

rum, ad subsellia philosophiae professorum releganda: quorum judiciis (cujuscunque religionis sint) hic libenter stabimus. Quin & ipsorum Remonstrantium ac Socinianorum, à quibus distinctio, seu limitatio illa adorationis Christi per *τὸ qua mediator* primum orthodoxis vice exceptionis opposita est, judicium hac in parte non refugimus. Si enim illi in exceptione sua contra quartam classem argumentorum pro deitate Christi laxe locuti, & *terminis philosophicis* abusi *τὸ qua specificative*, acceperunt aut accipiunt & non *reduplicative*, atque adeo *objectum considerationis* tantum, aut tantum *rationem*, & *motivum* adorationis per illam particulam intelligi volunt, non vero *fundamentum* adorationis, quo posito illa ponitur & quo ablato aufertur; & si nihil aliud ipsis notet *qua* quam *quia*, nec *ratio formalis* [pag. 306] & *objectum formale* aliud quid notet, quam *objectum considerationis* seu *specificationem aut designationem aut qualificationem objecti*, ita ut objectum adorationis filius Dei aut Deus specificetur, designetur & qualificetur per *τὸ esse mediatorem* utique non amplius minorem (uti hactenus facimus cum theologis *part.* 1. *disp. pag.* 537. 541. citatis) sed majorem argumenti Sociniano-Remonstrantici cum orthodoxis aliter ac Maccovius dictum argumentum solventibus negabimus; eritque haec nominalis controversia finita. Tale enim est argumentum heterodoxorum. Qui adoratur quà mediator, ille ex cultu adorationis non probatur ὁμοούσιος cum patre Deus. Sed Christus adoratur qua mediator: *Ergo*. Quod si in majore propositione *τὸ quà* priori modo accipiunt, jam expedita & solida responsio est per negationem majoris, & tacite conceditur Christum eo modo, quo dictum est invocandum. Sin vero posteriori modo accipiatur, jam solide responderi non potest, nisi per negationem minoris. Solidissima enim & evidentissima tunc esset majoris consequentia. Nam si deitas adorabilitatis seu adorationis non sit unicum fundamentum & unicum objectum formale, seu si aliquid praeter deitatem fundet aut fundare possit adorationem; jam non reciprocantur adoratio & deitas & consequenter ex adoratione deitas certo demonstrari & evinci non potest. Esset enim solummodo syllogismus ex εἰκότων, qualis iste: Hic pallet; Ergo amat. Aut hic pallet; Ergo nimium studet. Jam vero utro modo *τὸ quà* & synonyma ejus hic accipi velint Remonstrantes cum Socinianis, ab ipsis solis explicandum, & nobis discendum est: alioquin in terminis cum iis non disputamus, nec directe iis occurrimus; sed statum controversiae mutamus aut involvimus, justumque rei ipsius examen declinamus: quod ingenius & candidis Disputatoribus minus convenit. Ut ergo rationem accurate occurrendi argumento Sociniano & Remonstrantico, pro modulo denuo ostendamus, & ab oppositis dubiis atque absurdis liberemus, persequemur solummodo hac vice ea quae ad summam rei, hoc est, ad controversiae evolutionem proxime & necessario facere videbuntur: praeteritis reliquis annexis, consectariis, hypothesibus, modis loquendi, quae in diductione adversarum disceptationum intercurrunt; de quibus nonnulla disquiri possent. Tria igitur Praestabimus.

I. Statum controversiae denuo explicabimus.

II. Quinque argumenta, quae thesi nostrae principali, & exceptionem unam quae rationibus nostris opponitur, examinabimus.

III. Falsas aliquot hypotheses removebimus.

2. Quod ad primum: Terminorum praecognitione & status controversiae explicatione putabam me satis superque defunctum in *disp. editis.* Sed quando quidem illa video

video à quibusdam aut lecta non esse, aut mentem nostram [pag. 307] non satis intellectam, non pigebit hic breviter sequentibus conclusionibus repetere. Dicimus ergo 1, Non disputari ab orthodoxis contra Socinianos aut Remonstrantes aut Lutheranos. An mediator sit religiose invocandus. 2. *Nec* etiam, An filius Dei post assumtam carnem exinanitus, seu carne, & officio mediatorio vestitus, sit adorandus. 3. *Nec* disputari, An talis, seu ut talis à nobis concipi, cogitari, considerari, & proponi debeat filius Dei cum illum religiose colimus. Haec omnia concedunt omnes orthodoxi, & nos cum illis contra sophistas illos, quos taxat & refutat Melant. part. 2. consil. p. 242. ubi controversiam ita proponit: *Cum sophistae quidam contendant, Christum nunc post passionem non invocandum esse mediatorem seu intercessorem, sed tantum ut Deum, datorem bonorum, & nolint dici: Fili Dei D. Jesu Christe intercede pro me apud aeternum patrem, necesse est explicari, quid in hac controversia judicandum sit.* Ex his verbis, & locis theologorum, quos citat *Amesius*, liquet eos nihil aliud voluisse, quam quod nos sponte concedimus. 4. *Nec* per consequens, Disputari, An Christus mediator ut mediator sit objectum considerationis; hoc est, An incarnatio, natura humana, mediatio cum toto statu humiliationis & exaltationis, in objecto adorando seu in Christo, quem adoramus & cum adoramus, consideranda sint, & Christus cum iis sit adorabilis non minus quam ante incarnationem, aut ante susceptam mediationem. 5. *Nec* disputari, an mediatio, sacerdotium Christi, passio &c. seu mediatorem esse, aut sacerdotem, aut passum esse pro nobis &c. sint consideranda in adoratione Christi tanquam motivum & ratio adorationis, in quaestione, quare, seu cur. 6. Consequenter non Disputari, Quis sit adorandus, aut qualis sit adorandus, aut cur sit adorandus. 7. *Nec* disputari, An mediator in sensu identico reciprocetur cum filio Dei (quamvis non in sensu formali), idemque tribuendum sit mediatori, quod filio Dei; vice versa. 8. *Nec* disputari, An Christus mediator, aut homo, filius hominis, frater noster, sacerdos noster, sit objectum materiale adorationis distinctum ab ultimato & ultimate terminativo. 9. *Denique* non disputari. An particula *qua* catachrestice ab aliquo usurpata tanquam synonymum τοῦ *quia*, aut etiam laxe & minus proprie accepta (Scholastici dicunt *specificative*) & de Christi adoratione usurpata, haeresim inducat. Minime. Logomachias enim cum Socinianis orthodoxi non exercent, neque in verbis eorum haeresin quaererent, si certi essent sensum eorum sanum esse. Quamvis placeat illud Calvini lib. 2. Institut. cap. 2. sect. 7. *Equidem λογομαχίας abominor, quibus frustra ecclesia fatigatur: sed religiose censeo cavendas eas voces, quae absurdum aliquod sonant: praesertim ubi perniliose erratur.* 10. *Sed* disputari inter orthoxus, An mediatio seu mediatorem esse sit fundamentum adorationis & ratio fundamentalis ac [pag. 308] formalis quae se tenet ex parte objecti adorabilis, ita ut propter illud, objectum materiale, quod adoratur, fundamentaliter sit adorabile & adorandum (Vid. *p.* 524. 525. *pr. part. disp.*); seu an Christus qua mediator, sit objectum formale adorationis; ut particula *qua* propriè & stricte hic accipiatur, hoc est *reduplicative*. Affirmant Sociniani, tantum adorari Christum *qua mediatorem*, seu sub illo formali, *qua mediator*; & fundamentum adorationis seu rationem formalem, quae se tenet ex parte objecti adorabilis esse solam mediationem, non vero aeternam deitatem. Affirmant utrumque Remonstrantes, adorari scil. Christum & quà Deum & quà mediatorem (particulâ quà strictè & reduplicativè acceptâ): ita ut duo distincta fundamenta, & duas rationes formales

males (*qua*, *per quam*, *sub quâ*) quae se teneant ex parte objecti, hic concedant, aeternam scil. deitatem & mediationem: unde consequenter duas distinctas adorationis species exsculpunt. Quomodo in quaestione de Filiatione Christi Sociniani affirmant Christum credi filium Dei unigenitum, tantum quà seu quatenus suscitatus est ex mortuis, exaltatus ad dextram Dei & factus in Dominum & Christum; negant vero eum inde credi filium unigenitum, quà ab aeterno genitus est ex substantia patris, ita ut ipsis fundamentum filiationis & ratio ejus *formalis quae*, *qua*, *per quam*, *sub qua* sit sola suscitatio ex mortuis & exaltatio &c. non vero generatio ex substantia patris. Remonstrantes utrumque concedunt, & plura fundamenta seu plures rationes formales filiationis illius, hic admittunt. Orthodoxi contra nihil hic Socinianis concedunt, asserentes Christum filium Dei unigenitum esse, non quà (reduplicative accepto) suscitatum ex mortuis & exaltatum in dominum & mediatorem; sed tantum quà genitum ex substantia &c. Negant plura fundamenta & plures rationes formales hic esse, praeter aeternam generationem ex substantia &c. Nec admittunt distinctiones inter fundamentum aut rationem formalem primariam & secundariam, seu primam & secundam (quam nonnulli frustra in hac quaestione etiam usurpant); inter rationem formalem *qua* seu *per quam*, & inter rationem formalem *sub qua* (quae etiam frustra hic adhibetur): Tantum admittunt cum scriptura Christum credi unigenitum Dei filium, *quia* (non quà) suscitatus est ex mortuis *Act.* 13. coll. cum *Rom.* 1. *v.* 4. His ita explicatis videmus circa disputationem cum Socinianis & Remonstrantibus nihil aliud quaeri, aut quaeri debere inter ipsos orthodoxos, quam, An recte & accurate concedi possit adversariis heterodoxis eo ipsorum sensu & fine (quem modo indicavimus) disputantibus, ista eorum hypothesis; *Christus qua mediator est invocandus*: sive absolute dicatur plures esse rationes formales invocationis, ut nonnulli volunt, adhibita distinctione rationis formalis in *qua* seu *per quam*, & in sub *qua*: ita [pag. 309] ut quod ad illam negetur Socinianis & Remonstrantibus, quod ad istam concedatur. Nos utrumque concessionis & assertionis modum negamus quippe repugnantem terminis & formalitatibus communi usu scholarum & philosophorum receptis, & eodem sensu à Socinianis & Remonstrantibus, in hâc disputatione adhibitis: quo fit ut probationes omnes contra nos instructae, aut in paralogismos, aut in elenchos homonymiae, aut *heterozeteses* desinere debeant.

3. Quod ad rationes, quae propriè meae disputationi An. 1638. de hâc quaestione editae opponi videntur, praestructim dico, eas omnes extrà lineas abire; quippe quae alium quem conceptum praesupponant, & defendendum sibi sumant, de quo nec Sociniani cum Remonstrantibus, nec *Amesius* cum *Maccovio in suis disceptationibus* unquam cogitarunt. Ego autem in *disp. meâ* modo *cit.* respiciebam usum particulae *quà* apud illos heterodoxos: & disquirebam an eorum sensu concedendum esset Christum quà mediatorem adorandum, an potiùs negandum. Consequenter an tutior & accuratior esset solutio *Maccovii*, an verò *Amesii*. Quod verò huc trahitur distinctio inter rationem formalem *quae* aut *quà*, & rationem formalem *sub qua* (quam accuratè & appositè, infra disquiretur); nec meam aut Maccovii sententiam tangit, nec Amesianam, quam illic refutabam, juvat: uti infra dicetur. Accedimus ergò ad objectionum refutationem. *Prima objectio.* Sub quâ ratione formali Christus est objectum fidei salvificae, sub illâ est objectum religiosae adorationis *Rom.*

10.

10. 14. Atqui Christus est objectum salvificae fidei sub illâ ratione quà mediator est. Ergo. *Resp.* Majoris consequentia neganda est, ejusque ratio. *Primo*, Quod ad majoris consequentiam, eam unicâ hac instantiâ rejicio: Sub qua ratione formali Christus est objectum fidei salvificae, sub illa est objectum adorationis: Sed Christus est objectum fidei salvificae sub illo formali quà homo & quà pro me incarnatus: Ergo &c. Ubi hoc argumentum perspicuè refutatum fuerit, nulla difficultas erit in refutatione argumenti nobis oppositi. *Secundo*, Ratio consequentiae majoris, quam, nego quippe indistinctè & illimitatè propositam, talis esse deberet: Quicquid est objectum fidei salvificae, illud est objectum adorationis religiosae: alioqui non procederet argumentum secundùm dictum de omni & de nullo. Sed illam rationem consequentiae sic infringo: B. virgo θεότοκος, ecclesia catholica, communio sanctorum, resurrectio carnis, totum euangelium, sacramenta euangelio appensa, tota scriptura sub illo formali qua verbum θεόπνευστον sunt objectum fidei: nullum tamen istorum est objectum adorationis. De humana natura Christi, ejusque partibus essentialibus & integralibus, cum propriis adjunctis tam specificis quam individuantibus, mox aliquid dicemus. Ubi ergo aliquis [pag. 310] ad involuta evolvenda debitas explicationes, distinctiones, & limitationes terminorum *objecti fidei*, *sub illo formali* adhibuerit, probationem minoris in proposito argumento persecutus fuerit syllogismis & prosyllogismis breviter, & expedite propositis, videbit illico aut ignorationem elenchi, aut fallaciam homonymiae committi. Experiatur modo quis, & syllogismos in forma fabricet. Minoris probationem hujus argumenti, cum sua deductione nolumus nunc ἀκριβεστέρως cribrare, nec etiam opus; cum argumenti hujus nervos in majore jam satis inciderimus.

4. *Secunda Object.* Sub quo formali Christus nos intuetur ut semen suum, & filios suos spirituales, sub illo formali nos illi debemus venerationem, honorem, & cultum religiosum &c. Atqui Christus nos intuetur ut semen suum & filios spirituales sub illo formali, quo est mediator. Ergo *Resp.* Eodem fere modo, ut in prima object. omnia ambiguis terminis, & inde exstructis dubiis & amphibolis hypothesibus involvuntur & confunduntur & sic obscurum per obscurum probari intenditur. *Negatur* consequentia *majoris*: & datur haec instantia, intuetur nos ut semen suum &c. sub illo formali quà homo, quà filius hominis, qua incarnatus pro nobis, & qui ac quà dedit animam suam ascham eamque effudit in mortem &c. Ergo sub illo formali adorandus. Ubi termini ritè evoluti fuerint, & absque paralogismis, aut fallaciis homonymiae, amphiboliae, compositionis & divisionis, πολυζητήσεως, ἑτεροζητήσεως, in forma syllogismi propositi, videbitur nihil dici. De probatione minoris ejusque deductione idem dicimus quod supra.

5. *Tertia Object.* Sub quo formali colitur Christus in baptismi sacramento, quando baptizamur in nomine filii ad resipiscentiam & remissionem peccatorum, sub illo formali est adorandus. Atqui Christus colitur in baptismi sacramento, ut qui venit per aquam & sanguinem suum &c. Eadem ergo est ratio formalis, sub quâ Christus est adorandus. *Resp.* Iterum obscurum per obscurum probatur, & magis involvitur. *Primo* possem rejicere argumentum, tanquam peccans in formâ: quia ut minor proponi videtur, nihil aliud possum capere, quam limitationem *qua mediator* (de quâ in terminis tota nostra controversia est) aut occultari; aut tanquam synonyma saltem reciproca hic usurpari *τὸ qua mediatorem esse*, & *τὸ qua venire per aquam &*

san-

sanguinem suum. Cum enim in omnibus argumenti principalis minoribus debuisset retineri hic terminus, *Christus qua mediator* (alioquin paralogismus est per mutationem terminorum, non legitimus syllogismus,) in hoc tertio argumento, substituitur, *Christus quâ venit per aquam & sanguinem.* Non cribrabo nunc minorem, ejusque probationem seu deductionem. Exspectabo potius donec explicetur, quo sensu & quo scopo termini mutati [pag. 311] sint; donec syllogismus cum suis prosyllogismis reformatus breviter & perspicue proponatur. *Secundo*, quamvis hic quiescere possem, praestructim tamen moneo ut occasionem dem (siquidem quis nondum satis factum sibi putet) haec magis illustrandi, & expeditius ac pressius disputandi, cogitandum esse de defensione argumenti orthodoxorum contra Antitrinitarios, cum ex baptismo probant deitatem Christi & Spir. S. Praesidium enim exceptioni suae quaererent Sociniani in tertio hoc argumento & sic concluderent. Qui religiose colitur in baptismum & per baptismum *qua mediator*, seu in quem *qua mediatorem* baptizamur, illius deitas ex baptismo solide demonstrari non potest, Sed Christus &c. Ergo. Consequentiam majoris sic probarent. Cujus cultus aliud fundamentum est, alia ratio formalis, aut esse potest, quam deitas, ex illo cultu deitas certo demonstrari nequit, non magis quam certo demonstratur: Hic pallet: Ergo numium studet. *Tertio*, non stringere hoc argumentum, inde constat, quia in ipsum opponentem pro meâ sententiâ retorqüeri potest, hoc modo: sub quo formali Christus religiose colitur in baptismo, sub illo formali est adorandus. Sed Christus sub illo formali quà Deus religiose colitur in baptismo. Ergo. Majoris consequentia est ipsius autoris, minor est in confesso apud omnes orthodoxos Si quis tentet in forma respondere ad retortum hoc argumentum, videbit nihil dici posse quam per exclusivam limitandam majorem hoc pacto: Sub quo formali Christus tantum colitur in baptismo, sub illo formali tantum est adorandus. Sed sub illo formali tantum, *qua mediator*, & non *qua Deus*, Christus colitur &c. Ergo. Jam nos cum omnibus orthodoxis contra Socinianos negamus minorem. Deinde non minus quam ante retorquetur totum hoc argumentum: Sub quo formali Christus tantum colitur in baptismo, sub illo tantum est adorandus. Sed sub illo formali quà Deus & non qua mediator tantum colitur in baptismo. Ergo. Quod si negetur minor hujus retorti argumenti, & probatio petatur: offero me ad eam; sed hac conditione ut opponens, quippe sustinens partes opponentis & directe argumentantis contra meas theses, prior suam minorem probet, hanc scil. Sed Christus sub illo formali tantum qua mediator, & non qua Deus, colitur in baptismo. Quod cum praestare non possit, quis non videt plumbeo mucrone pugnari, cum tale argumentum sententiae meae opponitur. *Quarto*, minorem retorti argumenti quamvis probare non tenear, sed subsistere possim in rejectione majoris, donec aut ea reformetur aut sic proponatur ut in autorem retorqueri non possit: tamen ex superabundanti eam probo. Sub quo formali colitur in baptismo, pater & Spir. S. sub eodem formali colitur Deus filius, Sed pater & Spir. S. in baptismo colitur sub illo formali qua Deus, & non qua mediator. Ergo. Si in forma ad [pag. 312] hoc argumentum quis respondere vellet, nihil aliud quam majorem simpliciter, sive cum limitatione negare posset: assignando hanc rationem negationis. Quod filius sit & vere dicatur esse mediator; pater vero & Spir. S. non sit nec vere dici possit mediator. Et hinc sequi quod sub aliquo formali coli possit & debeat, sub quo pater & Spir. S. coli non possit. Sed regero ego: Qui quid est & vere dici potest, quod non

est

est nec vere dici potest pater & Spir. S., ille sub illo formali qua tale distincte & peculiariter colitur. Sed filius Dei est & vere dicitur homo, quod non est nec vere dicitur pater aut Spir. S. Ergo sub illo formali, qua tale, h. e. qua homo distincte & peculiariter colitur & adoratur. Hinc rursum liquet quam infirma sit majoris in tertio hoc argumento consequentia. Quod si ea reformetur, videbimus nihil aliud conclusum iri nisi quem & qualem, & qualiter consideratum, colendum & adorandum statuamus. Et sic erit mera fallacia ignorationis elenchi, & homonymiae, & confusionis atque abusus terminorum. Vide quae supra *cap.* 1 satis distincte explicuimus.

6. *Quarta Obj.* Sub quo formali Christus est objectum τῆς λογικῆς λατρείας ex fide in coena, sub eo est fidei & adorationis ex fide objectum. Atqui Christus in sacra coena est objectum τῆς λογικῆς λατρείας ut panis qui è coelo descendit, ut carnem habens manducabilem & sanguinem potabilem spiritualiter *Joh.* 6. Ergo est fidei & adorationis religiosae objectum sub ratione illa formali, quà carnem suam exhibet manducandam, & sanguinem suum bibendum, id est, quà mediator & sacerdos. *Resp.* Rursum obscurum probatur per aeque (si non magis) obscurum. Nam *primo*, termini in principali argumento mutantur; sicuti in praecedenti tertio argumento. Debebat enim in minori absque ulla variatione simpliciter subsumi: *Sed Christus sub illo formali qua mediator est objectum* τῆς λογικῆς λατρείας *ex fide in S. coena.* Si minorem quis probare velit, hoc prosyllogismis in formâ fieri debebat. Quod ubi praestitum fuerit, apparebit quam infirma sit consequentia. *Secundo*, quamvis hic subsistere possem donec argumentum reformaretur, ex abundanti tamen addo: Non stringere argumentum, quia aut absolute possem negare consequentiam majoris, aut in ipsum opponentem retorquere, non minus quam argumentum tertium. Absolutè si negarem majorem, darem hanc instantiam: quia Christus homo & qua homo, qua caro & sanguis pro nobis factus, qua caro ejus fracta, & sanguis pro nobis effusus, est objectum *cultus rationalis* in coena; nec tamen sub illo formali qua homo, qua caro &c. est adorandus; nec consequenter caro aut sanguinis ejus in coena, est objectum formale nostrae adorationis. Ergo. Vide infra in *app. qu.* 22. Sin vero retorquere vellem; relicta majori propositione ejusque terminis in sua ambiguitate & obscuritate, sic retorsionem contra sententiam [pag. 313] adversam pro mea proponerem. Sub quo formali Christus est objectum *cultus rationalis* ex fide in coena, sub eo est fidei & adorationis ex fide objectum. Sed Christus sub illo formali qua Deus, & non qua mediator, qua homo, qua caro data & crucifixa pro mundi vita &c. est *cultus rationalis* ex fide in coena objectum. Ergo. Quod si majorem suam non reformet, valet retorsio: & infirmitas majoris per eam ostenditur. Sin vero minorem syllogismi retorquentis negare velit, ego offero me ad probationem: hac conditione & eo modo, ut in responso ad argumentum tertium.

7. *Quinta Object.* in forma non proponitur. Nos sic ad formam redigimus. Qui adoratur sub hoc formali qua aperit viscera humanae commiserationis erga nos nostramque miseriam, & vivo ejus sensu afficitur &c. ille adoratur sub hoc formali qua sacerdos & qua mediator. Sed Christus adoratur &c. *Hebr.* 4. v. 14. 15. 16. Ergo *Resp.* Si totam paginam, ubi argumentum hoc proponitur, quis persolvat, videbit multa absque distinctione misceri, involvi, & obscurum per aeque immo magis obscurum probari. *Nam primo*, possum jure meo petere, non minus ac in praecedentibus argumentis, ut termini non mutati sic inferantur in conclusionem, prout fuerint

in

in praemissis. *Secundo*, nego minorem. Et rationem negationis hanc adfero, quia tum sequeretur Christum sub illo formali qua hominem, & qua misericordiae humanae affectu. praeditum & qua nostram miseriam eodem affectu exquisite persentiscentem, adorandum esse; hoc est, objectum formale adorationis esse humanam naturam, imo & accidentia quaedam seu humanas passiones humanae naturae Christi, quas ut tales *adoratione religiosa sollicitamus*. Haec aut similia admittere cogitur, & satis admittere videntur verba opponentis, quae ibidem subjiciuntur. Nos καινοφωνίας & ἀκυρολογίας in preculis Pontificiorum ad vulnus dextri pedis, ad vulnus sinistri pedis, ad vulnus lateris, ad dolores & angores Christi ipsis relinquimus, &c.

DE PERSONA CHRISTI MEDIATORIS.

PARS SECUNDA. [1]

1. Atque hactenus examen quinque objectionum contra thesin nostram: ex quo constare potuerit alterutrum verum esse aut nihil aliud obtineri, prout subinde exserte aliud nihil concludi mihi videtur, quam quod nos exserte subinde concedimus, τὸ quod aut quale objectum adorandum, & τὸ *quia* adorationis (quod cum *qua* confunditur) non vero τὸ *qua* proprie, & ex usu scholarum, [pag. 314] ac ex mente heterodoxorum acceptum: aut siquidem invitis adversariis heterodoxis & usu atque acceptione terminorum, ac statu controversiae ab ipsis heterodoxis (qui primi & soli eam moverunt) constituto, τὸ *qua* reduplicativo pro *qua specificativo* hic uti aut abuti libeat, & τὸ *fundamento primo*, quod proprie fundat cultum religiosum, seu τῷ *objecto formali*, & *primo*, & *terminativo*, pro *objecto materiali*, aut *motivo*, aut *considerationis*, quod proprie tantum est medium & *ratio adorationis*, aut quod occurrit & obversatur considerationi nostrae dum eum adoramus; utique nihil ultra à nobis reponi necesse esse, quam unicum illud, ὅπερ οὐκ ἔδει δεῖξαι; & consequenter merum esse colloquium ἀπροσδιόνυσον, si Socinianos, & Remonstrantes, & cum iis disceptantes Maccovium aliosque orthodoxos spectes.

2. Exceptio ad argumentum nostrum ordine quartum, sic refutatur. Argumentum nostrum erat tale: Qui qua mediator non est formale objectum fidei, ille qua mediator non est adorandus. Sed &c. Prob. minor. Qui non est primum efficiens, &c. sed causa inferior instrumentalis &c. ille qua mediator non est objectum fidei. Sed Christus qua mediator &c. Ergo. Respondetur, seu excipitur, argumenti hujus nervos incisos ex hac hypothesi, quod in Christo mediatore personaliter unita sit causae inferiori instrumentali causa prima & principalis, instrumentalem elevans ac perficiens, ac per illam hoc agens. Quid quod Christus esse nequit collator bonorum spiritualium per instrumentum illud quod in suâ personâ gestat, per quod in diebus carnis suae operatus est purgationem peccatorum. Huic exceptioni sic occurrimus. *Primo*, Tota responsio est ἀπροσδιόνυσος & extra terminos. Ego argumentatus sum de Christo *qua mediatore:* hic vero respondetur quà homine, seu de humana natura Christi. Ergo in terminis & in forma nihil respondetur. Repeto ergo & replico argumentum meum quod 1. *part. disp. theologic. pag.* 529. proposui: Qui non

15

[1]) *Resp.* Petro Coorne Zeland. *Ad diem* 27. *Novemb.* 1647.

non est primum efficiens & ultimus finis, primum & summum verum, ac bonum, &c. sed causa inferior ac subordinata tum procatarctica seu meritoria tum instrumentalis, ille non est objectum formale atque ultimatum fidei & adorationis. Sed filius Dei Christus mediator quà mediator, non est primum efficiens &c. Sed est causa inferior &c. Ergo. Minor probatur ex eo, quod servus Dei, exinanitus, minor patre dicitur, non tantum quà homo, sed etiam quà mediator. Est autem mediator secundum utramque naturam. Notissima est distinctio inter praedicata de Christo κατὰ θεολογίαν & κατ' οἰκονομίαν. Confer Antagonistas Socinianorum, & imprimis *Franciscum Junium defens.* 2. *de Trinitate* §. 12. *&* *defens.* 3. §. 5. *Secundo*, quamvis hic quiescere possem, quia stat principale argumentum, quippe intactum: addo tamen ad majorem veritatis illustrationem, responsionem ex data hypothesi [pag. 315] desumptam absurdum aliquod involvere, quod nos evolutum in syllogisticam hanc formam redigimus. Quidquid personaliter in Christo mediatore unitum est causae primae, deitati scil. & ab illa tanquam instrumentum elevatur ac perficitur, & per quod deitas agit, illud est objectum formale fidei & adorationis. Sed humana natura personaliter unita est causae primae, deitati scil. & elevatur ab ea &c. Ergo humana natura est objectum formale fidei & adorationis. Hoc est humana Christi natura, qua talis, adoranda est. Conclusio falsa & absurda est ex sensu orthodoxorum. Ergo oportet majorem aut minorem esse falsam. Sed minor verissima est, & utriumque in confesso. Relinquitur ergo consequentiam majoris esse falsam. Atqui illa est opponentis in exceptione ad argumentum meum quartum. Relinquitur ergo exceptionem hanc absurdam & nullam esse, & stare argumentum meum, saltem quod ad principale suum, seu quod ad summam rei, prout illud ex 1. *part. disp. Theologic.* p. 529. hic repetii. Nam accessoriis diductionibus, & explicationibus sive meis sive opponentis examinandis aut defendendis nolo nunc immorari: ne digressiones & circumductiones fiant nobis abductiones à principali quaesito & thesi. Tantum moneo lectores qui disp. meam non viderunt, ne occasione probationem opponentis quod scil. humana natura Christi non possit agere per Spir. S. aut illum dare in cordibus fidelium, aut per humanam naturam conferre bona spiritualia; ne, inquam, forte credant aut suspicentur me antithesin hic tenere aut ante hac tenuisse. Tantum enim ab hoc abest, ut toto illo argumento, quod est ordine quartum, ne nominarim quidem humanam naturam Christi. Vide 1. *part. disp. nostrarum p.* 559.

3. Restant aliquot hypotheses opponentis, aut postulata, non concessa, removenda. Hypotheses illae seu postulata, quae controversiae principali praemittuntur, mihi videntur, ut ingenue fatear, totidem latibula esse extravagantis abductionis & quaesita de novo controversiae quae nusquam est. 1. *hypoth. seu postulatum.* Quaeritur effugium aliquod in distinctione rationis formalis *sub qua* seu *per quam*. *Ref.* 1. *Subdistinctiones* rationis formalis, *quae*, seu *per quam* & *sub qua*, quas enumerat *Castaneus in distinctionibus*, quibus quartam, *ex qua* addit, aut saltem nove usurpat recentior Theologus Jesuita *Franc. Albertinus in corollariis seu quaestionibus Theologic. tom.* 2. *coroll.* 5. *dubit.* 3. aut omnes eodem recidunt; aut si distinguantur non faciunt ad multiplicationem & distinctionem objectorum formalium; quae respectu unius specie actus & facultatis semper tantum unum sunt, sicuti ratio formalis etiam tantum una est, siquidem convertatur cum objecto formali seu synonymum sit τοῦ objecti formalis. 2. *terminus* rationis formalis *sub qua* apud philosophos

phos & theologos scholasticos (à quibus mutuo sumtus est) duplicem habet acceptionem. *Una* communis est: ita ut [pag. 316] idem notet quod ratio formalis *quae* & *qua*. Et sic passim apud philosophos & theologos scholasticos usurpatur: uti ostendimus *dispp. seqq.* Sic etiam nostri theologi: quos nimis operosum esset hic citare. Tantum indico nunc *Amesium* & *Waleum*, aliosque qui ipsos sequuntur, in hac ipsa controversia promiscue & sine distinctione particulis illis hic uti, & tum Deitatem seu τὸ ὁμοούσιον Christi tum omnia alia attributa relativa Dei & Christi vocare rationes formales *sub quà*. Altera propria & rationi formali *quae* & *quà* seu per *quam* contradistincta. Quae ordine tertia est apud *Castanaeum in distinctionibus*. Eandem habet *Petrus Capullus Episc. Conversanus in comment. ad* 1. *sentent. Bonaventurae, praelud.* 4. *p.* 7. *b. Meurisse in Metaphysicâ Scotistica*, aliique alibi citandi. *Si priori modo* hic accipi velit *quae &* *per quam*, jam cadit totum effugium, & causa traditur. Nam siquidem ratio formalis *quae* & *per quam* adorationis Christi sit sola deitas, etiam ratio formalis *sub quâ* ejusdem adorationis erit sola deitas. Sed verum prius: ergo. Probatur consequentia majoris: quia idem sunt, & idem notant ratio formalis *sub quâ* & ratio formalis *quae* seu *qua*. Sicuti, si ensis sit instrumentum bellicum, ergo & gladius: quia idem sunt & idem notant ensis & gladius. *Sin posteriori modo* hic accipi velit, jam planè extrà oleas itur. Neque enim hic quaeritur de ratione formali *sub quâ*, quae se tenet ex parte potentiae h. e. hominis adorantis; (sicuti abstractio mentalis à materiâ singulari seu sensibili est ratio formalis, quae se tenet ex parte scientis physicam) sed quaeritur inter orthodoxos hic variantes in refutatione exceptionis Socinianae, & imprimis inter Socinianos cum Remonstrantibus & inter orthodoxos (ut & in quaestione cognata de adoratione humanae naturae Christi, inter Pontificios cum Lutheranis & inter orthodoxos) de ratione formali & ratione fundamentali, quae fundat adorationem, & quae se tenet ex parte subjecti seu objecti; hoc est quaeritur de objecto formali adorationis, seu de objecto adorando, & quidem objecto terminativo ac ultimato, quod idem sit primum & unicum fundamentum, quo posito actus specificus adorationis in objectum tendens ponitur, & quo ablato aufertur. Sicuti proprium & unicum fundamentum, objectum primum & ultimatum, objectum formale, ratio formalis quâ, per quam, sub qua cultus & honoris regii, quo subditi regni alicujus tendunt & tendere debent in Regem N. N. est majestas seu potestas regia; non vero sanitas, pulcritudo, clementia in subditos, veniae largitio, prudentia, religio Pontificia aut reformata, fortitudo, robur corporis, eruditio, conjugium, nobilitas, paternitas, opes, & ordinata res familiaris, humanitas, risibilitas, &c. quamvis enim illa in rege occurrant & obversentur subditis dum cultu regio illum colunt, non tamen sunt rationes formales *quae*, aut *qua*, [pag. 317] aut per *quam*, aut *sub qua*, hoc est, non sunt fundamentum aut intrinseca ratio fundamentalis, aut objectum formale illius specifici cultus; nec regius honor illi defertur sub hoc formali quà pater, qua maritus, quà veniae largitor, quà dives, quà fortis bellator &c. Quod ad me, ego in Thesibus meis ne per somnium quidem cogitavi de alia ratione formali, quam quae sit objectum formale & fundamentum adorationis: immo exsertè rejeci & seclusi à tota hac disputatione illam tertiam & specialem acceptionem, ad quam terminum rationis formalis *sub qua* nonnulli philosophi (nec tamen satis peritè) trahunt; aliis & melioribus reclamantibus. Tota ergo haec disceptatio contra Theses meas in otiosam & ἀπροσδιόνυσον sciomachiam desinit. Nihil
ergo

ergo ad me. Nec etiam tangit Maccovium, aut defendit Amesium, & si qui cum illo sentiunt, aut oppugnat Socinianos & Remonstrantes: siquidem nemo eorum per somnium cogitavit τὸ *qua mediator adorandus*, & *adorationis rationem formalem sub quâ*, novè & absurde excogitatâ hac notione sive affirmando sive negando usurpare.

Hypothesis seu postulatum. 2.

Consideratio rationis formalis *quae*, & rationis formalis *qua* seu *per quam* in objecto adorationis, est extra praesentis problematis terminos; sed tantum agitur de ratione formali *sub qua*, quae rationem formalem *quae* & *qua* praesupponit: hoc est agitur de *ratione formali objecti ut objectum est*, quae rationem formalem ex parte rei, ut res est, praesupponit. *Resp.* Immo extra terminos praesentis problematis est consideratio *rationis formalis sub qua*, siquidem stricta & speciali notione ex usu quorundam scholasticorum accipiatur. Potest laxe & usu atque arbitrio alicujus philosophi aut philosophorum (quibus tamen accuratiores contradicunt) alicui aptari terminus rationis formalis, cui non conveniat terminus objecti formalis. Omni enim objecto formali concrete sumto aptari potest & identificari potest ratio formalis abstracte sumta, sed non contra. Nam ratio formalis sub qua, stricte & distincte secundum nonnullos sumta non est objectum formale, aut illud constituit. Atqui hic inter nos & heterodoxos, & inter orthodoxos laborantes in solutione exceptionis Socinianae, agitur & quaeritur de objecto formali adorabili seu adorando. Ut simili explicem, cum disputatur in physicâ de subjecto seu objecto formali physicae, specifice distincto ab objecto formali Medicinae, artium fabrilium, venationis, piscationis, agriculturae &c. quae cum physicâ circa idem objectum materiale versantur (corpora scil. naturalia) in considerationem venit ratio formalis *qua* & *per quam*, & dicitur physica versari circa corpus naturale *qua* naturale seu *qua* mobile. Non autem venit in considerationem illa ratio formalis *quae* apud nonnullos, & ex iis apud *Castaneum in distinctionibus*, [pag. 318] dicitur ratio formalis *sub qua*, neque enim illa coincidit cum objecto formali & primo atque ultimato contemplationis physicae, de quo quaeritur, & quod minime praesupponitur Sic etiam, quaeritur hic directe & proprie, quaeritur etiam inter nos & Socinianos cum Remonstrantibus. An aliquid praeter deitatem sit objectum formale adorationis religiosae, hoc est, an aliud sit fundamentum quod fundet adorationem religiosam, alia sit ratio formalis *quae & per quam* adorationis, quam deitas. Cum quaestione sic proposita coincidit haec, An sub alio formali quam deitatis aliquid adoretur seu an cultus noster religiosus debite tendat in aliquod objectum, quam sub ratione formali deitatis. Nos *Neg.* Illi *Aff.* Ita ut aeterna deitas tanquam unica & sola ratio formalis *qua & per quam* adorationis religiosae à Remonstrantibus, & Socinianis nullo modo praesupponatur: Multo minus ut ab illis quaeratur & contra nos disputetur, An aeterna deitas seu divina natura Christi quae *qua* talis seu sub illo formali *qua* deitas adoratur (ita ut deitas sit sola ratio formalis *quae* & *per quam*), insuper adorari possit ac debeat sub illo formali *qua* mediator, *qua* Pontifex misericors & qua aperiens affectus misericordiae humanae, &c. Hactenus ego non memini statum controversiae ab ullo Remonstrante aut Sociniano sic formatum. Nec unquam hoc de illis probabitur. Ut compendium fiat ex ipsis candidè discatur, & historicè referatur, quid velint hic in considerationem venire & quid non. Quod si quis excipiat, saltem inter orthodoxos in problematis hujus determinatione dissidentes, in considerationem venit sola ratio

formalis

formalis *sub qua* (non communiori, sed peculiari notione accepta) non vero ratio formalis *qua & per quam*. *Resp*. 1. Negatur factum. Primi occasione solvendae exceptionis Socinianae, dissidentes hic fuerunt, saltem publice noti sunt *Amesius & Maccovius*. Illius partes postea secutus fuit Walaeus, & si qui illis praeceptoribus suis assentiuntur. Sed nihil tale per somnium in mentem ipsis venisse notissimum est, ex sola inspectione *Amesii* & *Walei*. Verba eorum hic non describo, ut chartae consulam. 2. Postulatum hoc tanquam absurdum absolute negamus. Nihil enim aliud debet hic in considerationem venire in formando statu controversiae, in usurpandis particulis & terminis, nisi ex sensu & scopo heterodoxorum qui controversiam hanc nobis moverunt & pepererunt. Alioquin propria commenta nostra reali controversiae supponimus & substituimus, adversariis aliquid affingimus, & fallacias ignorationis elenchi, atque abductionis committimus & causam videmur deserere. 3. Novum problema controversum per hanc hypothesin otiose fabricatur, nec tamen problema controversum ab heterodoxis motum tollitur: & sic obscuritates & controversiae problematicae sine necessitate inter ipsos orthodoxos multiplicantur. [pag. 319].

Hypothesis, seu postulatum 3.

Quamvis quaesitum illud, An Christus qua Mediator videatur prima fronte unum & simplex, in quo subjectum unicum sit Christus, cum limitatione illa, qua mediator est; praedicatum autem τὸ adorandus: revera tamen duo sunt quaesita, propter dissidentes orthodoxorum & Anti-Trinitariorum hypotheses de persona Christi. Anti-Trinitariorum haeresis flagitat, ut hoc sit inter ipsos quaesitum, An humana natura Christi &c. *Resp*. 1. Quaesiti seu quaestionis qua talis proprie nullae sunt hypotheses, sed determinationis quaesiti, h. e. theseos affirmantis aut negantis, e. gr. Quaesitum est, An Christus corporaliter manducetur in eucharistia. *Aff*. Pontificii & Lutherani. Ergo theseos & determinationis in hanc partem, diversae possunt esse & revera sunt hypotheses: non autem problematis seu quaestionis, quamdiu est in statu indeterminationis: quamdiu enim nihil ponitur, nihil praesupponitur. 2. Cum Quaestio una est & in alteram partem determinata, quia & quamdiu in altera parte sive affirmante sive negante conveniunt, & unam thesin generalem amplectuntur duae aut tres aut plures partes caetera inter se dissidentes, non est quaestio aut thesis illa communis in plures discerpenda, sed ita retinenda, & directe argumentis oppugnanda: alioquin turbatur status controversiae. Sic ex. gr. opera nostra faciunt justitiam nostram, & Christi merita negant esse justitiam nostram Pontificii, Sociniani, Remonstrantes, Anabaptistae, Judaei &c. In hac thesi omnes conveniunt: quidquid dissideant in hypothesibus. Nos thesi illi generali controversiam movemus, & antithesin nostram directe opponimus. Ubi ad quaestiones hypotheticas aut consectarias per adversarios sive Socinianos, sive Pontificios, &c. probantes aut defendentes deventum fuerit, de novo contra illos in terminis propositis determinamus, servato scil. eodem subjecto & praedicato. Aliter si fiat, est mera confusio, ἀδολεσχία, ἀπαγωγὴ, ἑτεροζήτησις, πολυζήτησις. 3. Hac methodo disputandi tenebrae veritati offunduntur, nec explicantur sed magis implicantur difficultates, & problemata, logomachiae, sciomachiae inter orthodoxos multiplicantur. 4. Breviter dicimus, esse unicam quaestionem, *An Christus qua mediator sit adorandus*, seu *an Christus sub illo formali qua mediator, sit adorandus* in his terminis motam

motam à Socinianis, & Remonstrantibus, & ab iisdem in partem *Aff.* ut & ab *Amesio*, & post illum à *Walaeo in locis comm. contra Maccovium*, à *me vero*, & *Maccovio* aliisque theologis alibi nominatis in partem. *Neg.* determinata. Siquidem meam sententiam examinare quis velit, & Amesii sententiam, quam Thesibus meis tum oppugnabam (aliorum enim meditationes super hac quaestione nullas videram aut noveram) tueri, & adversariis heterodoxis directe [pag. 320] contradicere, necesse est maneat in terminis propositis, & alia problemata si quae huc adducantur (uti fit ab opponente) huic problemati nostro nec praemittat, nec substituat, nec cum eo confundat; sed problema nostrum categorice affirmando contra nos prius determinet, & absolvat. Quod si distinguere velit, videat an alterum distinctionis membrum sub quo affirmat, nostrae thesi neganti directe opponantur. Si in terminis & directe opponitur, jam sit disputatio, & argumenta breviter aut syllogistice aut saltem methodo scholasticorum proponantur. Sin minus, cesset logomachia, cesset efformatio aut fictio novae disquisitionis, & controversiae: saltem Thesibus meis non opponatur, quia ne verbulo quidem ejus occasionem dedi, sed contra exserte eam removi.

Hypothesis seu postulatum 4.

Quidquid per consequentiam infertur de ratione formali *sub qua* adorationis humanae naturae Christi, est de non ente &c. debebat enim τὸ sub qua explicari per suum synonymum *qua parte* &c. Atqui hoc non potest hic locum habere: quia humana natura nullo modo est adorabilis, sed tantum divina &c. *Ref.* 1. Multae quaestiones & determinationes de non ente fiunt ab heterodoxis, in quibus orthodoxi reales controversias inveniunt, ita ut quaestiones ipsae & controversiae minime numerandae sint inter non entia: e. gr. de missa, purgatorio, meritis, Monarchia Papali, Ubiquitate corporis Christi, Christi manducatione corporali, libero arbitrio, de quo titulus libri Germanici Lutheri: *Quod liberum arbitrium nihil sit.* Sic non ens est, *Christi humanitas qua talis adoranda, & Christus secundum humanam naturam adorandus*, propter unionem hypostaticam: & *Christus natura ψίλος ἄνθρωπος adorandus qua exaltatus & factus in Deum & Christum*: & sunt quaestiones *an sit*, quae de illis fiunt, revera & sensu nostro de non ente. Quaestiones tamen ipsae & controversiae de illis non entibus inter nos & inter Pontificios, aut Lutheranos, aut Socinianos sunt reales, non umbratiles, ideoque inter non entia minimè numerandae. 2. Quaestio illa, An Christi humana natura seu an humanitas à λόγῳ assumta sit adoranda, & quidem *qua* humanitas à λόγῳ adsumta; realem controversiam facit inter nos & inter Pontificios cum Lutheranis. Est ergo ens, quamvis de non ente. 3. Est nova disputandi methodus, mihi saltem hactenus ignota, quod quis adversariis controversiam moventibus, dum ad argumenta opposita respondent praescribit quomodo problema & thesim suam formare, ac terminos ejus explicare debeant. 4. Ego in meo argumento (ad quod opponens respondere intendit) non dixeram, Si Christus qua mediator adorandus, *ergo etiam Christi humana natura adoranda:* sed, dixeram ergo etiam Christus *qua homo* adorandus; seu, ergo sub illo formali [pag. 321] *qua homo* adorandus; seu, ergo sub illo formali *qua homo*, adorandus. 5. Quod particulam qua in nostro problemate controverso & in proposito meo argumento diversimode explicandam sibi sumit opponens, & *per rationem formalem sub qua* explicatam applicat τὸ *qua mediator*, & per *qua parte*, seu *qua ex parte* explicatam τῷ *qua homo* applicat; id quidem minime illi concedo. Sed utrobique

bique τὸ *qua reduplicativum* intelligi volo, eo quod fundamentum adorationem fundans, & objectum primum ac primò terminativum adorationis hic quaeratur. Sic ergo quaestio reformetur. An Christus qua homo, hoc est sub illo formali quà homo, sit adorandus. Hic affirmetur aut negetur, aut distinguatur Ego Nego, siquidem τὸ qua reduplicative, & τὸ *sub illo formali qua*, proprie & ex usu scholarum & ex sensu ac scopo adversariorum. (Pontific. & Lutheran.) accipiatur: uti accipi debet. Si opponens mecum & cum omnibus orthodoxis neget, jam videt esse controversiam realem. Sin cum Pontific. & Lutheranis affirmet, jam erit controversia magis realis. Sed si distinguat, quamcumque distinctionem adferat, necessario aut dissertatio eius meam causam juvabit, aut in meram evadet ἀκυρολογίαν aut λογομαχίαν aut σκιομαχίαν. Restat nunc controversiae hujus magis illustrandae ergo ad problemata nonnulla respondeamus. *Probl.* I. An Lutheranis concedi possit Christum quà hominem adorandum: ut συγκαταβάσει illa odium Nestorianae divisionis naturarum in Chrio quo nos gravare solent, tanto melius declinare & ipsis de sincera orthodoxia hac in parte satisfacere possimus. *Resp.* I. *Praesupponimus* meram calumniam esse, quidquid de negato cultu & adoratione Christi hominis, seu hominis Christi in concreto, nostris hic imponunt, *apud Jacobum Andreae disp. de coena, persona Christ. communicatione idiomatum, religiosa adoratione Christi qua homo*, Tubingae 1582. Nunquam enim nostri in terminis sic locuti sunt, nedum ut thesin talem ex professo alicubi defenderint. Nec etiam per ullam consequentiam ex negata adoratione Christi hominis qua hominis, tale quid educi & imponi potest; non magis quam ex negata nostris contra Socinianos & Remonstrantes, justificatione per fidem qua caritate instructam & efficacem, concludi possit, nos negare justificationem per fidem caritate instructam & efficacem; atque adeo dividere ac divellere fidem à caritate, & absolute statuere veram, vivam, ac salvificam esse fidem, quae sit sine operibus, contra *Jacob.* 2. *Gal.* 5. consequenter bona opera non esse veris fidelibus absolute aut ullo modo necessaria. Quâ absurdâ & calumniosa consequentia Pontificii sententiam orthodoxam gravare solent. Non magis etiam, quam Sociniani nostris negantibus Christum quà resurgentem ex mortuis aut qua evectum ad dextram Dei, esse, dici, credi unigenitum Dei filium; imponere possent, absolute negari ab ipsis, [pag. 322] Christum suscitatum ex mortuis & collocatum ad dextram Dei esse & credi unigenitum Dei filium: aut nostra hac assertione seu praedicatione de persona Christi divelli, & separari resurrectionem aut sessionem ad dextram à filio Dei & filiatione; quia scil. filium quà talem ejusque filiationem accurate distinguimus à resurrectione, aut sessione ad dextram, & proprium ac proximum fundamentum unius à proprio & proximo fundamento alterius. II. *Dicimus* ἀκυρολογίαν esse & merum terminorum abusum, atque adeo confusionem praedicationum de persona Christi (quas Scholastici & nostri in hac materia accurate distinguunt) cum pro eodem sumuntur *Christus homo*, & *Christus qua homo*. Rectè & verè dicitur: *Christus homo* est aeternus, immutabilis, simplicissimus, incorporeus, infinitus, omnipotens &c. Item, creavit mundum, creavit hominem ad imaginem Dei, permisit lapsum &c. Sed admodum improprie & periculose (si non falso) diceretur, Ergo etiam *Christus qua homo* est aeternus, infinitus, incorporeus &c. aut, creavit mundum &c. Rursum recte & vere dicitur Christus Deus mortuus est, & sanguinem suum pro nobis fudit *Actor.* 20. *v.* 28. Sed admodum improprie & periculose (si non falso) dice-

diceretur, Ergo etiam Christus qua Deus mortuus est. Tali indistincta phraseon acceptione, & imperitâ confusione Anabaptistae prolapsi sunt in tetros illos errores circa Personam & duas naturas Christi. Talem ἀκυρολογίαν (ut mollissime loquar) committit *Jacobus Andreae loco citato*, cum in nostros negantes Christum *qua hominem* adorandum, invehitur sub intoleranda & iniqua illa confusione τοῦ *Christus homo* & τοῦ *Christus quà homo;* & istud illi substituit, quamvis nostris invitis & reclamantibus. *Eandem* cramben recoquunt *Tubingenses in praefat. ad librum Holderi* III. *Dicimus* rectè, verè, accuratè à nostris abstractum à concreto, absolutum à limitato, praedicationes absolutas de persona Christi, à limitatis semper hic fuisse distinctas; & quidem specialiter à *Beza in colloq. Mompelgardensi*, & à *Danaeo in libro c. Chemnitium*, per adhibitam particulam *qua*, quam reduplicative & proprie ibi sumunt, non vero laxe & improprie; sive specificative sive causaliter & rationaliter. Absit enim, ut unquam negarint aut negare voluerint, Christum hominem adorandum, etiam quia homo est & filius hominis, siquidem respondendum fuisset ad quaestionem. Quis adorandus, qualis adorandus, cur adorandus. IV. *Dicimus* nostros ad sensum & intentionem Lutheranorum verè, rectè, accuratè negasse Christum qua hominem adorandum. Quia quidquid illi subinde in calore & contentione disputationis haec duo (quamvis imperite & absurde) confundere videantur, τὸ *qua specificativum* aut rationale, cum *qua reduplicativo:* tamen huc collimat ipsorum disputatio, ut Christus qua homo [pag. 323] propter unionem personalem per immediatam communicationem proprietatum divinae naturae ad humanam in abstracto sumtam, dicatur & credatur, omnipraesens, ommiscius, omnipotens, & consequenter adorabilis; ita ut objectum formale adorationis sit Christus *qua homo*, id est, ejus humanitas, seu humana natura. Vide *Eckhardi Fasciculum controversiarum* aliosque infra cit. V. *Dicimus*, siquidem Lutherani, aut aliqui ex Lutheranis, ita se declararent, quod scil. per τὸ *qua homo* nihil aliud intelligi velint, quam specificationem, descriptionem; designationem objecti adorandi, aut etiam causam, motivum, medium, rationem adorationis, aut objectum materiale; non vero objectum formale aut objectum primum & ultimatum, aut fundamentum fundans adorationem, aut rationem fundamentalem, aut rationem formalem adorationis, (qua posita ponitur, & qua ablata aufertur, & in quam sit ultima adorationis analysis:) utique nollemus hanc nominalis controversiae serram cum ipsis reciprocare; quamvis tamen ἀκυρολογίας & vocum catachreses in ejusmodi mysteriis (ubi nonnunquam vera dicere periculosum est) laudare non possemus. VI. *Dicimus*, siquidem aliqui ex illis hodie hanc quaestionem proponant. An sit adorandus *sub hoc formali quà homo*, aut *sub hac ratione formali quà homo:* non esse respondendum affirmando, sed potius negando. Quamvis enim antiqui Lutherani aliqui (à quibus tamen non memini quaestionem sic solere proponi) in terminorum philosophica & scholastica ἀκριβολογίᾳ minus exercitati fuerint, immo nonnulli ex illis eam satis fastidiverint: ut tamen hodie controversiae inter nos & ipsos, & huc spectans usus terminorum in luce positus est, ipsorumque scholae metaphysicas formalitates studiosis theologiae passim inculcant; non possumus nimia συγκαταβάσει sub periculoso tali cothurno ipsam veritatis causam adversariis quasi tradere, aut saltem periculo exponere. Sed quaerat quis, quid respondendum esset, si quis per τὸ *sub illo formali qua*, seu per τὸ *qua* intelligi vellet talem dictam aut fictam *rationem formalem sub qua*, quae se tene-

teneret ex parte hominis adorantis non vero ex parte objecti adorandi, qualis, e. gr. quà in fide aut in spiritu & veritate adoratio peragenda; Aut talem dictam aut fictam rationem formalem, quae se teneret quidem ex parte objecti adorandi, sed tantum tanquam conditio aut necessarium requisitum, sine quo objectum à nobis adorari nequit, non vero tanquam ratio fundamentalis, aut objectum formale, aut ratio formalis primo fundans & ultimate terminans adorationem: qualis e. gr. est revelatio Christi adorandi vel quà nobis revelatus est Christus. *Resp.* totam hanc πχρείσαχτον sive dubitationem sive considerationem vagari extra oleas: & ex terminorum abusu, eorumque mala explicatione aut applicatione ortam, ad infelicem ac molestam [pag. 324] conceptum & controversiarum multiplicationem, confusionem, implicationem, obscurationem. Ita ut cothurnos illos hinc amandare debeamus, & secundum communem terminorum in scholis nostris theologicis acceptionem accurate determinare: Christum hominem adorandum non esse *sub illo formali qua homo*, seu, *sub illa ratione formali, qua homo:* sed tantum *sub illo formali, qua Deus*. Sicuti supra *de adoratione Christi qua mediatoris* determinavimus. Quando autem ex orthodoxis τὸ *qua homo* concedunt nonnulli, nihil allud intelligunt, quam objectum considerationis, seu hominem & humanam naturam in objecto adorando, hoc est, in Deo filio ,considerari. Vide planam hujus rei explicationem apud *Joh. Cramerum in Enchirid. controvers. Ubiquitar. p.* 615.

DE PERSONA CHRISTI MEDIATORIS.

PARS TERTIA. [1]

Probl. II. An concedi possit Christum Deum & hominem adorandum: Totum Christum adorandum: Christi humanam naturam adorandam: Christum secundum humanam naturam adorandum: Humanam ejus naturam, qua humanam naturam adorandam. *Resp. I.* Concedunt Orthodoxi omnes. *II.* Itidem concedunt Orthodoxi. *III.* Afferunt Lutherani apud *Gesnerum disp.* 13. *de libro Concordia;* & apud *Mentzerum contra Crocium disp.* 8. *pag.* 210. 213. & *Disp.* 9. *pag.* 230. & *in disp. Giessenis tom.* 1. *disp.* 3. Et Pontificii apud *Thomam p.* 3. *quaest.* 25. *artic.* 1. quamvis cultum distinguant. Concedunt etiam non pauci nec Ignobiles Theologi nostri. Inter quos *Ursinus in explic. Catechet. ad quaest.* 50. *Anonymus* (*Beumlerus*) *in defensione admonitionis Neostadianae cap.* I. *sub finem. Beza part.* 2. *opusc. theolog. p.* 106. Et in *Joh.* 4. 22. *Zanchius lib.* 2. *de Incarnat. Polanus lib.* 6. *Syntagm. cap.* 16. *Pareus in Eirenico cap.* 28. *art.* 15. Et ante eos Patres *Athanasius in* 1. *parte concil. Ephes. Ambrosius lib.* 3. *de Spiritu sancto cap.* 12. *Theodoretus in* 1. *ad Ephes. & Dial.* 2. *Augustinus de serm. Domini, non turbetur cor vestrum. Fulgentius in resp. ad Arianos, Cyrillus Alexandrinus in epistolâ ad Nestorium, Damascenus lib.* 4. *Orthod. fidei cap.* 2. *&* 3. *& lib.* 3. *cap.* 8. Idem de duabus Christi voluntatibus. Adde *Gregor. M. homil.* 8. *in Euangelia, Theophylact. in Lucam cap.* 24. *Johannes Cantacuzenus Imperator orat.* [pag. 325] *seu apol.* 2. *contra Muhammedistas.* Sed notandum non parum variare ipsorum phrases. Sunt qui dicunt carnem

[1]) *Resp.* Joanne Migrodio. Arnemuyda-Zelando. *Ad diem* 4. *Decemb. Anno* 1647.

nem aut corpus Christi adorati, ut *Theodoretus:* alii Christum hominem adorari ut *Cantacuzenus:* Alii Christum in formâ servi positum adorari, ut *Fulgentius:* Alii, Christum adorari cum carne, ut *Cyrillus Alexandrinus:* Alii naturam nostram in Christo adorari, ut *Gregorius M. & Theophylactus.* Sed explicat phrasin *Cyrillus Alexandr. de Incarnatione pag.* 33. edit. lat. Vulcanii in 4. HER. *Ergo ut hominem adorabimus Emanuelem.* CYR. *Absit. Vanissimum enim hoc est, & fraudis atque erroris plenissimum. Nam hoc pacto nihil differemus ab iis qui creaturam potius quàm creatorem colunt. qui quidem commutarunt veritatem Dei in mendacium, sicut scriptum. quorum sententiam si nos sequamur, unà etiam cum eis audimus,* „*Dicentes se esse sapientes, stultifacti sunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei* „*in similitudinem imaginis incorruptibilis hominis, & quadrupedum, & serpentium.* Et limitant Orthodoxi hanc suam concessionem, ut videre est *ibidem* apud *Ursinum:* qui vult per carnem intelligi personam h. e. Christum hominem, seu Deum incarnatum. *Joh. Cramerus* in erudito scripto cui tit. *Enchirid. controvers. Ubiquitar. part.* 1. *pag.* 235. eodem fere modo explicat: *λόγον in humanâ naturâ seu incarnatum, vel Christum Deum & hominem esse adorandum.* Confer *ibid. pag.* 169. Imprimis *pag.* 615. Ubi Danaei explicationem adducit. 169. & *part.* 2. *pag.* 385. Et *Altingius in syllabo controvers. cum Lutheranis controv.* 2. *pag.* 190. duplicis adorationis distinctionem adhibet; ut una sit Dei, altera Mediatoris. *Danaeus* adorationem humanae naturae, immo & Christi quà hominis absolutè negaverat, in *libro de duabus naturis contra Chemnitium.* Idem tamen propter clamores Lutheranorum imprimis *Jacobi Andreae in disp. Tubingensi* mentem suam explicans, in *assert. contra Jacob. Andream,* & ante eum *Martyr. in Genes.* 18. 2. (quem ibid. adducit *Daneus*) duplicem faciunt Christi adorationem. Confer & *Martyrem in Roman.* 1. & *ibidem Willetum pag.* 91. *quaest.* 10. *in fine.* Sed omissa distinctione adorationis, simplici & expeditae explicationi *Crameri* & *Ursini* inhaereamus: cum quâ etiam conveniunt verba Danaei à *Cramero pag.* 615. *cit. Zanchius* in terminis sic loquitur, *lib.* 2. *de Incarnat. Franc. Junius defens.* 3. *contra Samosat. pag.* 179. *Wendelinus lib.* 1. *Christian. Theolog. cap.* 19. *in fine,* statuit unam esse adorationem, quae ad personam dirigitur, sed cum respectu ad utramque naturam; & adducit ibid. Damascenum lib. 4. cap. 2. *Adoratur una hypostasis unâ adoratione cum carne:* aitque constantem hanc esse Ecclesiarum nostrarum doctrinam, idque à „se probatum Exercit. 59. §. 31. *Beza concione* 1. *in histor. resurrect.* Hoc igitur „respectu haec adoratio etiam religiosa toti personae Christi debetur &c. propriè ac „simpliciter [pag. 326] Deitati, quatenus ipse Deus est, & humanitati ejus obliquè „quodammodo, id est, non simpliciter humanitatis respectu (nam detestanda esset „idololatria, quantumlibet in seipsâ excellentem & gloriosam eam agnoscamus), sed „quatenus eam Deitas illa Dei filii assumsit. *Johannes Bergius in* erudita *disp. de Personâ Christi,* habitâ Francofurti ad Oderam 4. & 9. November. 1619. *thesi* 191. negat cum Synodo Ephesinâ anathem. 8. *duos adorandos* & *duplicem adorationem* & confert ibid. Synod. Constantinopolit. 2. can. 9. Et paulo post thesi 193. subjicit: „*Nam quod aliqui* duplicem honorem, *alium λόγῳ, alium Carni debitum distinguunt* „*non* duplicem *propriè* Adorationem (*sicut Pontificii* Latriam *Divinitatis aut Per-* „*sonae, &* Hyperdulian *Humanitatis* Bell. lib. 2. de Beat. Sanct. c. 12. Suar. in „3. Tom. 1. Disp. 53. sect. 3. post Thom. p. 3. qu. 25. ar. 2. ad 1.) *sed in eadem*

Ado-

„*Adoratione* principalem respectum *ad λόγον tanquam fontem bonorum*, secunda-„rium *ad Carnem, ceu Causam Instrumentalem haberi docent, ut ita ab utrâque na-„turâ speretur quod ipsius est. Perinde ut in honore civili Humano principaliter* „Animum hominis, *secundariò* Corpus, *& tamen non duplici, sed uno actu totum* „*Hominem honoramus*. Idem sic explicat *Matthias Martinius contra Mentzerum pro Zadeele cap.* 3. *pag.* 86. Et sic ante illos *Georgius Sohnius in dispp.* Heidelbergae propositis, *disput. de adoratione filii Dei incarnati thesi* 3. ait objectum adorationis unicum esse, & adorationem unicam. Et Thes. 8. *causam adorationis propriè esse in deitate.* & thes. adorari eum non *propter humanam sed propter divinam naturam, & adorantes non in solâ enim personâ haeremus, excluso Patre & Spiritu sancto, sed totum Deum adoramus.* Combachius de communicat. idiomat. cap. 28. §. 13. nostros Theologos contra Lutheranorum obtrectationes sic explicat: *Summa huc redit* 1. *objectum adaequatum adorationis Christi esse suppositum, seu personam Christi.* 2. *carnem Christi non quidem excludi, sed tamen non esse per se terminum seu objectum adorationis.* Forbesius lib. 7. instruction. cap. 3. *odorandus sine exclusione carnis ab objecto seu termino adorationis; quamvis ratio hujus adorationis fundata sit in deitate.* Pareus in Eirenico cap. 27. *Objectum adorationis est Christus Deus & homo: causa vero adorationis Dei & hominis, est deitas. IV.* Non nisi cum adhibitâ expressa limitatione adversariis Lutheranis & Socinianis concedendum esset. Interim Orthodoxis haec phrasis sponte non usurpanda; ne cothurnus sit τοῖς ἐξ ἐναντίας. Notum enim communicatam humanae naturae divinam majestatem & adorabilitatem à Lutheranis; & Christo ψίλῳ ἀνθρώπῳ donatam ex gratia excellentiam à Socinianis pro fundamento adorationis statui. Vide *Epistol. Theolog. Schlusselburgii epist.* 47. *pag.* 25. Et *Tom.* 1. *disp. Theologic. Giessen. disp.* 3. Et *Mentzerum loc. cit.* Et confer ex nostris *Polanum lib.* 6. *syntagm. cap.* 16. [pag. 327] *Cramerum* & *Altingium locis modo cit.* Vide & *Apologiam Remonstrantium cap.* 3. Et conferant-*Apologiam Isaaci Junii. V.* Nullo modo concedendum siquidem τὸ quà reduplicativè & propriè accipiatur, ut objectum formale, terminativum ac ultimatum seu objectum proprium (ut loquitur *Danaeus*) aut fundamentum adorationis eo denotetur. Vide *Cyrillum Alexandrinum loc. cit.* absurdissimis absurdis hoc figmentum urgentem. Quod si qui forte ex Orthodoxis τὸ *qua* aut synonymum ejus τὸ *ut* hic adhibuerunt, eos laxè has particulas accepisse dicendum est: prout ipsi satis hoc explicuerunt. Et vel inde constat quod Lutheranorum sententiae semper se opposuerint; qui particulas has propriè & strictè ex usu scholarum accipi volebant, ut scil. notarent objectum proprium & formale adorationis esse humanam naturam, propter communicatam majestatem deitatis. Quomodo & Sociniani cum Remonstrantibus volunt objectum formale seu fundamentum fundans adorationem esse aliud quid, quam aeternam & ὁμοούσιον deitatem. Qui posteriores hoc ipso causam Socinianis prodere dicuntur ab *Isaaco Junio in antapologiâ cap.* 2. & 12. Eum consulant φιλαληθεῖς.

2. *Probl. III.* An pari passu ambulent quaestio de adoratione Mediatoris quà Mediatoris; & quaestio, de adoratione hominis qua hominis; & firma sit consequentia reciproca ab uno ad alterum sive affirmativè, sive negativè. *Resp. Aff.* Quia nulla potest esse quaestio de Christo Mediatore, nisi praesupponatur Christus homo: est enim Mediator quà Deus & quà homo, ut Orthodoxi contra Stancarum deter-

terminant. Vide *Epistol. Tigurinorum ad fratres Polonos.* Et *Wigandum contra Stancarum.* Et sic illas quaestiones conjunctim affirmatè determinant Lutherani; quin etiam ex nostris nonnulli per συγκατάβασιν Lutheranis hic concedunt illud *quà* seu *quatenus* laxe scil. & improprie accepta phrasi, quam postea sanè explicant Vide *Pareum in Roman.* 14. *dub.* 8. Vanum autem est effugium, & falsa hypothesi aut postulato non concedendo subnixum: Quod quando de Chr'sto homine *quà* homine adorando quaeritur, quaestio sit de parte personae Christi; ut necessariò explicanda sit haec particula limitativa *quà* per τὸ *qua parte homo est.* Jam vero Christi humana natura simpliciter non est adoranda; ergo non potest de eâ quaeri quae sit ratio formalis adorationis. *Resp.* Multa hic involvuntur, quae prolixum esset evolvere. Breviter *Resp.* 1. Partes durè & ἀκυρολόγως tribui personae Christi: in hac ergo ἀκυρολογίᾳ non quaerendum effugium. Dicamus potius cum Theologis accuratè loquentibus, & in controversia Lutherana exercitatis (inter quos nomino Cl. *Altingium*) humanitatem Christi esse adjunctum deitatis filii ἐνυπόστατον Cur ergo adjunctum substantiale temporarium λόγου seu filii Dei (humanitas [pag. 328] scil) in concreto aut in abstracto minus aut magis dicatur objectum materiale aut formale adorationis, quam adjunctum accidentale relativum itidem temporarium (mediatio scil.) sive in abstracto sive in concreto. 2. Quod opponens in statu controversiae constituendo & explicando Socinianis aut Remonstrant. aut Maccovio, aut ejus ὁμοψήφοις, ex sensu aut proprio conceptu praescribit quid intelligant per το *quà*; id quidem praeter morem & methodum disputandi mihi fieri videtur. Quidquid alii hic sentire velint (quod ego ignoro) dico omne *qua parte* esse *qua* sed non contra E. g. Petrus est risibilis quà homo, & aedificat qua faber: sed non *quà parte* homo aut qua parte faber: siquidem τὸ *quà parte* strictè & propriè accipiatur, pro limitativo secundum partem essentialem, aut integralem, &c. Sic hic quaeritur in concreto an Christus sit adorandus *quà Mediator*, seu *sub illo formali, quà Mediator.* Nos *Neg.* & inter alia argumenta nostra hoc opponimus: Qui est adorandus qua mediator seu sub illo formali quà mediator, ille etiam adorandus est quà homo, seu sub illo formali quà homo: Sed posterius est absurdum: ergo. Non video hic directè negari majorem aut minorem argumenti mei, aut per distinctionem quicquam responderi, (quod tamen fieri debuerat), sed innui quid de paralogismo: quod quid sit, aut quomodo hoc technicè dici possit, fateor me non satis capere. Nam illud quod paralogismi indicio substruitur de aliâ acceptione particulae *quà* in antecedente, quam in consequente, id gratis dicitur & contra sensum atque intentionem nostram. Quâcunque significatione alius quis concipere posset aut velit particulam *qua*, hoc me non tangit, nec argumentum meum modo propositum. Utrobique enim mihi significat rationem formalem aut objectum formale, & aequi valet huic phrasi: *sub illo formali qua.* Sic ergo argumentum instruatur: qui sub illo formali qua mediator adorandus, ille etiam sub illo formali qua homo adorandus. Sed posterius absurdum: ergo & prius. Aut sic in abstracto: Cujus mediatio est fundamentum, objectum formale, ratio formalis adorationis; illius humanitas seu incarnatio est fundamentum & objectum formale adorationis. Sed Christi humanitas non est fundamentum aut objectum formale adorationis. Ergo. Quodsi in concreto objectum materiale intelligi quis velit, jam nobis assentientibus dicatur Christum mediatorem & Christum hominem esse adorandum. Rursum, si quis in abstracto munus mediatoriam

torium statuit objectum materiale adorandum, is obstare non potest, quin idem pariter dicatur de humanitate Christi, & utrumque sano modo explicetur. Quod si omnia haec ita explicentur, ut humanam naturam, & hominem esse, item mediationem & mediatorem esse nihil aliud dicat quam objectum considerationis seu aliquid in objecto adorando [pag. 329] Christo sc. considerandum, aut insuper motivum & medium adorationis, non vero primum objectum aut terminativum: utique probamus; & jam ante haec exsertè praesupposuimus. Memini aliquando, consequentiam argumenti nostri deducentis ad absurdum, (Qui qua mediator est adorandus, ille etiam qua homo est adorandus) comparatam fuisse cum ista *Homo est rationalis, ergo etiam corpus*. Sed nimis magna hic dissimilitudo in forma & materia. In forma: quia argumentum meum constat ex propositionibus modalibus seu limitatis: hoc vero enthymema absolutis seu puris. Fiat ergo argumentum in formâ: Qui quà homo est rationalis, ille etiam qua corpus est rationalis: Sed homo quà homo est rationalis: Ergo. Quis non videt consequentiam esse manifeste falsam? *In materia*, quia in meo argumento, praedicatum *adorandus* per τὸ *mediatorem* esse (quod non est essentia deitatis seu essentialis deitas) ad subjectum restringitur: Sed in adducto argumento τὸ homo restringitur per τὸ *homo:* quod restrictivum est essentialiter & formaliter idem cum restricto. *Mentzerus contra apologeticum Crocii disp.* 8. §. 57. fundamentum adorationis humanae naturae, dicit esse ejusdem unionem hypostaticam cum filio Dei. & §. 59. hanc „*jucundam* (uti vocat) *gradationem* subjicit: Adoro „Christum in utraque natura, quia in ipsum credo: credo in ipsum, quia est meus „redemptor & salvator: est meus salvator, quia est Deus & homo: est Deus & homo „per *unionem* personalem naturae divinae & humanae. Si hic τὸ *quia* ipsi est particula causalis, aut rationalis, utique nihil dicit, quod adversarius non admittat: sin vero ipsi idem est quod τὸ *qua* reduplicativum, & notat *objectum formale*, ac *rationem formalem* in objecto, item *fundamentum* ac *rationem fundandi & terminandi;* jam videat quomodo adorabilitatis & adorationis Christi ratio formalis ac fundamentum sit ac proprie dici possit fides, hoc est, actus hominis; & sic de caeteris.

3. *Probl.* IV. An mediator *qua* mediator sit honorandus & colendus, hoc est sub illo formali *qua* mediator. *Resp.* 1. Non quaeritur nec à quoquam Christianorum dubitatur, An Christus mediator sit honorandus; aut persona mediatoris sit honoranda & colenda; aut Christus θεάνθρωπος sit honorandus & colendus. Hoc enim sine impietate negari non posset. 2. Si τὸ *quà*, & *sub illo formali quà* proprie & stricte accipias, quaestio videtur inepta & absurda. Huc enim redit, An munus mediatorium ut sic abstracte & contradistincte personae & naturis Christi sumtum ac conceptum, sit objectum formale, fundamentum, ratio formalis, ratio fundamentalis cultus sive divini sive inferioris. Similis fere est illi quaestioni, quando recte proposita quaestio, An Christi humana natura sit adoranda, seu, An Christus in & cum naturâ humanâ sit adorandus mutatur in istam, An [pag. 330] Christi humana natura qua talis, & ea sub illo formali, qua humana natura, sit adoranda. Aut quando quaestio, An Christus seu an persona Christi sit omnipotens, temporaria, immutabilis, aeterna &c. mutatur in istam. An Christi persona quà persona, & sub illo formali qua persona, hoc est, an personalitas Christi abstracte & contradistincte naturae divinae in Christo concepta, sit omnipotens, infinita, omniscia, aeterna,

im-

immutabilis &c. Haec enim attributa non competunt personalitati Christi quà tali in se scil. abstracte, & praecise spectatae aut secundum personalitatem qua talem; sed proprie competunt personae secundum naturam divinam. 3. Sin laxe, specificative & catachrestice accipias τὸ quà, jam respondendum esset: Christus qua θεάνθρωπος & quà mediator) qua homo seu secundum humanam naturam est colendus cultu inferiori & humano; Idem mediator qua Deus seu secundum divinam naturam cultu supremo, religioso, & divino colendus est. Sed tum est mera ἀκυρολογία & terminorum confusio. Nam τὸ qua terminationem & ἀνάλυσιν non in mediationem, sed in humanam aut divinam naturam indicare debet, tanquam in objecta & subjecta propria, formalia, prima & ultima: ita ut mediatori non qua mediatori, sed qua mediatori Deo aut homini, attributa illa conveniant. Quod si quaestiones sic formarentur, An Christus mediator qua mediator Deus sit omnipotens, infinitus, omniscius, divino cultu colendus; & an idem mediator quà mediator, sit genitus in tempore, materialis, frater noster, creatura &c. videretur minus ἀκυρολογίας in quaerendo & respondendo committi. Quamvis praestaret ab ejusmodi phrasibus abstineri, & perspicue atque absque ambiguitate quaeri ac responderi, de mediatore qua secundum naturam divinam omnipotente, aeterno &c. & qua secundum naturam humanam, in tempore genito, mortali &c. Conferantur de adoratione Christi-mediatoris quà Dei & quà hominis Antagonistae Lutheranorum, & inter eos *Cramerus locis* supra *citatis*, & *Matt. Martin. c. Mentzerum, pro Zadeele* tit. *Incisio capitalium &c. nervorum* &c. *pag.* 86. 88. 89. Et *Scultetus. c. Thummium p.* 31. 12. *Polanus lib.* 6. *c.* 16. Et nihil aliud videntur voluisse, *Martyr, Danaeus,* supra cit. distinctione suâ de duplici adoratione Christi: quamvis forte non ita perspicue mentem suam, & nostram sententiam per omnia expresserint. *Probl.* V. An cum de Christo θεανθρώπῳ & mediatore absolute quaeritur, an sit adorandus, colendus, amandus; possit etiam respondere de cultu, adoratione, amore humano seu creaturali secundum humanitatem seu qua homo; an vero tantum respondendum sit de cultu & amore divino secundum deitatem, seu qua Deus? *Resp.* Si in genere quaeratur. An Christus mediator colendus, adorandus, amandus [pag. 331] in genere & simpliciter, in partem affirmantem responderi potest: & tunc adoratio, amor, cultus, per indifferentiam & divinum & creaturalem (seu cultum ad secundam decalogi tabulam referendum) complectitur, neutrum excludit. Rursum potest affirmationi ista limitatio addi, secundum divinam quidem naturam divino seu religioso, secundum humanam vero creaturali, seu cultu, qui alius sit à divino seu religioso. Sed si quaeratur, Sitne Christus mediator colendus, adorandus, similiter amandus amore & cultu divino: an vero humano seu creaturali; an denique utroque: respondendum est, utroque, ut scil. tribuatur Deo quà tali quod Dei, & ut creaturae seu homini excellentissimo quà tali, quod hominis excellentissimi est. non vero quod Dei est. Vide & confer *Martinium, Wendelinum, Combachium, aliosque in controversiis Lutheranicis, loc. modo citatis.* Similis quaestio est Titius pater Maevii habeatne cognitionem? ad quam simpliciter respondetur, *Aff.* Sed si quaeratur, An habeat cognitionem sensitivam, an intellectualem, Respondetur, utramque illam quidem quà animal, istam vero quà homo. His problematis ita determinatis, videmus, quomodo refutari possit haec objectio: Christus quà mediator & sub illo formali quà mediator adorandus est adoratione aut divinâ & supremâ; aut aliquâ religiosâ inferiori;

aut

aut pure humanâ; aut nullâ. Sed nec hoc, nec istud, nec illud est admittendum: ergo dicendum est primum. *Resp.* 1. Per meram petitionem principii praesupponi & indebite sumi, quod erat probandum, Christum scil. esse adorandum qua mediatorem. Quasi quis sic argumentetur: Pater Maevii qua pater Maevii & sub illo formali quà pater Maevii habet cognitionem; aut intellectualem, aut inferiorem seu mediam inter intellectualem & sensitivam, aut pure sensitivam, aut nullam. Sed nec hoc, nec istud, nec illud est dicendum: Ergo primum. Similiter, Maevius filius Titii quà filius Titii, & sub illo formali quà filius Titii, aut quà consul, aut tribunus, aut sponsor, aut haeres; aut proxeneta &c. sanari potest aut sanatus est aliquâ sanatione, eâque aut per purgationem, aut per phlebotomiam, aut per fomenta &c. Sed non secundum aut tertium: ergo primum. *Resp.* 2. falso etiam videri praesupponi aut indebite sumi, adorationis Christi, aliud objectum adaequatum esse, quam totam personam θεανθρώπου: & alia objecta formalia esse quam mediatorem secundùm divinam & eundem secundùm humanam naturam: & consequenter alium cultum rationalem esse praeter cultum primae & secundae tabulae: aut saltem primae tabulae cultum qui est divinus seu religiosus, specifice & realiter in duos distingui, in communem Dei quà Dei, patris scil. filii & spiritus sancti; & in proprium Dei filii non quà Dei, sed qua mediatoris. Sed dicent forte non distingui realiter cultum Christi [pag. 332] mediatoris quà mediatoris, à cultu ejusdem quà Dei. Quibus reponimus signum realis distinctionis vulgò statui, quod res possint separari. Jam vero non negabunt praetensam adorationem mediatoris qua mediatoris, actu separatam fuisse ab adoratione filii Dei qua Dei, ante lapsum & ante constitutum ac datum mediatorem. *Resp.* 3. Dicendum est distincte cum antagonistis heterodoxorum, Christus mediator adoratione odorandus est, divinâ quà Deus, creaturali seu humanâ, qua homo. *Resp.* 4. Haec bene evoluta & explicata dent, remotis & exclusis heterodoxorum conceptibus, & ex superabundanti adducto aliquo Orthodoxorum consensu, de triplici adoratione Christi, quà Dei, quà mediatoris, quà hominis: sic etiam ut ubique in excerptis autorum compareat aut κατὰ λέξιν aut saltem κατὰ διάνοιαν, τὸ qua reduplicative, & τὸ sub illo formali quà. Ita constabit esse dilutum hoc sophisma, quod idem eadem formâ retorqueri possit in opponentem, cum scil aliud aliquod membrum propositionis disjunctivae in minore assumitur E. gr. Sed primum, secundum, tertium non est: Ergo quartum. Socinianus diceret, Ergo secundum. Conclusio sequitur vi propositionis majoris, quae est opponentis. Nihil ergo restat pro vindicatione hujus objectionis, nisi ut correcta hac principii petitione, alii argumentis probeter prius, Christum sub illo formali quà mediator est, esse adorandum: hoc enim nos negamus; non minus quam negamus Christum sub illo formali qua mediator est esse omnipotentem, aeternum, infinitum, patri ὁμοούσιον, ab aeterno genitum à patre & cum partre spiratorem spiritus sancti. Similis sophismatis exempla, si quis proponat, illico ad oculum videbitur, quomodo illa solvenda sint. Opponat quis Socinianus, E. gr. Christus mediator, nobis credendus est, esse filius Dei & verus Deus, quà mediator sc. seu sub illo formali quà mediator; vel per filiationem & deitatem naturalem & aeternam; vel temporalem & adventitiam; vel nullam. Sed primum & tertium dici non possunt: Ergo secundum. Accedat & alterum, Christus mediator sub illo formali qua mediator, est potens potentia finita aut infinita, temporaria aut aeterna; item, est gloriosus gloria inferiori, temporaria finita, adventi-

tia

tia seu accidentali, aut suprema, aeterna, infinita, naturali seu essentiali. Sed non priori; ergo posteriori. Vel sic, Christum Mediatorem sub illo formali, qua Mediator est, credere debemus filium ex Deo genitum; aut fide divina; aut fide religiosâ inferiori divinae tamen & supremae proximâ; aut fide nec divinâ nec religiosa, sed mere humanâ; aut fide nulla. Sed non fide inferiori, aut humana, aut nulla: Ergo fide divina. Ad sophisma in terminis responderi velim, sic ut arma nostris non eripiantur contra Socinianos; nec mediatio Christi, quae relatio est in tempore ipsa accedens, *realis* [pag. 333] quidem respectu humanae naturae, sed *rationis* respectu divinae naturae, non tantum constituatur ratio movens seu motivum aut medium fidei de filiatione, sed etiam constituatur ipsum objectum proprium & formale, primum & ultimatum, fundamentum, ratio fundamentalis & terminativa, ratio formalis fidei sub qua reliose fides salutaris in objectum illud fertur & tendit: quomodo omnis physica cognitio tendit in corpus humanum naturale sub ratione formali mobilitatis, medica cognitio in idem corpus tendit sub ratione formali sanabilitatis. Possent eadem hac forma, quam plurima istius commatis sophismata necti, de Christo mediatore sub illo formali, qua mediator est, amando, amore aut divino & summo, aut inferiori sive religioso sive mere humano &c. Sed haec plus quam suffecerint, in quibus tanquam in speculo satis videri possit, quaesitis illis argutiis, nihil aliud quam novas & majores tenebras theologicis controversiis (quarum necessitatem heterodoxi nobis faciunt) offundi; de quarum plenâ, perspicuâ, ac compendiosâ expeditione, & consequenter de quarum imminutione potius laborandum esset. Unam eandemque adorationem Christi contra similes Lutheranorum quaesitas argutias, ad modum apotelesmatum theandricorum accipiendam esse, ut & virtutem mundandi à peccatis & vivificandi potestatem remittendi peccata, exercendi judicium, regendi ecclesiam &c. ostendit Matth. Martinus contra Mentzerum. c. 3. ex quo p. 86. habe haec verba: *Adorationem igitur Christi intelligo in genere de honore seu reverentiâ, quae exhiberi debet Christo* &c. *ut cognosco Christum θεάνθρωπον & credo in Christum secundum verbum Dei, sic ipsum adoro* &c. Confer. & *pag.* 88. Sed ex recentissimis audiamus Wendelinum lib 1. c. 16. *Cultus*, inquit, *adorationis Christo secundum utramque naturam debentur. Ita tamen ut eadem utrique naturae non tribuantur: Sed divina divinae, humana humanae: Personae tamen simul omnia. Christum igitur cum invocamus, preces nostras ipsi etiam secundum* humanam naturam, *notas esse confidimus, sed ex revelatione divinae naturae: exauditionem ab humana quoque natura nobis promittimus, respectu lytri pro nobis persoluti, & efficacissimae pro nobis intercessionis, nec non promtissimae in juvandis nobis voluntatis: reliqua divinae naturae deferimus. Interim ut objectum adorationis, post incarnationem, non est natura una, vel altera seorsim considerata, sed persona, secundum utramque naturam: ita adoratio quoque ad personam; cum respectu ad utramque naturam, directa non est nisi una.* Rivetus in animadv. ad Grotii notas ad Cassandri consultat. p. 92. concedit *submissionem & propriam adorationem deberi Christi corpori, quod nunc nobis est νοητὸν & sola mente percipiendum.* Non est Ergo hic multiplex concipienda religiosa adoratio 1. Christi Dei. 2. Christi Dei quà Dei 3. Christi θεανθρώπου & mediatoris. 4. Christi mediatoris, qua mediatoris. 5. Christi [pag. 334] hominis. 6. Christi hominis, qua hominis. Sed sufficit unam intelligere adorationem ad personam, cum duplici ac distincto respectu ad duas naturas; eamque solius divinae na-

naturae respectu proprie & formaliter divinam seu religiosam; quippe quae ipsius personae tribuitur quà Deo

4. V. *Probl.* An majestas, Gloria, & Potestas Christi mediatoris quà Dei ὁμοουσίου, seu in se & absolute spectati, accurate semper distingui debeat à majestate, gloriâ & potestate ejusdem quà mediatoris, seu quae competit illi sub illo formali quà mediator. *R. Aff.* Quae enim attributis distinctis & oppositis distinguuntur in sacris literis, ea accurate & sollicitè secundum illa distinguenda sunt. Tribuitur enim Priori quod sit prima, independens, aeterna, essentialis, naturalis, necessaria per essentiam & naturam divinam qua talem, patri filio & spiritui sancto una & communis: posteriori vero, quod sit subordinata, temporaria, accessoria, libera per & secundum voluntariam Dei dispensationem, solique filio competens, non patri & Spiritui S. communis, quippe qui nunquam mediatores facti sunt, nec exinaniti, nec humiliati, nec consequenter exaltati & evecti ad dextram Dei. Certe qui hic distinctionem negaret à parte rei seu realem (late scil. sumtam,) & solam rationis ratiocinantis, quae sit mente nostrâ, admitteret, is explicationem articuli de sessione Christi ad dextram Dei corrumperet, & défensioni veritatis contra Socinianos, ac Lutheranos, ut & vindiciis orthodoxae explicationis loci ad *Philipp.* 2. non parum praejudicaret. Quod si quis hic praetexat, unum eundemque esse Christum, cui utraque haec gloria & exellentia tribuitur, & non posse has in uno illo subjecto divelli, dividi, separari: eum frustra laborare contendimus. Distinguendum enim inter divisionem & separationem aut divulsionem eorum quae simul sunt in uno eodemque Christo mediatore, & inter accuratam eorundem distinctionem. Quomodo accurate distinguunt theologi inter humanam naturam in Christo, & inter divinam, & inter utriusque proprietates, ac proprias ἐνεργείας in una persona mediatoris & in iisdem apotelesmatis theandricis seu mediatoriis. Quomodo etiam distinguunt inter personam ac personalitatem Christi ut sic, & inter utramque naturam ut sic; & consequenter limitant praedicata omnium eorum secundum proprias quasque formalitates & rationes formales; nec unquam admittunt rationem formalem unius confundi cum ratione formali alterius. Ne dicatur Christus est homo & filius hominis sub illo formali quà Deus; aut ne dicatur Christus est Deus, est omnipotens, est aeternus, est omniscius, est primus & ultimus, est absolute independens, sub illo formali quà homo, quà mediator. Aut sic, Christo competit aeterna divina, suprema, independens, essentialis, naturalis gloria, majestas &c. sub illo formali [pag. 335] quà mediator: aut vice versa, Christo competit temporaria, adventitia, subordinata, dependens, oeconomica gloria, majestas, excellentia, sub illo formali quà aeternus Deus, quà genitus ex substantia patris. Nusquam tamen theologi nostri peculiares istorum rationes formales divellunt, aut separant, aut tollunt. Haec jam satis perspicue à nobis explicata & probata arbitror. Si quis dubitet periculosas confusiones in hac quaestione duplicis & ab invicem distinctae gloriae Christi mediatoris, ut etiam duplicis dominii, ab orthodoxis theologis procul habitas, is adeat Antagonistas Socinianorum & Lutheranorum; & inter recentiores *Fr. Junium locis* supra *cit.* imprimis Polyandrum à Kerchoven in prima concertat. cum Socinianis *cap.* 20. & 21. *Polanum lib.* 6. *cap.* 31. *Vedelium in quaest. de Deo & creatione, quaest.* 43.

VI. *Probl.* An sano sensu dici possit Christum filium Dei, seu Deum filium, seu personam filii Dei esse minorem patre, non tantum qua hominem seu secundum natu-

 ram

ram humanam, sed etiam qua mediatorem, & secundum oeconomicam & voluntariam demissionem ad munus & ministerium mediatorium, & quatenus secundum divinam naturam seipsum exinanivit, & sic secundum utramque naturam exaltatus & exinanitus est. Ita ut distincte considerari debeat filius Dei in se, absolute, & ut sic; & filius Dei quà mediator, & in ordine ad ministerium & voluntarium subordinationem mediatoriam. *Resp.* Admodum sinistre haec accipunt Pontificii apud *Bellarmin. loc. cit. & Lutherani apud Mentzerum in praef. ad exegesin Augustanae confessionis.* Nos tamen *Aff.* tenendam censemus. Nec removendi sunt antiqui illi distinctionum termini circa praedicata de filio Dei Arianis olim & recte oppositi *κατὰ θεολογίαν* & *κατ᾽ οἰκονομίαν*, Quam distinctionem Basilius ad Eunomium *lib.* 2. non longe à principio, ad objectum locum *Actor.* 2. sic applicat: *ὅτι οὐχὶ θεολογίας ἡμῖν παραδίδωσι τρόπον ἀλλὰ τοὺς τῆς οἰκονομίας λόγους παραδηλοῖ.* 1. *quod non theologiae nobis modum tradit, sed dispensationis rationes declarat.* Nemo etiam nisi hospes in controversiis reformatorum cum hodiernis Antitrinitariis, Pontificiis, & Lutheranis hic difficultatem movere potest. Et cui attribuent humiliationem & exinanitionem Christi incarnandi *Philipp.* 2. 7. an naturae ipsius humanae, quae nondum actu existebat; an potius personae secundae deitatis. Interim videantur reformatorum *commentaria ad locum cit. & ad Roman.* 15. 8. *coll.* cum *Jesaiae* 42. & 43. *Zachar.* 6. *Malach.* 3. *Jesaiae.* 53. & 63. *Exod.* 23. ubi Christus dicitur minister, apostolus, angelus. Confer *disp. nostram de merito Christi.* Et *Gomari commentar. in Philipp.* 2. 7. Adde *Antagonistas Stancari;* inter quos *Tigurini in epistolis ad Fratres Polonos,* cum *Polano lib.* 6. *cap.* 27. & *Beza in epistolis epist.* 28. Et hodiernorum Antitrinitariorum, inter quos [pag. 336] *Fr. Junius in defens. de Trinit. & Polyander in concertat. cum Socinianis cap.* 19. & 20. Et ad generalem *Ballarmini in controvers.* 2. *generali Fr. Junium, Chamierum, Amesium;* Et *Lutheranorum;* inter quos *Altingius in Exegesi Augustanae confessionis artic.* 3. *p.*35. & Matth.Martinium qui peculiari tractatu contra *Mentzerum* erudite demonstravit, quod *conformi scripturis phrasi & apud patres veteres & recentiores doctores optimos frequentata recte dicatur & orthodoxe pieque in nostris ecclesiis exponatur Christum Jesum secundum utramque naturam exinanitum & exaltatum:* anno 1617. Ubi vide imprimis *pag.* 47. 48.66. 92. Inter *locor. commun. scriptores* idem sic determinat *Cluto in Idea disp.* 26. *thesi* 11. Verba Wigandi quae huc facere videntur, mox exhibebimus.

VII. *Probl.* An ergo subordinatio & inferioritas (ita loqui liceat) etiam suo modo tribui possit Christo mediatori ante incarnationem? *Resp. Aff.* relativa scil. non absoluta; oeconomica & voluntaria, non naturalis & necessaria; absque ullâ deitatis mutatione per accessionem aut imminutionem. Et sumitur ac praesupponitur hic, Christum fuisse mediatorem ante incarnationem. De quo vide *epistolam Tigurinorum ad Polonos super controversia Stancariana.* Et *Argentinensium super eadem inter epistolis Zanchii lib.* 1. *epistol.* 2. Et constat *ex locis Genes.* 48. 16. *Exod.* 23. 20. *Zachar.* 1. 12. *coll.* cum 1. *Corinth.* 10. 34. illum tunc opera mediationis exercuisse. Fuit ergo haec subordinatio voluntaria & oeconomica, quatenus sc. filii persona respectu quodam externo & *σχετικῶς* quod ad statum mediatorium, non autem in essentia sua seu *ἐκτικῶς* & in se subordinata fuit. Probatur autem hoc, ex hac unica ratione: Quia fuit mediator & respectu muneris mediatorii fuit tunc, quod pater, aut ipse absolute & in se consideratus non erat. Quidquid hic contra adfer-

adfertur, idem contra exinanitionem, humiliationem & minoritatem filii qua mediatoris tum in incarnatione, tum post incarnationem adferri posset. Ad quod nostri Lutheranis aliisque haec minus candide accipientibus abunde responderunt. Tantum velimus, ut sepositis praejudiciis, ad argumenta *Stancari*, praesertim *ordine* 15. & 33. perspicue ac solide respondeatur. Certe Wigandus in scripto contra Stancarum ad arg. 33. ductum ab absurdo consequenti, quod scil. divina natura in servilem conditionem conjiceretur & è throno majestatis dejiceretur, respondet *Deo ipsi sic visum fuit, ut unigenitus atque aeternus Dei filius*, ὁμοούσιος *Patri, fieret homo, servi formam acciperet. & omnia Mediatoris officia, pro reconciliatione & salvatione generis humani subiret atque perficeret. Quis igitur es tu misella creatura, quae hoc Dei consilium & factum improbes? Imo, quae te intemperies agitat, ut pro errore, hoc salutare dogma exagites, atque diffames? Cur tam es lividus, ut hunc fontem vitae ac beatitudinis aeternae, hominibus, peccatis tam miserè perditis, invideas, & obstruere* [pag. 337] „*nicaris? A quonam spiritu ista circumferuntur? Certe non Christi, qui* „*filii Dei stupendum beneficium hac in parte praedicat, sed antichristi, id quod res* „*ipsa palam arguit. Quod autem Deus fiat servus, ut servos homines, à servitute pec-* „*cati & mortis liberet, audi vocem ipsius Dei. Jesa.* 43. Servire me fecisti in peccatis „tuis, praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, Ego sum Ipse, qui „deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. *Audi?* „*Deus ipse clara voce ait, se in peccatis hominum servire, & laborare in ipsorum ini-* „*quitatibus. In* 53. *autem capite luculenter exponitur ea servitus:* Ipse, *inquit scilicet* „Servus *meus*, Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter sce- „lera nostra, castigatio pacis nostrae super eum, & livore ejus sanati sumus. *Et* „*electum Dei organon inquit Philipp.* 2. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam „arbitratus est, ut esset aequalis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam Servi „accipiens. *Hic docet Apostolus perspicuis verbis, ipsum Deum, servi formam accepisse.* Quod ad exceptionem illam, qua praetenditur, Christum demum post assumptam carnem tanquam mediatorem cum subjectione agere coepisse, ante autem non egisse mediatorem cum subjectione sed tantum cum subordinatione voluntaria: id ut gratis & sine probatione adfertur, ita & aenigmaticum mihi videtur. An non subjectio ut sic synonymicè est subordinatio & vice versâ? aut saltem una alteri ἀχωρίστως conjuncta? Quisquis enim alteri subordinatur, alteri etiam subjicitur. Atqui filius ante incarnationem tanquam mediator egit cum subjectione, & specialiter intercessit pro fidelibus, iisdemque impetrandam seu potius impetratam & debitam sub cautione salutem applicuit, vi implendae aliquando tempore definito satisfactionis. *Except.* Quod si quis regerat: atqui non fuit tum servus, nec causa ministra seu instrumentalis. *Resp.* 1. Quicunque termini hic usurpentur (de quibus nolumus nunc minutim disputare) sufficit quod utrimque concessum sit, fuisse subordinationem oeconomicam, respectivam, voluntariam, in tempore inchoatam, quamvis ab aeterno decretam, & contingentem per gratiosam συγκατάβασιν ab aeterna Dei essentia, & naturali, necessario, absoluto ordine personarum divinarum in eadem essentiâ distinctam, ita ut ratio formalis unius non sit ratio formalis alterius. *Resp.* 2. Filium Dei etiam ante incarnationem fuisse mediatorem & quà talem dici servum constat ex *Jesa.* 42. *Zachar.* 6. coll. cum *Jesa.* 63. Unde infero in objecto adorando rationes illas formales non debere confundi, nec unam alteri substitui

stitui, nec propria praedicata unius alteri debere tribui; in sensu formali; nec vere ac proprie dici posse, τὸ oeconomicum, voluntarium, temporarium, contingens, subordinatum quà tale esse absolute & formaliter deitate in se & ut sic, aut esse primum [pag. 338] efficientem & ultimum finem, & consequenter esse fundamentum primum, objectum formale, objectum primum & ultimum, rationem formalem *quae, quà, sub quà* religiosae adorationis, quâ positâ ponitur, quâ ablatâ aufertur. Quod si quis subordinationem hanc & ex eâ resultantem Dei seu personae quà subordinantis & Dei seu personae quà subordinatae dist. (in sensu formali scil.) admittere nolit; is videat, quomodo defendere possit cum nostris theologis exinanitionem & humiliationem Christi mediatoris secundum utramque naturam: (quippe opus θεανδρικόν, uti loquitur *Gomarus in Philipp.* 2. *p.* 195.) & consequenter recte solvere praecipua argumenta *Stancari;* quae occurrunt in *Wigandi tract. peculiari contra Stancarum:* nam ipse liber *Stancari* hactenus mihi non visus. Idem dico de argumentis Lutheranorum, contra quae nostri defendunt, divinam naturam in Christo rectè dici exaltantem & exaltatam, diverso scil. respectu. Vide *Matth. Martinum lib. cit. contra Mentzerum. cap.* 18. *Tigurinos aliosque reformatos Stancari, Socini &c. antagonistas* & quos supra *ad probl.* 6. indicavimus.

5. VIII. *Probl.* An & quantum in tota hac disputatione de Christo adorando qua mediatore, Lutherani ab uno atque altero ex nostris pro affirmante sententia disputantibus, & hi vicissim ab illis dissentiant aut non dissentiant. *Resp.* Lutheranos aliò collimare notum est, ut scil. humanae Christi naturae ea tribuant, quae deitati propria sunt, eamque in statu exaltationis adorabilem faciant. In ipsis tamen mediis, seu in causae hujus disceptatione, ut plurimum convenire necesse est. Nam *primo* à statu controversiae discedunt, eumque in progressu disputationis mutant, & particulas limitantes confundunt, easque modo ἀκυρολόγως adhibent, modo omittunt; ita ut in sensu formali accurate non distinguant illa, quae in sensu identico non distinguuntur. Inter Antiquos Lutheranos unus *Jacabus Andreas* fidem facit *in disp. de adoratione Christi,* & *in examine disp. Heidelbergensis Grynei.* Recentiores omnes *Mentzerus, Thummius* &c. eosdem coccysmos canunt. Suffecerit huic rei probandae ex recentissimis *Dorscheus Theologus Argentinensis, in tract.* nuper edito a. 1646. tit. *Interpellationes Necessariae &c. Ubi problematicae disputationi* nostrorum *de adoratione Christi* se immiscens, argumentis allatis *pag.* 232. *lin.* 33. contendit Christum mediatorem esse primum & summum bonum ac propterea adorandum. Quod nemo Christianorum hodie quod sciam, negat. Nam *Francisci Davidis* sectatores, si qui adhuc supersint, nomine Christianorum contineri non arbitramur. II. *Secundo* argumenta directa, pro adoratione Christi qua hominis & qua mediatoris eadem fere adferre solent. Vide inter alios *Balduinum in casibus lib.* 2. *cap.* 5. *casu* 7. *Luc. Osiandrum in Enchiridio controvers.* [pag. 339] *Calvinistic.* antehac nobis citatum; & *Eckhardum in fasciculo cap.* 6. *quaest.* 2. Et confer cum eo rationes *Amesii*: De quibus non dicam quod ex *Osiandro* descriptae videantur; sed tantum vulgatum illud; Aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat. III. *Tertio*, iisdem fere absurdis consequentibus sententiam nostram urgere solent. Quod scil. divellantur mediator & filius Dei, Christus homo & Deus, atque adeo ad Nestorianismum declinetur, cum scil. in sensu formali illa à nobis distinguuntur, & sua cuique praedicata secundum distinctas rationes formales in unitate personae

media-

mediatoris limitatè tribuuntur. IV. *Quarto*, quod conquerantur disputationem hanc de ἀκριβείᾳ limitationis & praedicationis cedere in ignominiam Christi mediatoris, & dicere saltem ex dictis nostris sequi, Christum hominem & mediatorem & taliter consideratum non invocandum, quia mediator est & homo est, atquē eo respectu Deo minor. Vide *Philippi Nicolai detectionem fundamentorum Calvinianae sectae* &c. *in praefat.* & *Jacobi Andreae disp. de coenâ, personâ Christi, communicatione idiomatum, adoratione Christi*, etiam qua homo: ubi enormes, intolerabiles improbitates & blasphemias intonat. Cum quibus confer *opinionem eorum* qui nostram sententiam, quam hic tuemur, impiis dogmatibus annumerant. Idem *Jacobus Andreas* admodum invectus erat in *Danaeum*, quod dixisset idololatriam esse, si quis adorationem ad humanitatem Christi tanquam objectum dirigeret. Sed *Danaeum* inter alios defendit *Joh. Jacobus Grynaeus in apologiâ contra Jacobum Andreae* (quae postea inserta est *disput. theologicar. parti* 2. *pag.* 54.) ubi p. 87. sic loquitur: *Potest sane vir clarissimus D. Lambertus Danaeus, optimo jure cum Davide, apud Dominum Jesum queri:* Quotidie verba mea torquent: adversum me sunt omnes cogitationes eorum ad nocendum, Psalm. 56. *Quum enim neutiquam negasset unquam, vel totum Christum adorandum, vel etiam Carnem ejus, gratia unionis esse adorandam: sed de proprio adorationis objecto egisset: ab hoc tamen infelice homine, absens inhumanissime traducitur & exagitatur. Satisfactum autem est huic Sophismati abunde etiam ab aliis: ac si saltem syllogistice formetur, vanitatem suam prodit.* Quicunque ait proprium invocationis objectum esse Deitatem, is negat, Humanitatem à λόγῳ assumtam gratia unionis esse adorandam. Atqui Danaeus, & qui cum eo faciunt proprium ajunt invocationis objectum esse Deitatem. Juxta dictum: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Matth. 4. 10. Ac non dubitant affirmare, Carnem propriam τοῦ λόγου, quae propter unionis gratiam adoratur, quatenus creatura est, adorandam alioquin non esse.

Ergo inquit Jacobus Adreas negant Christum adorandum esse. *In Majore est petitio principii: & Conclusio plura habet quam ferunt praemissa, quando* [pag. 340] *Sophista à parte ad totum dilabitur, ut nemo non videt. Sic enim formanda erat Conclusio, Ergo negant Humanitatem, quatenus creatura est, & per se consideratur, esse adorandam: quam tamen eandem, quia τῷ λόγῳ unita est, cum eodem esse adorandam, non negant. Talibus autem mendaciis & strophis quum Jacobus Andreas pugnet, et si nunc piis insultat, tamen paulo post triste spectaculum erit justi judicii divini. Denique*, quod concludunt sive expresse sive tacitè, quomodocunque sophisticationibus de minoritate & exinanitione relate dictâ involvantur, *totam tamen quaestionem esse de absolute sive proprie dicta:* uti exserte hoc *Martino* ingerit Mentzerus; cujus oppositum responsum vide *lib. cit. cap.* 19. p. 98.

6. IX. *Probl.* An in Christo mediatore essentia divina seu deitas ut sic, à persona ut sic accurate distingui debeat; & consequenter an absque temeraria ἀκριβολογίᾳ distingui possint attributa quae illi conveniunt quà Deis absolute, ab illo, quae illi conveniunt qua filio seu secundae personae relatè *Resp. Aff.* **1.** Quia secundum scripturam ab omnibus Theol. nostris & Scholasticis in Deo semper distinguuntur persona & essentia, rationibus formalibus & definitionibus. Quin ex recentioribus *Becan. in Theol. Scholastica* non veretur dicere, aliam rem esse personam, aliam rem esse essentiam: quam phrasin nunc non examinamus. Saltem ratio formalis unius, non

est

est ratio formalis alterius, nec propria attributa unius sunt alterius, nec de se invicem praedicari possunt, nisi in sensu identico. Hinc dicimus essentiam divinam esse communicabilem; personam esse incommunicabilem. Personam generare & spirare personam: essentiam vero ut sic nec generare nec spirare. 2. *Quia* in concreto nulla attributa de Deo aut de Personis limitate in sensu formali praedicantur, nisi cum contradistinctione e. gr. filius est omnipotens, omniscius, infinitus, à se, αὐτόθεος &c. qua Deus absolute, seu qua essentia divina; non qua filius seu secunda persona. Rursum filius genitus est à patre, alius est à patre, & realiter est ab illo distinctus; quà filius scil. non quà Deus. Similiter Pater generat filium, est à se seu à nullo, (ita ut ei soli competat aseitas, innascibilitas, generatio activa); sed quà pater, non quà Deus. Distinguendum ergo inter attributa essentialia & personalia. Et vulgatissima est distinctio inter ea quae οὐσιωδῶς, non ὑποστατικῶς; & inter ea quae vice versâ de personâ aliqua divina sunt accipienda. 3. *Quia* dist. haec accurate non observata varios errores peperit: ut antiquorum Arrianorum, Sabellianorum, & hodiernorum Socinianorum, Anabaptistarum circa doctrinam de Trinitate, de Christi persona, duabus naturis, incarnatione; Et Pontificiorum quorundam circa quaestionem de αὐτοθεῷ, de qua ex professo egimus in *prima parte selectarum disp.* denique Remonstrantium circa usus practicos doctrinae de Trinitate, [pag, 341] de qua exstat in eadem *part.* 1. *peculiaris disp. nostra.* Nec obstat quod aliquid formaliter acceptum ratione unius formalitatis, materialiter iterum accipiatur, seu se habeat ut materiale quid ratione alterius & ulterioris formalitatis; & principium aut subjectum aut objectum *quo* ratione hujus principii, aut subjecti aut objecti *quod*; nihilominus se habeat ut principium aut subjectum aut objectum *quod* ratione alterius principii, aut subjecti aut objecti *quo;* & respectivum ratione hujus absoluti simul absolutum sit ratione alterius respectivi; & abstractum ratione hujus concreti, simul concretum, aut quasi concretum sit, ratione ulterioris abstractionis. Semper enim in ejusdem formalitatis, respectus, & comparationis terminis manendum est, ne fallacia ἑτεροζητήσιος committatur. Sic e. gr. anima humana est *principium quo*, intellectionis, si comparetur cum homine, qui est *principium quod*: Et rursum eadem anima est *principium quod* intellectionis, si comparetur cum mente seu facultate intelligendi, quae est *principium quo.* Similiter Modus aliquis & respectus, est respectivum quid si comparetnr cum re seu objecto cujus est modus: idemque rursum est absolutum quid, si comparetur cum alio modo aut respectu, qui de illo praedicetur. Vide apud *metaphysicos* & *physicos* modos quantitatis, quae ipsa tamen substantiae corporeae modus est. Breviter modi secundi seu orti metaphysicis enumerati, modorum primorum (unius, veri, boni) modi sunt. Confer *disp. de formulis & praedicationibus restrictivis part.* 1. *thes.* 7. *concl.* 7.



DISPUTATIO NONA.

DE STATU ELECTORUM ANTE CONVERSIONEM[1].

Intricata satis quaestio est de statu Electorum ante conversionem, de qua conceptuum nostrorum sciographiam in praesentiarum propositurí I. praecognita quaedam & distinctiones terminorum praemittemus. II. statum electorum delineabimus. III. Dubia & controversa problemata subjiciemus. IV. *Usum hujus doctrinae tribus verbis indicabimus.*

1. Prae supponimus haec duo I. esse electionem gratuitam salvandorum, cujus terminus & effectus formalis sit *Electus. Rom.* 8. 29. 30. *Ephes.* 1. 4. 5. 11. 2. *Timoth.* 1. 9. 1. *Thessal.* 5. 10. *Actor.* 13. 39. II. Electum considerari dupliciter, ante existentiam suam, seu in esse objectivo, ut vocant; & post existentiam seu in esse existentiae. *Illo* modo consideratur, ante quam natus est *Rom.* 9. 12. Quin & ante mundum. *Ephes.* 1. 4. 1. *Matth.* 25. 35. immo ab aeterno 2. *Tim.* 1. 9. cum *Actor.* 15. 18. Attributa electi sic considerati non sunt hujus loci sed pertinent ad loc. comm. de praedestinatione. *Isto* modo consideratus habet triplicem statum 1. ante conversionem. 2. in ipsa conversione. 3. post conversionem, idque *tum* in vita, *tum* in morte, *tum* post mortem, De statu post conversionem agitur proprie in loco de Dignitate & privilegiis fidelium. De statu in ipsa conversione agitur in locis, de Regeneratione, Vocatione, Conversione, & de praxi fidei ac resipiscentiae. De primo statu hic nobis agendum.

2. Termini distinguendi sunt I. Electus nunc existens. 2. Reprobus existens [pag. 403] 3. Regenitus. 4. Non conversus. 5. Conversus. I. *Electus actu existens*, & non conversus actualiter, est vel regenitus, vel non regenitus, *Ille* est, qui ex altero parente foederato in ecclesia Dei natus, gratiâ foederali externâ & relativa, insuper gratia foederali interna sanctificationis seu regenerationis impressa & inhaerente, & hinc interna foederali relativa justificationis & adoptionis donatus, ab omnibus reprobis etiam externe foederatis, & ab omnibus electis externe non foederatis nec in infantiâ regenitis distinguitur. *Iste* est, qui ab aeterno quidem electus, sed tamen extra foedus & ecclesiam absque omni gratiâ foederali tum externâ tum internâ sive inhaerente sive relativa ex parentibus non foederatis nascitur. II. *Reprobus jam actu existens* est 1. *Nullo* modo foederatus, atque adeo tam externe quam interne, tam moraliter quam ceremonialiter inmundus; qualis ex. gr. in Ethnicismo natus 1. *Corinth.* 7. 14. cum *Actor.* 10. 15. cum *Galat.* 2. 15. 2. *Externe* foederatus,

---

[1]) *Resp.* Henrico ab Harlingen Ultrajectino. *Ad diem* 7. *Septemb.* 1639.

ratus, qui scil. natus est in foedere. 3. *Externe* foederatus non tantum nativitate ab infantiâ, sed insuper educatione & fidei professione in ecclesiâ. 4. Externe foederatus, non quidem nativitate aut educatione, sed conversione externa & aggregatione ad ecclesiam Dei; quae obtigit illi in adulta aetate, ex Ethnicismo, aut Judaismo, aut simili abalienatione seu apostasiâ. De quali reprobo intelligi possunt 2. *Pet.* 2. 1. *Judae* v. 4. Quo refer exemplum Simonis Magi *Actor.* 8. 13. qui per baptismum ecclesiae insertus fuit. III. *Regenitus* dicitur 1. *qui* in foedere Dei natus, ab utero matris sanctificatus est per Spiritum S., & ab aliis non regenitis sive electis sive reprobis distinctus per infusum seu impressum à Spiritu S. & inhaerens seu immanens aliquod donum, seu gratiam spiritualem; quae nec actus secundus sit, nec habitus, nec dispositio proprie & praedicamentaliter ita dicta; sed concipi debet tanquam aliquid habens se ad modum facultatis spiritualis seu potentiae supernaturalis, quae reduci debet ad secundam speciem qualitatis. Ut enim est potentia naturalis secunda (ex. gr. ingenium poëticum quod est in Virgilio aut Ovidio infante, & in ἀμούσῳ aliquo Corydone non est) à prima distincta: sic poni potest potentia seu facultas supernaturalis, quae sit semen & radix fidei, spei, caritatis post modum per vocationem & actualem conversionem introducendae; non tamen formaliter sit ipsa fides, seu fidei actus aut habitus, quamvis analogice & metonymice sic nonnunquam vocetur, eo quod δυνάμει & virtualiter fidem, spem, resipiscentiam &c. in se contineat, tanquam radicale earum principium. 2. *Qui* insuper impressum illud charisma seu implantatam primo primae regenerationis radicem per educationem in verae fidei & ecclesiae communione, aut per qualescunque verbi divini stimulos cooperante [pag. 404] Spir. S. excitatione, in se pullulantem aut saltem pullulaturientem sentit, & nonnullos cordis motus subinde ciet, sed imbelles, incompletos, & quasi informes, qui comparari fere possent actibus illis rudimentariis atque initialibus, quos Ethici statuunt habitum acquisitum praecedere. Quale opus conversionis, cum sit rude non-pertendens, in suo genere ens incompletum, & vix sensibile; hinc est quod talis regenitus actualiter conversus vulgo non dicatur. 3. *Qui* in adulta aetate secundum facultatem à primo primâ regeneratione impressam, actualiter & consummate convertitur a tenebris ad lucem, & à peccato & mundo ad Christum transfertur, impresso scil. fidei sive habitu sive dispositione, & actibus fidei conformiter excitatis per gratiam conversionis specialem & efficacem tum primam tum secundam: qui consequenter firmo animi proposito Christo se addicit, seipsum abnegat, & compositam ac formatam fidei ac resipiscentiae praxim exercere incipit; adeo ut vetera praetereant, omnia nova fiant. 4. *Qui* nec regenitus nec foederatus in infantia, insuper in libertinismo, Gentilismo, similive apostasia educatus, in adulta demum aut affecta aetate simul & semel regeneratur & convertitur, impressis eodem tempore & semine seu radice, & habitu, & actu fidei ac sanctitatis. Hic ergo obiter notandum vocem regenerationis sic usurpari à Theologis, ut *modo* notet primo primam quae nullum actum imprimit (uti in infantibus); *modo* primam regenerationem peccatoris, quae habitus & actus fidei ac resipiscentiae imprimit; & sic à renovatione, vocatione, actuali conversione realiter non differt; *modo* ut collective notet utrumque. IV. *Non conversus* dicitur 1. reprobus sive foederatus sive non foederatus, qui nunquam convertitur. 2. Electus non foederatus nec regenitus. 3. electus foederatus & regenitus in infantia, sed extra foedus educatus & vivens. 4. Electus

rege-

regenitus in infantiâ, insuper in foedere educatus & vivens in professione fidei, sed historicae & προσκαίρου, absque interna & efficaci conversione, absque verae resipiscentiae & fidei praxi. 5. Electus regenitus in infantia, insuper & cum educatione ac professione fidei, tractiones & motus verae fidei ac resipiscentiae semel atque iterum aut per intervalla saepius sed obscure sentiens & exerens; sic tamen ut non pertendant, nec continuentur, sed in herbâ videantur detineri, si non opprimi. Et talis dicitur non conversus, comparate scil. (haut aliter ac vere fideles dicuntur carnales 1. *Corinth.* 3. 1. 2. 3.) ad eos, in quibus pertendens, formata, (ita loqui liceat) evidens & sensibilis conversio omnia intus immutat & in τύπον διδαχῆς *Rom.* 6. 17. 18.) novamque novi hominis formam totum hominem transformat. V. *Conversus* dici potest vel laxe seu improprie, *potentialiter* scil. (alii dicerent habitualiter seu dispositive) qui scil. in infantiâ [pag. 405] est regenitus & sanctificatus; vel *actualiter*, qui proprie conversus dicendus est, & sic à nobis in totâ hâc disputatione sumitur. Est autem talis conversus vel incomplete, vel complete. *Ille* est, cujus praecedenti distinctionis membro quinto seu postremo meminimus; quem describimus 1. quod sit solus electus in infantiâ regenitus. 2. Ab infantiâ in fide & pietate educatus. 3. Occasione ordinariâ exercitii pietatis sive publici sive privati, etiam piis aliorum admonitionibus; aut extraordinariâ consideratione judiciorum Dei in se aut in aliis excitatus subinde ad aliquem fidei & pietatis sensum assurgit: quo fit ut infantiles stimulos & motus contra peccatum in conscientiâ sentiat, deliberationes de vitae emendatione, fidei amplexu, & serio pietatis studio instituat, & subinde ejaculatorias aspirationes ac desideria ad Deum emittat. 4. Hinc leviter impressa quaedam vestigia, & qualescunque dispositiones (si ita loqui liceat) ab actibus illis in corde relictae. 5. Sed totum hoc opus inchoatum tantum, non pertendens; incompletum, non completum; praeludium & praeparatorium potius, quam peremptorium: sunt enim cogitationes & volitiones illae *tum* rariores, intermissae, ac per intervalla; *tum* languidiores, remissae, quasi informes: & pendulae; ad consummationem sui, & consequentia inde apotelesmata non ita se promoventes; Sunt deliberationes plerumque absque decreto, absque executione. Sunt itidem vestigia impressa, & dispositiones ex actibus illis promanantes confusae, obscurae, rudimentariae, tanquam primi linearum ductus qui visum fere effugiunt; aut tanquam jacta aedificii fundamenta, quae supra terram vix assurgunt, & sic relinquuntur. 6. Hinc fit, ut sicut in naturalibus exigua & primo prima mutatio, seu motus sensibilis pro nullo habetur; sic tales conversionis actus ex inhaerente regenerationis radice pullulantes conversionis nomine venire vix solent, nec à fidelibus ut tales percipi atque à motibus reproborum hypocritarum distingui. Quin ipsi illi, qui motus illos sentiunt & exerunt, quamdiu tales manent, de aliquâ sui connexione cum Dei gratia & cum aeterna salute certi quid judicare & statuere possunt, nec directâ certitudine evidentiae, nec indirectâ certitudine adhaerentiae, formatâ scil. & completâ. De informi, volaticâ & incompletâ nolimus omnino negare. Unde fit, ut pii & practici nonnulli de se & de aliis dicant, se tum demum regenitos, renovatos, & conversos, cum completo, pertendente, & stabilito animi proposito, fidei & pietati, relicto errore, peccato & mundo, se addixerunt. 7. Actus tamen illos & motus ut rariores atque imbecilles, excitationi Spiritus S. tanquam regenerationis & conversionis autori adscribimus, & ex impressâ illâ qualitate, (quam regenerationis speci-

alem gratiam dicimus) tanquam semine, radice, & principio suo elicitivo derivamus. 8. Et [pag. 406] sic à motibus reproborum, (an etiam à motibus electorum non regenitorum in infantiâ, infra Disp.) formâ & specie distinctos esse dicimus. Quousque etiam reprobi sub schemate formalis hypocriseos provehi possint, ex parte docuimus in *Disp. de Simplic. & Hypocrisi. Complete* conversus est duplex, vel qui *successive* ab infantiâ mutatur & per ordinarios ac continuatos actus secundum modulum & pro ratione crescentis judicii infantilis, puerilis, & sic deinceps procedit ad completam seu formatam novi hominis dispositionem & habitum. Qualis e. gr. Samuel, Timotheus, & similes qui jugum domini à pueritiâ portare didicerunt. Vel qui per *simultaneam &* subitam mutationem in adultâ aut effectâ aetate, aut sub finem vitae convertitur. Qualis non conversus est triplex. 1. extra foedus natus & educatus, cui simul semen regenerationis & dispositio seu habitus fidei ac resipiscentiae per conversionem imprimitur. 2. In foedere natus & infantia regenitus; sed in eodem minime educatus, nec in professione ejus vivens, sed in Epicureismo, aut Libertinismo, aut Ethnicismo, aut Turcismo &c. In hoc praesuppositae seu praeintroductae per regenerationem facultati seu radici habitus seu dispositio superadditur, & ex seminali illa potentia per Spir. S. suscitatur. 3. In foedere & natus & educatus, inque ejus professione vivens; sed omni vera fide & vi pietatis destitutus, solâ ejus μορφώσει contentus, quippe crassus aut subtilis hypocrita usque ad efficacem conversionem. Et huic regenerationem in se habenti habitus aut dispositio superinditur. Porro *simultanè* conversus distinguitur in eum qui extraordinario, & in eum qui ordinario convertitur. *Ille* est qui adhibitis extraordinariis signis & circumstantiis in instanti aut brevissimo tempore mutatur & provehitur ad tertium ordinem seu gradum conversorum. Qualem ex. gr. putamus fuisse Paulum. *Iste* est qui ordinariis externae vocationis mediis fidem & resipiscentiam divinitus impressas recipit, & secundum eas actus homogeneos & formatos eliciendo de gradu in gradum ordine provehitur. Sunt autem gradus seu ordines fidelium conversorum tres. *Primus* est incipientium seu infantium 1. *Corinth.* 3. 1. 2. 3. coll. cum 1. *Petr.* 2. 1. *Hebr.* 12. & 6. 1. *Secundus* est proficientium seu adolescentium *Philipp.* 1. 9. 10. *Tertius* est perfectorum, virorum, & spiritualium 1. *Corinth.* 3. 1. *Hebr.* 5. 13. 15. *Philipp.* 3. 15. 16. Confer *disp. de regeneratione part.* 2. *in fine.*

3. His praecognitis explicatur triplex status electorum ante actualem, formalem, & completam conversionem quorum I. est *electorum, sed nec foederatorum nec regenitorum in infantiâ.* Is describitur tum κατ' ἄρσιν, tum κατὰ θέσιν. *Primo* κατ' ἄρσιν his attributis. 1. quod non sint vocati externe. 2. quod consequenter nulla fide aut resipiscentia sint praediti. 3. Quod non sint [pag. 407] uniti Christo. 4. Nec justificati aut reconciliati, passive scil. 5. Quod adoptionem seu υἱοθεσίαν non sint adepti. 6. Quod per consequens non sint glorificati (glorificatione scil. inchoatâ in hac vita), nec gaudeant libertate Christianâ, & privilegiis filiorum Dei. 7. Specialiter quod non sint amici. 8. Quod non acceperint arrhabonem Spiritus, nec habeant pacem apud Deum in conscientia. 9. Quod mala ipsis non cooperentur in bonum, nec poenae & vindictae Dei desinant ipsis formaliter tales esse, saltem in sensu ipsorum. 10. Breviter, quod nulla renovans, & efficaciter convertens specialis gratia sive prima sive secunda ipsis contingat. II. Hinc peccatum in ipsis sit regnans; & nullum sit tam horrendum, in quod non possunt incidere (quo referri potest *Rom.* 5. 20.

5. 20. cum 11. 32. *Lucae.* 7. v. 37. 47. & c. 23. 32. 43.) excepto solo peccato in Spiritum Sanctum, ut mox dicemus, & finali impoenitentia. *Deinde* κατὰ θέσιν, Quod Deus erga ipsos versetur gratia triplici, praeparationis, impetrationis, applicationis. *Illa* consistit in eo quod Deus amplectatur eos amore benevolentiae specialis, secundum decretum electionis *Joh.* 3. 16. *Ista* in eo, quod in statu illo impoenitentiae sint nihilominus ex eorum numero, quibus est datus filius Dei, & qui sunt dati filio, ut eos salvaret. *Joh.* 6. 37. 39. & 10. 28. 29. 16. & 17. 11. & quod sint redempti per satisfactionem Christi; & Christus pro iis satisfecerit idque eum in finem ut suo tempore salutem iis applicaret. Denique quod sint in statu justificationis & reconciliationis apud Deum, active scil. sumptae 2. *Corinth.* 5. 20. *Haec* in eo, 1. *quod* Deus eos saepenumero conservet à multis flagitiis contra communem honestatem & humanitatem, idque per generalem gratiam reprimentem seu coërcentem, seu per communia quaedam auxilia luminis, theologiae, & conscientiae naturalis, ut & honestatis politicae. 2. *quod* omnes & singulos (si qui ad agnitionem & communem illuminationem veritatis à Gentilismo, aut simili perfecta apostasia traducti fuerint) conservet à peccato in Spir. S. quod colligi potest ex *Matth.* 12. 31. 32. cum *Hebr.* 6. 4. 1. *Johan.* 5. 16. 3. *Quod* eos conservet à finali impoenitentia, & infidelitate: atque adeo terminum fatalem mortis non attingant ante actualem conversionem.

4. II. *Status electorum foederatorum & in infantiâ regenitorum, sed in adultâ aetate demum à Gentilismo, aut Epicureismo, aut Libertinismo, aut formali hypocrisi conversorum,* eodem fere modo se habet: nisi quod juxta primo primam regenerationem & sanctificationem Spir. S. ponenda sit in illis propior quaedam salutis applicatio; unio scil. cum Christo, justificatio, reconciliatio, & adoptio, non tantum activa, sed etiam passiva quodammodo: quamvis absque ullo sensu in ipsis. Accedit, quod in educatis ac viventibus in foedere & fidei professione praeter gratiam reprimentem [pag. 408] auxilii naturalis, etiam gratia auxilii supernaturalis (verbi scil. sacramentorum, ecclesiasticae disciplinae, miraculorum) statuendâ sit; per quam ab errore ad veritatis professionem, à vitâ flagitiosa & moribus Cyclopicis ad honestam, decoram, & externe Christianam conversationem revocentur. III. *Status Electorum ab infantià regenitorum, & inde in foedere educatorum ac viventium, sed incomplete tantum conversorum,* in multis praecedenti similis est. In eo tamen differt. 1. quod actus & motus fidei ac resipiscentiae quamvis inchoatos, & admodum obsc uros ex implantato regenerationis semine subinde eliciat 2. quod in gravissima peccata quidem incidat (e. gr. Augustinus, Paulus) inter alia in haeresin, apostas[1]am, verae fidei & pietatis insectationem atque oppugnationem &c. non tamen in peccatum indurationis, mentis ἀδοκίμου, cauterizatae conscientiae. 3. Quod quamvis à gravibus illis peccatis superetur; non videatur tamen semper & omnino immunis esse à stimulis, recalicitrationibus, & quasi retrahentibus retinaculis conscientiae regenitae. Quae quidem pertendente in ipso peccati vi ac consuetudine tum temporis vix sentit; seu percipit, aut si confuse & leviter sentiat πρὸς ὥραν, non imprimit nec evidenter recordatur (haut aliter ac quis somnians totam noctem tum quidem percipit phantasmata sua, sed experrectus omnium obliviscitur). Sed post completam conversionem quotiescunque in memoriam novo lumine illustratam ea revocat, profundius & evidentius de iis judicat. Proprium enim hoc vere conversi, exacte explorare statum

statum suum non tantum praesentem, sed & praeteritum. Exemplum habes in Paulo *Rom.* 5. 8. 9. 10. coll. cum 1. *Tim.* 1. 13. & *Augustino in Confessionibus*. Vide potissimum *libros quinque priores.*

5. Atquae haec delineatio status; ad cujus majorem elucidationem facient sequentia problemata. Sunt autem ea partim thetica, partim hypothetica; illa sunt: 1. *Probl.* An possit alicubi esse prvilegium foederis externi, seu gratia foederalis externa, absque interna, tum foederali seu relativa, tum inhaerente regenerationis. *Resp. Aff.* facto enim seu experientia à posteriori docemur, magnam saepe majorem partem externe foederatorum hac aut illa aetate, hoc aut illo loco viventium, in peccatis suis perire. Atqui interne regenitos & spiritu sanctificationis insignitos perire impossibile est. Ratio est, quia sunt electi *Matth.* 24. 24. 2. *Timoth.* 2. 19. *Rom.* 11. 7. insuper regeniti ex semine incorruptibili. 1. *Petr.* 1. 23. Hinc pendet solutio *Quaest.* An omnes liberi Christianorum & Israelitarum in infantia circumcisi aut baptizati sint verè foederati. *Resp. externe Aff.* Quomodo adulti profitentes fidem sed absque interna fide salvifica, vere sunt in foedere & ecclesia visibili, non tamen vere sunt de ecclesia invisibili, aut [pag. 409] foederis gratuiti participes. Haec ita in prima hujus disp. editione determinabam a. 1639. Postea editus fuit Londini a. 1650. tractatus, cui tit. *Vindicia gratia sacramentalis*: ubi exhibentur & defenduntur determinationes pro gratiâ seu regeneratione baptismali, duorum clariss. theologorum *Davenantii* & *Samuelis Wardi;* quorum eximia eruditione & orthodoxiâ anti-Pelagianâ coram & familiariter Dordraci frui mihi contigit ann. 1618. 1619. cum istic haberetur celeberrima synodus Nationalis. Summa opinionis eorum haec est: 1. Sacramenta ponentibus obicem conferre gratiam, ut causas morales instrumentales; tum porrigendo, praebendo, exhibendo; tum obsignando & de gratiâ acceptâ certoriando. 2. Consequenter omnibus infantibus, sive electis sive non electis per baptismum conferri gratiam seu regenerationem quam baptismalem & gratiam primam vocant, quod tales óbicem non ponant, nec ponere possint. 3. Gratiae hujus primae effectum primarium esse remissionem peccati originalis per aspersionem sanguinis Christi; unde pendeat inhabitatio Sp. S., prima regeneratio, justificatio, adoptio. 4. Per hanc gratiam conferri infantibus statum salutis pro conditione parvulorum; non autem pro ratione adultorum. 5. Gratiam hanc seu regenerationem baptismalem & primam differre specifice à conversione & novi cordis creatione, quae proprie regeneratio dicitur, per quam novi habitus infunduntur, & omnes animae facultates reparantur. 6. Gratiam illam primam, & regenerationem baptismalem non habere infallibilem cum salute connexionem; quod in adultâ aetate obex secundae regenerationi (quam nos actualem conversionem appellamus) poni possit. 7. Addit auctor vindiciarum, hoc corollarium: Neminem intra ecclesiae limites natum non posse ad statum salutis pervenire, modo sibi non desit in recto usu gratiae initialis. Atque hac ratione satìs defendi putant perseverantiam sanctorum contra Pelagianos & Semi-Pelegianos. Rationes & autoritates ex scripturis, patribus reformatis confessionibus & theologis non paucas pro hâc opinione sua accumulant. Ego, ut ingenue dicam quod sentio, non video hypotheses & consectaria hujus opinionis multum abludere ab illis, quae post se trahit opinio de gratiâ universali alicubi in Belgio, Germaniâ, Galliâ, agitata: cujus meminit *disp. nostra de merito Christi*: ubi vide. Quaecunque ex scripturis, patribus, reformatis doctoribus adferuntur, non

cogunt

cogunt nos ad recipiendam distinctionem gratiae in primam seu regenerationis baptismalis omnibus baptizatis communem; & in secundam electis propriam: facile ac tuto per distinctionem regenerationis stricte dictae, & conversionis actualis (quae utraque solis electis propria est) explicari possunt. De quo vide infra *disp. de Regeneratione.* Addantur etiam & analogice huc applicentur absurda illa, [pag. 410] quibus defensores gratiae universalis ab antagonistis suis in *disp. de merito Christi* citatis urgentur. Quod ad opinionem Weigelii, quae statuit omnes infantes etiam infidelium sive adolescant & viam infidelitatis insistant, sive in infantia moriantur, per Spir. S. regenerari; ejus rationes refutatas vide apud *Joh. Crocium in Anti-Weigelio part.* 1. *c.* 17. *qu.* 6. Cum quo conferri possunt *Puccii* & *Huberi Antagonistae in disp. de merito Christi*, indicati. Sunt ergo variae sententiae circa gratiam & regenerationem infantium. *Prima*, Weigelii, cum qua Puccii & Huberi fere convenit, quae omnibus infantibus, qui nascuntur, regenerationem & gratiam internam tribuit. *Secunda* Socinianorum & Anabaptistarum, quae nullis tribuit. *Tertia*, ad quam inclinare videtur. *Franc. Junius in collat. de natura & gratia in resp. ad rat.* 28. quae tribuit omnibus infantibus etiam extra ecclesiam natis, in infantia morientibus. *Quarta*, anonymi theologi Angli, & Davenantii ac Wardi, quae sub distinctione modo indicata, tribuit omnibus infantibus baptizatis & in ecclesia natis. *Quinta*, Pontificiorum, quae tribuit solis & omnibus baptizatis sive intra sive extra ecclesiam natis. *Sexta*, Cornelii Burges (de quo *infra Probl.* 3.) quae sub distinctione tribuit omnibus & solis baptizatis ut scil. baptismus sit medium ordinarium regenerationis) infantibus, sed electis. *Septima*, reformatorum doctorum communiter, quae tribuit omnibus & singulis infantibus foederatis, sed electis; sive illi in infantiâ baptizentur, aut non Baptizentur; sive in infantia moriantur; sive ab ineunte aetate in fide educentur & vitam fidei continuo vivant, sive ante obitum actuali conversione ad fidem & resipiscentiam denuo adducantur. Et in hac sententia hactenus acquiesco. II. *Prob.* An electi externe foederati seu in foedere nati, omnes & singuli in infantia seu ab utero matris sint interne foederati, sancti, & regeniti? *Resp.* In genere quidem haut gravate hoc concedere videntur Theologi; sed duriusculum forte videatur, si extendamus etiam ad illos, qui sine actuali fide & resipiscentia sive in externa ecclesiae communione sive extra eam persistunt usque ad 30. aut 70. aetatis annum, immo usque sub finem vitae. Tamen affirmandum est, tandiu semen illud regenerationis sine ulla germinatione sub glebis posse delitescere: siquidem consona nostris hypothesibus dicere velimus, Rationes sunt. 1. *Quia* loca *Actor.* 2. *Ezechiel.* 16. *Marci.* 10. 1. *Corinth.* 7. statuunt liberos foederatorum subjectum proprium (secundo modo proprii) justitiae, sanctitatis, adoptionis & salutis in Christo per Spiritum S.; ergo dicendum est habere tales S.S. regenerantem, ejusque effectum formalem, unionem cum Christo & sic imputatae justitiae & inhaerentis sanctitatis gratiam. Aut enim de omnibus & singulis hoc verum est, aut de nullis, aut de aliquibus. Non *primum*; quia à posteriori ex finali impoenitentia multorum, cum adoleverint [pag. 411] & ex sequenti condemnatione colligimus, eos nunquam fuisse Christo insitos seu unitos, quos propterea nunquam pro suis novit *Math.* 7. Non *secundum* quia tum attributa omnia (infallibiliter sc- ἐχόμενα τῆς σωτηρίας) quae de foederatis in infantia dicuntur ratione temporis praesentis, falsa essent: de nullo enim verificarentur haec effata: *Deus eum diligit tanquam suum: Deus eum justificavit*

ficavit & sanctificavit: Habet Spiritum S., ex promissione: Est filius Dei membrum Christi, membrum ecclesiae visibilis, haeres vitae aeternae, ablutus est sanguine Christi &c. Atqui hoc absurdissimum est; non minus quam si quis oratione accommoda de externa Ecclesia visibili Israelitarum aut de Corinthiaca, Romana &c. in N. T. privilegia sanctorum & corporis mystici in genere & indefinite efferret; quae tamen nulli reipsa, propriè, & intrinsece competerent. Sequitur ergo aliquos foederatos in infantia esse regenitos; omnes eos, scil. qui sunt electi & salvandi. 2. *Quia* alioquin circumcisio in V. T. & Baptismus in N. T. ordinario esset signum & sigillum vacuum immo falsum: Ostenderet enim & obsignaret gratiam justificationis, & sanctificationis, quae tunc temporis nulla esset. Quod absurdum. 3. *Quia* disputationes nostrorum contra Anabaptistas de paedobaptismo; & contra Pontificios ac Lutheranos de Baptismi efficacia; & contra Socinianos & Remonstrantes de Universali & speciali gratia, de praedestinatione, de perseverantia &c. conformiter hypothesibus nostris & exacte absolvi non possunt, nisi sententia haec statuatur. Vide & confer *Scriptores locorum communium de Justificatione, Regeneratione, Foedere, Baptismo &c.* item *Polemicos contra Anabapt.* alibi nominatos; contra Lutheranos, quos citat *Eckhardus in Fasciculo cap.* 19. *quaest.* 10. 12. 13. Contra Pontificios, imprimis *Antagonistas Bellarmini ad libr. de Baptismo cap.* 8. 9. 10. 11. 13. Contra Remonstrantes, *libellum* vernaculum *D. Triglandii* oppositum Remonstrantium, *libello*, cui tit. **Nuelgeest** &c. Contra hanc sententiam opponi potest; Nullam in infante esse regenerationis gratiam, sed eam produci per baptismum ex operato, aut cum eo simul à Deo imprimi; Baptismum obsignare tantum gratiam futuram non praesentem; esse impressam aut sanctitatem, aut characterem in omnibus baptizatis, etiam reprobis & damnandis; Gratiam in infantiâ impressam excuti & amitti per negligentiam &c. Haec & similia (de quibus in controversiis de Baptismo agitur.) partim ab Eckhardo partim à Pontificiis aliisque objecta in ipsa disputatione solvemus. Haec ita scribebam a. 1639. Sed nuper in manus meas incidit *tract.* anglicus *Cornelii Burges de baptismali regeneratione electorum infantium*, editus Oxoniae a. 1629. Ubi distinguit regenerationem in *initialem*, & *actualem*. Illam vocat *seminalem* aut *potentialem*, quae consistit in participatione spiritus Christi, qui vitae spiritualis quasi formae [pag. 412] sit & principium. Istam consistere dicit in ipsa spirituali essentiâ actualiter in Christianis producta à spiritu renovante. Adducit pro hac sententia sua praeter scripturas, patres, & autoritatem ecclesiae Anglicanae, *Calvinum lib.* 4. *Instit. c.* 15. & 16. *Chamierum lib.* 5. *de sacram. cap.* 4. *part.* 10. *& lib.* 2. *cap.* 6. *part.* 4. *&* 46. *Bucerum in scriptis Anglic. de vi & efficacia baptismi. Martyrem loc. comm. class.* 4. *cap.* 8 *sect.* 2. *&* 14. *Musculum in loc. comm. de baptismo qu.* 1. *sect.* 8. *Franc. Junium in thesibus de paedobaptismo.* Et *in examine Gratiani Prosperi part.* 3. *Zanchium in confessione, cap. de baptismo sect.* 1. *Danaeum in commentar. ad Augustini enchiridion cap.* 52. *Vossium de paedobaptismo part.* 1. *thesi* 15. *Theologos Leidenses in censura confessionis Remonstrantica cap.* 23. Quibus addit scriptores Anglicanos *Juellum, Hoockerum, Wittakerum Th. Rogers, Amesium, Davenantium, Fulconem, Franciscum White.* Opinio hujus autoris mihi hactenus placet, quod statuit in infantibus electis & foederatis locum habere Spiritus Sancti regenerationem initialem, per quam principium, & semen actualis conversionis seu renovationis suo tempore secuturae imprimitur. Quod autem regenerationem hanc post-

postponit baptismo, eique tanquam causae sine qua non, aut instrumento morali, ad quem sequatur, alligat: id ex theologis reformatis modo citatis non probatur. Nota est enim sententia eorum de efficaciâ baptismi non in producenda regeneratione, sed in jam productâ obsignanda; ita omnis & tota ejus efficacia, exhibitio, & collatio fit per modum signi & sigilli. III. *Probl.* An ex electis natis in foedere soli illi in infantia sint regeniti, qui inde & continuo ad pietatem formati sunt eamque exercuerunt; an vero etiam illi, qui apostasia aut improbitate abducti fuerunt? *Resp. Aff.* post. & probari potest exemplo Pauli in pharisaismo educati, & Augustini in manichaismum prolapsi. IV. *Probl.* An ubicunque in infantia adest gratia & sanctificatio externa foederalis, ibi semper adsit gratia internae regenerationis. *Resp. Neg.* Ea enim non nisi infantibus electis competit. V. *Probl.* An Electi in infantia foederati & regeniti possint in horrenda peccata, nominatim in universalem apostasiam aut improbitatem incidere? *Resp. Aff.* exemplis latronis in cruce, peccatricis *Luc.* 7. Regis Minassis &c. VI. *Probl.* An male aut frustra foederatis infantibus conferatur baptismus, cum non sit sigillum nisi electis & regenitis? & an non conditio haec addenda sit (ut alicubi objiciunt Remonstrantes) *Baptizo te siquidem electus es. Resp. Neg.* Neque enim aliter confertur baptismus nec applicatur verbum promissionis infantibus, quam adultis coena domini aut baptismus. Praesupponitur enim ex externa professione (cui analoga in infante professio parentum, tanquam conditio & signum ex indicio verbi Dei nobis sufficiens) interna fides & resipiscentia (cui [pag. 413] analogum est in infante spiritus & semen fidei): quae si adsit jam obsignat, & proprie ac formaliter sigillum est: sin minus, nihil obsignat; & minister sacramenti solo & debito caritatis judicio subnixus non peccat; nec de statu baptizandi ulterius inquirit, aut sollicitus esse potest. Pari ratione & certitudine adultis promissiones Euangelii effert, & applicat, (Vide *Catechesin quaest.* 84.) caetera Deo committit, juxta illud 2. *Timoth.* 2. v. *ult.* VII. *Probl.* An in electis infantibus sed extra foedus natis & in adulta aetate ad fidem conversis, sit gratia interna foederalis & spiritus regenerationis, absque gratia foederali externa? *Resp. Neg.* saltem à nobis non potest affirmari, de illis, inquam, non magis, quam de reprobis: quia nullum nobis argumentum aut signum est à posteriori, unde judicio fidei aut caritatis quidquam statuamus. Quomodo de adultis (ut à Deo electis) nihil tale affirmandum est, quamdiu absque fidei professione & operibus externis seu fructibus spiritus perseverant. Alia autem quaestio est, An infantes extra foedus nati & ibidem in infantia morientes, omnes & singuli, aut saltem aliqui sint electi, & consequenter interne regeniti ac justificati. *Resp.* Posse esse, nolim *negare.* Actu esse, *affirmare* non possum; quia nihil de eo ex scripturis liquet. Si quis malit ἐπέχειν, & Dei occulto judicio hoc totum relinquere, quam negare, non multum repugno. Vide & confer. *Franc. Junium* modo *cit.*

6. VIII. *Probl.* Quod & quale sit charisma, quod electum foederatum & in infantia regenitum ab omnibus aliis tum reprobis, tum electis non foederatis distinguit. *Resp.* Non est actio; nec habitus proprie sic dictus qui inclinet & facilitet potentiam: sed partim relatio, partim qualitas seu facultas spiritualis in mente & voluntate, ex quâ tanquam ex semine quodam potentiâ materiali (ita loquar) actuales dispositiones, & habitus per impressionem & infusionem Spir. S. suo tempore suscitantur; hoc est, dependenter ab iis & in iis generantur atque introducuntur. Unde pendet solutio

solutio sequentis problematis. IX. *Probl.* An infantes electi & foederati in ipso baptismo, aut una cum eo habeant actualem fidem. *Resp. Aff.* nonnulli, & hac hypothesi causam paedo-baptismi suffulciunt contra Anabaptistas. Nominatim ex professo hoc agunt Theologi Augustanae Confess. qui omnibus foederatis fidem adscribunt, ut videre est apud *Lucam Osiandrum fil. in enchirid. controv. Anabaptistic. cap.* 2. *quaest.* 1. Nos *Neg.* 1. Quia fides est ex auditu verbi 2. Exercetur per actum intellectus rationalis. 3. Per confessionem se exserit. *Rom.* 10. 4. Atqui nec sensuum, nec mentis, nec sermonis usus cadit in infantes modo natos. Argumenta & exceptiones Osiandri in ipsa disputatione solvemus. X *Probl.* An infantes possint dici habituali fide praediti; & quod haec infundatur illis per [pag. 414] baptismum: ut volunt *Pontificii, in Concil. Trident. sess.* 6. *c.* 7. & *ad Thomam. p.* 3. *qu.* 60. *art.* 6. *Bellarmin. de Baptismo cap.* 11. *Resp. Prius* membrum non nisi ἀκυρολόγως dicitur. Confer *disp. de Regeneratione. Posterius* absolute *Neg.* Vide *Antagonistas Bellarmin. Probl.* XI. An fides actualis iis tribuenda, partim quia actu credunt dum baptizantur; ipsa enim actio illa êst fidei professio: partim quia parentes eorum credunt; & haec fides sit dispositio actualis ad baptismum requisita, eamque praecedens. *Resp.* Sic statuit *Bellarm. loc. cit.* Sed merae sunt ἀκυρολογίαι. XII. *Probl.* An ergo nativitas in Ecclesia seu ex foederatis, aut parentum fides & professio, aut baptismus, aut exorcismus, aut preces ecclesiae pro baptizando sint causa sive principalis sive instrumentalis, aut saltem antecedens necessarium, seu causa sine quâ non, internae regenerationis & sanctificationis, & sic primi introitus in foedus & ecclesiam. *Resp. Neg.* Nam *Primo* Professio parentum & nativitas in foedere proprie est concomitans seu connexum quid si non consequens ordine naturae; quod nobis est purum putum signum indicans, quinam tanquam sancti, & foederati ad baptismum sit admittendi. Quomodo confessio fidei in adultis nullo modo est causa, aut necessarium antecedens primae ingenerationis fidei; sed est internae fidei externum concomitans, seu consequens, immo & genuinus effectus (siquidem absit hypocrisis), ex quo nos tanquam signo à posteriori colligimus esse ibi fidem & conversionem. *Secundo*, baptismus, ut & alia sacramenta, non sunt causa (moralis scil. instrumentalis) initii, sed continuationis & incrementi divinae gratiae in nobis; non adferunt primam gratiam, sed eam inveniunt aut praesupponunt: ut ex professo docetur in Controversia de *Efficacia Sacramentorum.* Interim rationes dissentientium requirant studiosi apud *Bellarmin. loco cit.* coll. ipsius Antagonistis; apud *Chemnitium in Exam. Conc. Trid. part.* 2. *ad sess.* 7. *can.* 13. *Eckhardum Fascic. cap.* 10. *qu.* 10. 12. 13. Hinc patet responsio ad sequens problema. XIII. *Probl.* An infans ex parentibus foederatis, aut altero saltem natus; sed ante baptismum à Turcis aut Judaeis abductus & circumcisus; siquidem denuo in potestatem Christianorum veniat ab iis tanquam foederatus sit baptizandus *Resp. Aff.* siquidem tantum non adoleverit, ut aliquam perfidiae Judaicae aut Turcicae professionem ipse susceperit, & ediderit. In tali enim casu putamus eum prius instruendum, ut ejuratâ dictâ perfidiâ, fidei Christianae professionem edat. XIV. *Probl.* An infans ex parentibus Anabaptisticis natus, & in infantia non baptizatus, siquidem mortuis parentibus orthodoxis sive agnatis sive tutoribus educandus suscipiatur; habendus sit non foederatus & irregenitus, & consequenter in infantia non sit baptizandus? *Resp. Pr. nolimus affirmare;* quidquid sit de [pag. 415] fundamentalibus eorum erroribus.

Quam-

Quamvis etiam distinctio facienda sit inter Anabaptistas rigidiores, aut haereseon ductores, & inter simpliciores seductos, inter quos multos reperias, qui vix sunt de Anabaptismo, quamvis iguari in communione ejus vivant. Ad *posterius* cum distinctione respondendum est, *Neg.* Et sic meminimus certo in casu determinatum in Synodo Zuyd-Hollandiae Brielanâ 1623. ut baptizaretur puella ex utroque parente Anabaptistico nata; quorum alter (pater sc.) nunc conciones nostrorum inciperet frequentare, nec omnino abnueret nec etiam annueret ut filia baptizaretur (quippe dubius adhuc circa paedobaptismum;) & cujus noverca orthodoxa baptismum illum efflagitaret: additâ hâc stipulatione, ut dicta noverca promitteret, se eam in orthodoxa fide educaturam. XV. *Probl.* An omnis actualis electorum conversio fiat cum notabili concussione, & violenta tractione, evulsione & translatione de uno extremo in aliud, de totalibus tenebris ad lucem, de regno diaboli ad regnum Christi, de mundo ad ecclesiam: an vero contra dici possit electos quamplurimos in foedere natos, & ab utero matris sanctificatos, ab infantiâ in fide & pietate innutritos jugum domini portasse à pueritiâ, atque ita assiduo, successive, & suaviter conversos fuisse absque subita mutatione aut magna *παρατηρήσει*? *Resp. Neg. pr. Aff. poster.* ex exemplis Timothei 2. *Timoth.* 2. 15. Samuelis 1. *Sam.* 1. *&* 2. Davidis *Psalm.* 71. 5. 6. *Jobi cap.* 31. 18. infantium illorum, quorum mentio *Psal.* 8. 3. coll. cum *Matth.* 21. 16. Docet etiam quotidiana experientia, in vita & morte quorundam infantium eximias fidei & pietatis scintillas, pro ratione aetatis, emicare. Nec desunt exempla eorum, qui jam inde ab infantia de fide in fidem, de virtute in virtutem progressi sunt, absque notabili aliqua defectione in fidei professione, aut interrumpente consuetudine peccandi, aut praetensa pietatis larva. Unde pendet solutio sequentis problematis. XVI. *Probl.* An solide & exacte tanquam *τεκμήριον* verae pietatis adsignari possit, evidens observatio & recordatio temporis & modi primae suae conversionis; quippe quae tanta cum pugna, & tanta cum mutatione, ac fragore, certo aliquo & signato tempore simul ac semel peracta sit, ut conversum ejus latere non possit. *Resp.* Ita quidem statuunt Theologi nonnulli practici in Semiotica spirituali prae caeteris eximii; inter quos, qui scriptis clarent, est eximius Theologus *Robertus Baltonus*, *in discursu de vera beatitudine* anglice, & belgice edito. Sed ipsa rei veritas ac necessitas cogit nos ab iis dissentire. Cum enim gnorisma hoc non sit reciprocum, sed tantum teneat in conversis pluribus, non vero in omnibus; perperam & fallaciter illud adhibetur: est ergo ab illo abstinendum, ne in dubitationes & tentationes detrudamus optimos quosque fideles, qui ab [pag. 416] infantiâ mundo renunciarunt, & Christo adhaeserunt. XVII. *Probl.* An regeneratio (quam primo primam diximus, & à vocatione atque actuali conversione distinximus) in electis non foederatis simul tempore peragatur cum vocatione & actuali conversione, quâ illi in adultâ aetate à Gentilismo, Epicureismo &c. ad fidem & pietatem actualiter & efficaciter convertuntur. *Resp. Aff.* nec videmus, cur dicendum non sit, simul & semel in talibus & semen fidei ac sanctitatis, & habitum seu dispositionem & actum secundum imprimi ac produci: sic tamen ut instantia & momenta naturae, seu signa rationis distinguantur; primum ordine sit semen seu facultas, secundum habitus seu dispositio, tertium actio. Hâc distinctione observatâ, quamplurima in controversiis de libero arbitrio, de regenerationis & conversionis efficaciâ ac modo, felicius concipi, distingui, & explicari poterunt, atque una Theologorum *ἐναντιοφανῆ* conciliari.

XVIII. *Probl.* An idem sit dicendum de electis foederatis, & in adulta aetate demum conversis, qui in infantia per spiritum regenerantem sanctificati fuere, sed ante usum rationis à Turca aut Gentili aliquo abducti & in perfidiâ ipsorum educati. *Resp. Neg.* Prius enim tempore, hoc est jam olim ab utero matris semen primò primae regenerationis ipsis implantatum fuerat: actualis autem conversio (quam primam regenerationem appellare possumus) longo tempore post peragitur.

7. XIX. *Probl.* An & quomodo electi ante conversionem sint aut non sint extra populum Dei. *Resp.* Possunt dici oves Christi & populus Dei secundum *destinationem Johann.* 10. 16. & tamen secundum executionem extra populum Dei, canes, inimici, non populus, alieni &c. *Hos.* 1. 10. coll. cum *Roman.* 9. 26. Ephes. 2. 12. 13. Quod si alicubi à Theologis dicuntur filii Dei, cogita illud accipiendum non secundum adoptionem, sed secundum praedestinationem ad adoptionem; uti illa duo manifeste distinguuntur *Ephes.* 1. 5. Aut dicendum respicere eos tantum conversos eos, qui olim in infantia in communione foederis sanctificati & regeniti fuerunt: quibus υἱοθεσίαν adscribi posse supra concessimus *thesi* 3. XX. *Probl.* An electi omnes ante mortem fiant membra ecclesiae visibilis; an vero aliquibus adscribi possit vera conversio & salus, quamvis extra ecclesiae communionem moriantur. *Resp.* Coincidit fere haec quaestio cum illa: an extra ecclesiam sit salus. Distinguenda est ecclesia in visibilem & invisibilem, particularem & universalem. Item communio cum aliqua ecclesia in explicitam & implicitam, non latentem & latentem. Dicimus ergo communionem virtualem implicitam, seu latentem cum ecclesia praesenter catholica & visibili ejusque membris, & explicitam cum invisibili & absolute catholica esse necessariam; & sine ea neminem salvari posse. [pag. 417] Sed communionem actualem, explicitam, & non latentem cum externo aliquo coetu necessariam esse negamus. Si enim sacramenta necessitate medii non sunt necessaria, sed tantum praecepti; multo magis, hoc affirmandum de ecclesia instituta, & nostri communione cum illa. Potest quis ad remos damnatus inter Turcas aut in Barbarorum & Gentilium insulam deportatus, ex unius Christiani indicio, aut ex lectione scripturae vero converti: cui tamen ante obitum occasio nunquam futura sit ecclesiae se adjungendi. XXI. *Probl.* An gratia executionis, quam exserit Deus circa electos nondum conversos possit dici specialis, & salutaris, hoc est, habens infallibilem cum salute connexionem? *Resp. Aff. utrumque.* Est enim impetratio pro electis, insuper conservatio circa electos non foederatos nec regenitos; adhaec applicatio (supra descripta) circa electos regenitos, gratia specialis, ideoque ex intentione Dei & propria conditione sua salutaris. XXII. *Probl.* An omnibus his distinctionibus admissis, non statuatur cum Semi-Pelagianis status hominis intermedius inter regenitum & irregenitum; item dispositiones praeparatoriae & salutares quae praecedant regenerationem? *Resp. Minime.* Nihil enim hic tribuitur libero arbitrio, aut naturae, aut fictae alicui gratiae universali. Breviter nec directe nec indirecte hinc docemur, gratiam salutarem aliquam esse universalem, aliquam resistibilem, aliquam amissibilem. Sed contra omnes rimulae Pelagianismi arctissime obturantur. XXIII. *Probl.* An electus in infantia regenitus, sed adultus in impoenitentia & infidelitate vivens dici possit esse in statu gratiae, eo quod per primam seu initialem regenerationem spiritus suo modo sit unitus Christo, & sic justificatus? *Resp.* Usu scripturae *Roman.* 6. 14. & communi Theologorum vix dici posset sine magna κακοφωνίᾳ;

à qua

à qua potius abstinendum est. Nisi quis adhibeat & interpretetur distinctionem, qualem fere apostolus *Roman*. 11. 28. 29. XXIV. *Probl.* An electi regeniti aliquando donentur auxiliis gratiae coërcentis tum naturalis tum supernaturalis; sic ut non accedat illo tempore aut propediem subsequatur gratia renovans, & efficaciter convertens? *Resp.* Nullam rationem videmus, cur hoc negandum sit. XXV. *Probl.* An infantes foederati in infantia morientes, omnes habendi sint pro electis & regenitis? An vero inter illos distinctio electorum & reproborum sit statuenda? *Resp.* Inclinamus in *Aff. pr.* cum *synodo Dordracena cap.* 1. *art.* 17. Et nulla ratio est, quae *posterius* certo evincat. Nulla enim effecta & signa in iis locum habere possunt, ex quibus à posteriori colligatur eos esse reprobos & damnandos; quia nunquam obicem gratiae externae opposuerunt; & Deus cavit per mortem intervenientem, ne unquam obicem quem ponere possent. Ex hoc magno sapientissimae providentiae divinae [pag. 418] praejudicio favores ampliandi sunt: saltem in contrarium non est determinandum. Si quis cum *Beza* (à Remonstrantibus aliquoties objecto) suspicetur aut dubitet, an non ex talibus infantibus alii sint electi alii reprobi: is privatam opinionem suam tenet, sed aliis & pluribus aliter sentientibus nihil praejudicat. Est hoc dogma satis commune externae gratiae & confoederationi semper respondere internam, tanquam rem signatam suo signo, nisi aut praesens status, aut subsequens eventus per effecta infidelitatis & impoenitentiae ostendat atque evincat contrarium. XXVI. *Probl.* An electi non foederati, seu extra foedus nati & viventes, & consequenter irregeniti, habere queant incompletae conversionis & ejaculatorios fidei motus, de quibus supra? *Resp. Neg.* Nam tum statuerentur motus verae fidei, absque interno fidei semine seu principio. Quod absurdum: quia est totalis ἀδυναμία in homine irregenito *Joh.* 14. 18. 2. Cor. 3. 5. XXVII. *Probl.* An novae creaturae perfectio, quam peculiariter habitum appellat apostolus *Hebr*. 5. possit dici extraordinario simul & semel & per saltum (ita loqui liceat) in aliquos introducta; quae alioquin ordinario per gradus successive & paulatim introducitur mediantibus & praecedentibus multis actibus. *Resp. Aff.* & docet hoc exemplum conversionis Pauli, qui tanto fidei robore, tanta pietatis & zeli perfectione tam subito fuit donatus. Quo referri potest exemplum latronis in cruce. Etiam ex charismatis illis Spir. S. in primitiva ecclesia per manuum impositionem obsignatis, analogice probatio aliqua desumi posset. XXVIII. *Probl.* An electis ante conversionem & fidem, mala hujus vitae sunt poenae formaliter & stricte ita dictae, à Deo scil. irato & vindice immissae? *Resp.* Sunt tales in sensu eorum; non sunt active & à parte atque ex intentione Dei; quatenus scil. intercedit justificatio & reconciliatio activa, atque impetratio immunitatis à poena, quam Christus loco eorum poenas ferendo & auferendo peperit. *Jesa*. 53. 5. cum 1. *Petr*. 2. 20. 21. XXIX. *Probl.* An Christus sit mediator, & caput electorum ante conversionem? *Resp.* De irregenitis & non foederatis *pr. Aff.* sed *poster. Neg.* non enim sunt ipsius corpus, *Ephes*. 1. 22. 23. cum 4. 15. 16. De regenitis vero *pr.* absolute *Aff.* sed *poster. Aff.* cum *dist. Durandus in* 3. *dist.* 13. *qu.* 2. K. distinguit membra in ea quae actu & ea quae in potentia aliquando in actum ducenda Christo uniuntur; & utrorumque respectu Christum esse caput dicendum, sed non aequaliter. XXX. *Probl.* An electi ante conversionem in quaevis peccata possint incidere (excepto peccato in Spiritum S. & finali impoenitentia) nominatim in peccata praesumptionis clamantia, indurationis, consuetudinem & habitum

tum peccandi, conscientiam cauterizatam, Atheismum. *Resp.* Videtur *affirmandum* ex *Ephes.* 4. [pag. 419] 18. 19. & c. 2. 2. 3. 12. *Rom.* 3. 12. 13. coll. cum *Psal.* 14. 1. 1. *Cor.* 6. 9. 10. 11. *Tit.* 3. 3. XXXI. *Probl.* An, cum nonnunquam aut saepe aliquos eorum praeservat Deus ab excessu peccati, in quem alii incidunt, gratia illa reprimens seu refroenans tum naturalis tum supernaturalis possit dici specialis & distincta ab ea, qua coërcentur reprobi? *Resp.* Non videtur negandum. Distinctio autem quae & qualis sit intrinseca ipsius gratiae (dispositionis scil. inhaerentis & impressae) reprimentis passive dictae, quae recipitur & subjectatur in mente & voluntate hominis, non ita liquet, quae scil., qualis, quanta, quam frequens sit in electo, & non sit pariter in reprobo. Sed extrinseca & respectiva distinctio auxilii istius & gratiae active sumptae seu à parte Dei, desumi potest 1. Ab objecto, quod est, electus. 2. à causa impulsiva internâ quae est amor electionis, unde tanquam ex fonte omnia haec auxilia promanant. 3. Et sic ex fine seu intentione Dei ultimata, quae est hominis illius perductio ad gratiam & gloriam. 4. An etiam, ex causa procatarctica, seu meritoria? ut scil. in repressione electi intercedat meritum Christi; & omnia haec dona atque auxilia, quamvis suo modo reprobis communia, profluant illi ex fonte illo impetratae reconciliationis & salutis pro tali electo? Nihil absurdi est si hoc dicatur. *Vasquez ad* 1. *qu.* 23. *art.* 4. *disp.* 1. *membro* 12. statuit gratiam Christi praeservasse Paulum ne peccaret ex malitia (1. *Timoth.* 1. 13.) & in genere qualecunque vocationis initium, etiam negativum (quod scil. removet impedimentum) proficisci ex gratia Christi. Quam opinionem improbat *Corn. à Lapide in* 1. *Timoth.* 1. 13. Nos missis eorum pugnis, dicamus coërcitionem circa electos promanare non tantum ex gratia electionis, sed & speciali gratia Christi mediatoris, impetrationis scil., qua meritus est ipsis omnia quae ad salutem sive remote, sive propinque, sive proxime sint necessaria. XXXII. *Probl.* De distinctione gratiae reprimentis in electis foederatis ac regenitis, & in electis non foederatis, an & qualis illa sit, non ita liquet. Itaque malumus in praesentiarum ἐπέχειν. XXXIII. *Probl.* Idem dicimus de sequentibus 1. *An* ejusmodi repressiones electis cum reprobis communes & consequenter formaliter distinctae à motibus fidei & conversionis incompletae, proveniant à spiritu & semine regenerationes in infantia impresso, an vero ab auxiliis divinis & gratiis reprimentibus generalibus? 2. *Quibus* argumentis, motivis, quo modo & quo successu agat haec gratia reprimens? 3. *An* electi in infantia regeniti, sed inde in apostasiâ & impietate extra ecclesiam educati, praeter gratiam reprimentem etiam stimulos incompletae conversionis subinde sentiant? Absolute negandum est, siquidum nulla verbi divini lectio aut auditio ipsis obtigerit. 4. *An* vestigia, seu obscurae illae dispositiones, si quae [pag. 420] post actus incompletae conversionis in animo relinquantur (ut quidem relinqui non repugnat) totaliter amitti aut excuti possint? Ita ut actibus transeuntibus, & vestigiis eorum deletis, solum regenerationis semen supersit? 5. *An* & quomodo differant rudes, infantiles & incompleti actus fidei & resipiscentiae in Timotheo puero, in quo conversio continuo ac successivo motu pertendit; & in alio aliquo puero regenito, in quo conversio non pertendit. 6. *An* & quando differant iidem actus in Timotheo, ab actibus ex formato ac stabilito conversionis & fidei habitu elicitis? XXXIV. *Probl.* An tentationes & desertiones spirituales, seu lucta aliqua carnis & spiritus locum habeat in electis ante conversionem. *Resp.* De non foederatis & irregenitis absolute *Neg.*

De

De foederatis & regenitis amplius disquiri potest: nos in praesentiarum in *Neg.* inclinamus. Quamvis enim contraria principia adsint, caro scil. & spiritus; hoc tamen nondum est actuosum; & si quo modo actuosum deprehendatur, jam dicendum est regenerationi primo primae actualem conversionem, excitationem, & vocationem accessisse. De incomplete conversis, *Affirm.* XXXV. *Probl.* An electi non foederati, aliam habeant gratiam salutarem, quam relativam, quam scil. exserit Deus circa illos, per actiones (ita loqui liceat) intentionales; non vero reales & interne quid introducentes seu imprimentes? *Resp. Neg.* Et supra aliquoties hoc inculcavimus, Quod attinet ad internam & inhaerentem gratiam reprimentem, an sit salutaris & electorum propria, hoc est, an intrinsece à gratia reprimente reproborum distingui debeat, de eo ἐποχὴν modo proposuimus. XXXVI. *Probl.* An 1. *Corinth.* 7. 14. sola gratia relativa, & externa externi foederis intelligenda sit? *Resp.* Ulterius ex istis nihil urgent non pauci ex *commentatoribus nostris;* inter quos *Pareus* & *Piscator. Remonstrantes in responso ad D. D. Professores Leidenses p.* 101. contendunt non tantum ex eo loco, sed & nullibi ex tota scriptura aliud quid exsculpi posse; nituntur autem hac ratione: quod infantes sint regenerationis incapaces. Nos non tantum ex rationibus & scripturis à nostris hactenus allatis, thesin in genere retinendam putamus: sed & loci citati explicationem ad inhaerentem sanctitatem extendendam. Quomodo Ecclesia sancta dicitur, non tantum relative & externe, sed imprimis inhaerenter, quod in omnibus & singulis verificatur, qui vere sunt de ecclesia, secundum statum invisibilem considerata. XXXVII. *Probl.* An recte dictum à Conr. Vorstio libro de Deo, notis ad disp. 10. thesin 11. p. 430. *Electi in S. literis semper iidem sunt, qui vere credentes. Nam antequam fide praediti sumus, non statuunt illae discrimen aliquod actuale inter nos & alios incredulos, sive actu reprobos* &c. *Quin potius omnes ex aequo homines, qualenus & quamdiu peccatores* [pag. 421] *sunt, inimicos Dei & irae filios appellant. Resp. Neg.* Actuale discrimen est vel intrinsecum vel extrinsecum. De isto negatur: est enim Dei amor electionis, benevolentia salutaris, & destinationis erga incredulos electos, non vero erga incredulos reprobos. Deinde increduli illi sunt Christo dati, in foedere gratiae, & in activa reconciliatione (2. *Cor.* 5. 18) comprehensi, & à Deo ad salutarem conversionem, & salutem peculiariter conservantur (supra *problem.* 22.): isti vero minime. Hinc Joh. 10. vers. 16. *Habeo alias oves* &c. De discrimine intrinseco etiam negatur, quod ad electos incredulos in infantia regenitos, & spiritu Dei sanctificatos: est enim in illis radix ac semen fidei, quod non est in incredulis reprobis. XXXVIII. *Probl.* An electi ante regenerationem possint incidere in statum excoecationis, indurationis, sensus reprobi, & dedolentiae? *Resp.* De electis extra ecclesiam natis & educatis, determinari potest ex exemplo Gentilium *Roman.* 1. *vers.* 24. cum *Ephes.* 4. 20. ex quibus aliquos ad fidem Christi conversos & salvatos, & consequenter ab aeterno electos esse credendum est. De electis in ecclesia natis, non vero educatis, videtur etiam concedi posse. Sed de electis in ecclesia natis atque educatis, dum nondum actualiter & efficaciter conversi sunt, non ita liquet.

8. Sequuntur problemata quaedam hypothetica. 1. *probl.* An Abrahamus ante vocationem ex Haran plane fuerit irregenitus? *Resp.* Si regenerationem primo primam intelligis in infantia peractam, *Neg.* Neque enim probari potest Abrahami patrem nullo modo fuisse patriarcham, & consequenter omni vel tenuissimo filo &

con-

connexione cum foedere & gratiae Dei destitutum. Confer *Disput.* de *Gentilismo.* Nolim etiam *affirmare* eum Regeneratione seu conversione actuali, saltem incompletâ in totum fuisse destitutum. II. *Probl.* Quid de Paulo ante conversionem sentiendum? *Resp.* Fuisse regenitum in infantia: quo forte referri possit *Galat.* 1. 15. Quamvis interpretes communiter de gratia relativa accipiant. Sed sufficit ratio, à circumcisione & externo foedere desumpta, quae internae foederationis & sanctitatis symbola sunt in omnibus electis & per Christum redemptis; qualis erat Paulus. Conversionem etiam aliquam incompletam nolim de eodem Paulo *negare.* Sunt qui huc trahant illud 2. *Tim.* 1. 3. sed aliam & tutiorem hujus loci expositionem habet *Beza in notis* ex collatione *Act.* 24. 14. III. *Probl.* An Lydia (*Act.* 16) & Eunuchus *Act.* 8. & Cornelius *Actor.* 10. fuerint absque omni regeneratione, aut saltem absque actuali conversione? *Resp.* Neutrum probari potest. Immo quid vetat dicere fuisse in illis (saltem in Lydia & Cornelio) completam & pertendentem conversionem. Novam itaque illam conversionem, quae accessit, non fuisse primam, sed renovatam & quasi novam atque aliam tum [pag. 422] extensive tum intensive; imprimis extensa cognitione fidei, quae in ipsis erat, tum generali, tum applicatione speciali ad Jesum Nazarenum, quem hactenus ignorabant esse verum illum Messiam. Quod si quis objiciat: Theologos nostros haec exempla adducere ut inde probent omnimodam & invincibilem gratiam Dei in primo conversionis aut regenerationis momento. *Resp.* Tanto fortius stringere argumentum: si enim Deus operatur speciali & omnipotente sua gratia renovatam conversionem, quanto magis primam. Pari ratione in eadem controversia adducunt *Philipp.* 2. 13. *Hebr.* 13. *Cantic.* 1. 4. *Jerem.* 31. 18. ubi tamen de hominibus regenitis & conversis agi nemo negaverit. IV. *Probl.* Quid statuendum de latrone in cruce? *Resp.* Siquidem fuerit Judaeus (de quo non puto dubitari), erat in infantia regenitus. Nihil de actuali ejus conversione, etiam incompleta statui potest: sed in negantem potius inclinandum. V. *Probl.* An δεσμοφύλαξ *Actor.* 16. 27. 28. 29. in infantia fuerit regenitus? *Resp.* *Affirmari* non potest, nisi constet in ecclesia natum & educatum fuisse: quod non est verisimile. Magis probabile est eum ex conversatione cum Judaeis, in adulta aetate ad aliquod fidei & pietatis granum pervenisse. VI. *Probl.* An Augustinus fuerit regenitus & actualiter conversus, ante apostasiam. *Resp.* De regeneratione primo primâ non est dubitandum. Nec etiam de actuali conversione incompleta: cujus rei fidem faciunt illa, quae refert *Confession. lib.* 3. *cap.* 6. VII. *Probl.* Quis fuerit status Lutheri ante conversionem? *Resp.* De regeneratione ejus non dubitamus. Sed quid de actuali conversione? Ut quidem vita, studia, meditationes, tentationes, & luctae ejus in Papatu, ab ipso & à familiaribus amicis describuntur, videtur ad minimum incompletae fidei, & conversionis impetus persensisse: quamvis ab altera parte monachalis illa pietatis praxis admodum vicina videatur subtiliori hypocrisi. VIII. *Probl.* Quid de plurimis eruditis, nec caetera ita malis; quorum alii ad nos transierunt, sed vix per omnia sinceros & bonae frugi reformatos se praestiterunt, aut propter rationes mundanas ad vomitum redeunt; alii, qui inter utrumque volant & fluctuant; alii in Papatus communione permanentes (ex errore scil. circa capita de Ecclesia, pace ecclesiastica, scismate &c. aut propter haec & talia) plerosque tamen, si non omnes ejus errores satis perspiciunt, & iis, ubi possunt, tecte contradicunt; alii reformationem cum ad tempus postulassent, & in multis causae

causae reformationis favissent, postea tamen irritati à nostris aut à Pontificiis deliniti, acriùs se ei opposuerunt; alii in Papatu maxime affectantes esse de papatu (ut quidem externe prae se ferunt) in praxi tamen pietatis & vita privata à papali doctrina & vitâ non obscure recedunt? *Resp.* In genere [pag. 423] dicimus; aut esse crassos, aut subtiles hypocritas: aut incomplete conversos: aut complete quidem conversos, & in specie fuisse nostros, sed eclipsin ad tempus passos. Et quamvis exempla odiosa sint: nos tamen in haec paucula, non parum tamen inter se dissidentia, inquiri permittimus, ut ex Vitis & scriptis eorum aliquid statuatur (quantum fieri potest), quod respondeatur adversariis meliores illas animas ex suis, abominationibus & sordibus Papatus praetendentibus. Sunt autem Erasmus, Sadoletus, Contarenus, Polus, Isidorus Clarius, Antonius Flaminius, Cardinalis Moronus, Cardinalis Hosius, Bartholomeus Caranza, Cassander, Balduinus J. C. Espencaeus, Renatus Benedictus, Michaël Bayus, Gropperus Bellarminus, Stapletonus, Baronius, Cornelius à Lapide, Zwarez, Pererius, &c. IX. *Probl.* Quid de Papis imprimis jam inde à Gregorio VII. statuendum? An ulli ipsorum potuerint esse regeniti & electi; cum dicantur filii perditionis 2. *Thessal.* 2. *Resp. Neg. cum dist.* siquidem in suo sensu, sua intentione, & formaliter fuerint Papae & Antichristi, secundum descriptionem Antichristi 2. *Thessal.* 2. & *Apocal.* 13. & 17. cum factis collatam. Quod impietatis fastigium interne & suo sensu, ac conatu cum nec attigisse nec affectasse nonnullos sperandum sit ex. gr. Adrianum VI. (ne quid dicam de simplici Celestino:) utique non dicendum est omnium salutem fuisse desperatam, siquidem ante mortem verâ resipiscentia dominum quaesiverint; & specialiter idolum suum Antichristianum monarchiae infallibilis in rebus fidei & ecclesiae, ex animo detestati fuerint atque abjecerint, siquidem unquam illud in animum suum admisissent. Quod potuisse à nonnullis fieri ex eo constat, quia à solo peccato in spiritum s. ἀδύνατον est converti *Hebr.* 6. & pro sic peccantibus non est orandum. Jam vero pro Paparum conversione potest orari.

9. Usus huius doctrinae. I. didascalicus est, ad felicius concipiendos & explicandos locos communes, de Electione, foedere, Ecclesia, Gratia universali & speciali, Poedobaptismo, Regeneratione & conversione, &c. II. Elencticus, ad tricas & quaestiones varias Anabaptist. Remonstrantium, Pontificiorum expediendas. III. Practicus 1. ut admiremur Dei imperscrutabiles vias, quibus suos ducit ad salutem *Rom.* 11. 33. 34. 2. Ut & nostrum & aliorum statum spiritualem, ejusque periodos, momenta, progressus, regressus penitius scrutari & assequi discamus.

Omnia cum diximus, quae Dei gratia hac vice occurrebant dicenda, manet tamen illud Servatoris Joh. 3. 8. τὸ Πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ. &c. ἀλλ' οὐκ οἶδας, &c.

Appendix Quaestionum
DE SURDIS ET AMENTIBUS.

1. I. *Quaest.* Quis sit status salutis surdorum. *Resp.* Surdi sunt vel à nativitate, vel ex casu postea superveniente. *Posteriores*, siquidem tamdiu auditu gavisi fuerint ut literas discere potuerint & aliqua fidei elementa imbiberint, ex lectione scripturae

turae ad fidem & resipiscentiam actualem perducuntur. *Priores* sunt nati & educati vel extra ecclesiam, vel intra eam. De extraneis, adultis & in peccato viventibus ac morientibus idem judicandum quod de aliis omnibus infidelibus & impoenitentibus: de extraneis vero infantibus in infantiâ morientibus, idem statuendum quod de aliis infantibus Gentilium. De foederatis & intra ecclesiam natis, si in infantiâ moriantur, idem dicendum, quod *supra probl.* 25. De foederatis & intra ecclesiam natis atque educatis, siquidem ἀπρόσκοπον conscientiam coram Deo & hominibus retineant, & ad aliquam euangelii cognitionem per signa sermoni aequavalentia adduci possint, & fidem suam suis signis vicissim profiteantur; nihil aliud judicandum quam de aliis fidelibus fidem suam ore & opere profitentibus. Hinc est, quod etiam tales surdi aliquando ad coenae communionem admissi sint. Confer *Melant.* in. *consiliis part.* 1. *p.* 268. & *part.* 2. *p.* 284. In historia lanienae per Pontificios exercitae in valle Telinâ a. 1620. refertur exemplum surdi & muti, qui mortem subire maluit, quam mistam frequentare. Sed si impietatem vita & moribus non profiteantur, nec tamen ex ullis signis percipi possit eos promissiones euangelii percipere & fide amplecti; sine qua tâmen adulti salvari non possunt: de ipsorum salute censendum (saltem quod ad defectum fidei actualis in Christum), quod de infantibus; aut ipsorum causa Dei judicio relinquenda. Et hinc patet quid respondendum ad quaestionem. An inter surdos foederatos detur electio & reprobatio, quomodo quaeritur de infantibus foederatis in infantia morientibus. Siquidem posterioris generis surdi sint, qui positivâ infidelitate aut improbitate reproborum non insistant, & se ipso opere revera atque interne non foederatos non ostendant: utique de talibus foederatis, quamvis sit defectus actualis fidei salvificae (saltem quod ad nostram cognitionem) malumus in bonam partem sentire, quam reprobis eos accensere. Nulla enim solida ratio ad hoc judicium nos cogit. Si quis malit totum hoc in medio relinquere, nolumus cum illo [pag. 425] contendere. De surdis in foedere natis idem fere statuit *Altingius Theol.* „*didact. loc.* 11. *p.* 181. Surdorum, inquit, alia paulo (quam „infantium scil. & amentium) videtur esse ratio. Hi enim non modo participes „fieri possunt vocationis internae, verum etiam externae: non quidem per auditum, „sed per visum, quoties Christus crucifixus coram depingitur fidelibus in euangelio & sacramentis, ut est *Galat.* 3. 1. Ubi notandum, quod recte dicat, participes fieri posse vocationis externae: nam omnes, etiam non improbe viventes, de facto participes fieri per sermonem signorum, hactenus certò constare non potuit. Maxima enim & fere inexplicabilis difficultas est, in euangelii promissionibus & necessaria historia ipsis significanda. II. *Quaest.* Quid censendum de statu amentium foederatorum? *Resp.* praecognoscendum, quid sit amentia gr. ἄνοια. Apud medicos distinguitur ablatio & imminutio imaginationis & ratiocinationis ab earundem depravatione, quam παραφροσύνην seu delirium appellant; cujus varias species enumerant. Amentia pertinet ad ablationem. Quamvis ab amentia cognatas affectiones, non semper accurate distinguant: communiter tamen *amentiam* seu μώρωσιν, id est stultitiam tanquam synonyma usurpant, eamque definiunt, *cum phantasia & ratiocinatio ita laesa est, ut nec principia cognoscat, nec ullos conceptus gignere possit.* Sic epitome Instit. „Sennerti lib. 2. part. 3. sect. 1. cap. 7. Ipse *Sennertus in magno* „*opere loc. cit.* addit: exempla hujus rei vitam communem passim suppeditare, at„que eos exhibere, quibus ratiocinatio, phantasia & memoria ita debilitantur vel

„etiam

„etiam abolentur, ut de apprehensis & oblatis sibi rebus non cogitare & ratiocinari, „non ex praecedentibus consequentia colligere, non recte distinguere, neque bona „appetere aut mala vitare queant. Est autem amentia vel naturalis, vel adventitia, per morbum scil. aut vulnus aut aliam quamcunque causam. Posteriorem videtur intelligere *Galen. lib. de symptom. differ. cap.* 3. cum dicit esse eam ratiocinatricis functionis veluti paralysin, Sit ergo 1. *concl.* de amentibus ita natis, foederatis in infantia morientibus judicatur ut de aliis infantibus foederatis. 2. *concl.* de amentibus natis & foederatis qui ad adultam aetatem perveniunt, idem judicandum, quod de infantibus foederatis in infantia morientibus; de non-foederatis, idem quod de infantibus non-foederatis in infantia morientibus. Eandem sententiam video etiam placuisse *Altingio loc.* 11. *theol. didact. pag.* 181. „Infantes & amentes accensendos „ecclesiae statuimus *foris*, ex nativitatis conditione; à quâ sancti dicuntur, qui ex „parente fideli sive utroque sive alterutro nati sunt 1 *Cor.* 7. 14 *intus* autem ex vocationis interno dono *Rom.* 11. 29. per quod novit dominus eos qui sunt sui 2. *Timoth.* 2. 19. [pag. 426] 3. *concl.* de amentibus adultis foederatis, qui morbo, aut alio casu tales facti sunt: ex professione & operibus bonis aut malis sive antecedentibus, sive consequentibus (siquidem aut continuo aut per dilucida intervalla ad se redeant), judicandum est. 4. *concl.* Aliter se res habet in adultis non foederatis, qui ante illam supervenientem amentiam fide & operibus actualem conversionem nunquam ostenderunt, sed in ethnicismo, aut Muhammedismo juxta cum aliis vixerunt; nec post amentiam unquam ad usum rationis redeunt, ac consequenter aut verbi auditum (unde fides *Rom.* 10.) non habent; aut si haberent, illud intelligere & sibi applicare nequeunt, defectu ratiocinationis: est enim cultus rationalis *Rom.* 12. 1. 1. *Petr.* 2. 1. De illis ergo ex injustitiâ eorum & *ἀμετανοίᾳ* amentiam antecedente idem statuendum quod de Gentilibus *Rom.* 2. v. 12. *Qui sine lege peccarunt &c.* 5. *concl.* De stupidis & semifatuis, quorum imaginatio & ratiocinatio ex parte laesa, ut etiam de delirantibus, qui tamen aliquo modo simplicia apprehendere, componere, dividere, discurrere possunt, sive plerumque sive per intervalla, longe aliter judicandum, ac de amentibus. Ne antiquo & populari errore, imprimis & hodie in Papatu frequentato putemus tales non peccare, & consequenter vere dici *innocentes*, immo & Deo propter aut per illam dictam innocentiam seu fatuitatem summopere placere, quin & gratiam & pro se & pro aliis apud Deum mereri aut impetrare. Vide *disp. de Simplicitate & hypocrisi.* 6. *concl.* Adultis foederatis quorum imaginatio & ratiocinatio partem aliquam solummodo (magis scil. aut minus) laesa est à nativitate, non tamen ita ablata aut turbata, ut rationales conceptus aut perpetuo aut saltem per intervalla formare non possint, ex fidei quamvis debilis professione & ex operibus pietatis ac justitiae judicandi sunt (judicio scil. caritatis) esse in statu gratiae & salutis, & consequenter ex numero electorum. De reliquis, in quibus contraria omnia apparent, nihil in bonam partem certo statui potest, nisi pro modo infirmi ingenii sui, mores mutaverint & resipuerint. De fatuis talibus aut stolidis & quidem infimi gradus, ita judicat Augustinus tom. 7. lib. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 22. p. 669. *Qui mentis lumen sic amittere meruerunt, ut sensu vicino pecoribus nascerentur: non dico tardissimi ingenio, nam hoc de aliis dici solet, sed ita excordes, ut etiam cirrati ad movendum risum, exhibeant cordatis delicias fatuitatis, quorum nomen ex Graeco derivatum moriones vulgus appellat?*

Talium

Talium tamen quidam fuit Christianus, ut cum esset omnium injuriarum suarum mira fatuitate patientissimus, injuriam tamen Christi nominis vel in seipso religionis reverentia, qua imbutus erat, sic ferre non posset, ut blasphemantes videlicet cordatos, à quibus haec ut provocaretur audiebat, insectari lapidibus non [pag. 427] *desisteret, nec in ea causa vel dominis parceret. Tales ergo praedestinari & creari arbitror, ut qui possunt intelligant dei gratiam, & spiritum qui ubi vult spirat, ob hoc omne ingenii genus in filiis misericordiae non praeterire, itemque omne ingenii genus in gehennae filiis praeterire, ut qui gloriatur in domino gloritur.* Occasione hujus narrationis in mentem venit, quod experientiâ comprobatur, aliquos semifatuos caetera simplices, orthodoxae religionis & devotionis non vulgare studium prae se ferre. 7. *concl.* De foederatis adultis ex casu superveniente, in melancolica deliria, phrenesim, maniam, lunatismum &c. incidentibus, ex antecedenti fide & pietate, si quidem eam habuerint, in bonam partem statui debet. Quod si nulla signa gratiae praecesserint, videndum an per dilucida intervalla, aut post desaeviens hoc malum, siquidem in hac vita hoc contingat, aliquod fidei, resipiscentiae, & pietatis specimen elici possit: unde in bonam partem de illis statuatur. Quod si neutra occasio se offerat, nec ortum istius mali aliqua veri christianismi signa praecesserint, utique de illo in meliorem partem judicari non potest.

2. Ex hac determinatione pendent casuum variorum decisiones, an ad juramentum, matrimonium, testimonium, votum, coenam domini admitti possint. De tribus prioribus ex professo agunt Jureconsulti & Canonistae, quos plerique Casuistae sequuntur. De voto, ex Casuistis *Neg. Balduinus lib.* 2. *cap.* 8. *casu* 3. De admissione ad coenam domini absolute *Neg.* quod ad amentes, supra descriptos. De phreneticis, maniacis, melancolicis, lunaticis, obsessis, *dist.* siquidem dilucida intervalla habeant, quibus fidem ac pietatem verbis & operibus profiteri valeant; imprimis si ante tristem hunc casum pietati studuerint. Huc analogicè applica antiquorum conciliorum decreta, de obsessorum & mente captorum baptismo & communione, *Canonem* dictum *apostolorum* 79. & *Photii nomocanonem tit.* 3. *cap.* 15. Quod si intervalla non habeant, nullo modo admittendi sunt. De semi-fatuis, & stupidis, majus dubium est. De infimi gradus absolute negetur. Sed quaeritur an de medii, aut supremi gradus itidem negari debeat, qui ad conciones & catechizationes audiendas admittuntur, & aliquos quamvis initiales, rudes, & non ita distinctos per omnia conceptus de praecipuis fidei capitibus formare didicerunt, ad haec desiderium suum, devotionem, ac justitiae & temperantiae studium in conversatione & moribus ostendunt. Puto distinguendum inter *moriones* ita dictos, qui verbis, actionibus, gestibus, ridiculos se praebent; & inter vulgo dictos *simplices* seu *simpliciores*, qui decorum mediocriter servare norunt. De illis negandum puto quidquid illi petant: ne indecoris sive gestibus sive vocibus prostituatur aut vilescat administratio coenae: siquidem in communione non spectatur tantum [pag. 428] solitaria aedificatio singulorum, sed etiam & imprimis socialis & communis aedificatio, ut & honor totius ecclesiae, atque una praeventio scandalorum ac calumniarum. De istis nolim negare. De surdis & mutis est responsio. Qui tantum muti, & non surdi sunt, si fidem ex auditu, etiam ex lectione scripturae perceptam analogico signorum sermone profiteantur & sancta conversatione cohonestent, sine dubio admittendi. Qui surdi ex casu, si fidem jam ante ex auditu & lectione perceptam hoc in statu per signa aut

scrip-

scripturam profiteantur. etiam admittendi. Qui surdi à nativitate, de quibus solis dubitatio moveri solet, admittendi sunt illi qui vitâ & moribus se non ostendunt esse afoederatos (ita loquar) siquidem per nutus & gestus informati per eosdem fidei in Christum certam aliquam significationem edant. Et haec est sententia *Lutheri tom.* 2. *Jenensi Germanico fol.* 318. *serm. de N. T. Melanthonis in consil. part.* 1. *p.* 268. *& part.* 2. *p.* 284. *Joh. Gerardi tom.* 5. *loc. comm. th.* 226. *Balduini in casibus lib* 2. *cap.* 12. *cas.* 12. ubi varia refert exempla. Quod autem addit *Balduinus* hic praeclarum usum habere picturas & imagines historiarum V. & N. T. ex. gr. de Christi nativitate, passione &c. ex quibus ipsam rem addiscere possint; illud mihi per omnia non fit verisimile: quidquid *Plinius lib.* 35. *cap.* 4. *de picturis in genere & Damascenus, Gregor. M., Hieronymus, Gregor. Nyssenus ibid. cit.* de picturis sacris edisserant. Non desunt, qui opinantur absque verbo externe per analogicum illum signorum sermonem surdis praedicato, Deum interne in ipsis fidem in Christum operari. Quo videntur facere verba Hieronymi in epistolam ad Galatas ibid. à *Balduino* citata: habet inquit, *& anima aures suas quas qui habuerit, non magnopere indigebit his auribus corporis ad cognoscendum Christi euangelium.*

3. Movetur & aliud dubium praecedentibus affine, de amentium sepultura, quam vocant, Christiana. Invenio in *consiliis & judiciis theolog.* &c. Germanice editis à *Philippo Hanen* ecclesiaste Magdeburgensi a. 1650. ubi *tract.* 8. *p.* 98. hanc quaestionem ex *pastorali Lutheri* M. Conradi Portae proponit, & ex *responso Lutheri* ad Wenceslaum Lincken (quod extat *tom.* 8. *fol.* 412.) in partem *Aff.* determinat. Ratio autem Lutheri haec est, quia tales mente capti sive à nativitate sive à casu, à diabolo ita dementari credendum sit. Quam rationem cum non absque grano salis accipiendam judicarem, contuli *Andreae Kesleri theologiam casuum conscientiae* ann. 1651. germanice editam, ubi *cap.* 62. eam corrigit aut per limitationem explicat. Quamvis enim aliqui amentes, fatui, phrenetici, maniaci, &c. aut à diabolo tales fiant, aut cum facti sunt, à diabolo agitentur sive per vexationem externam sive per possessionem: de omnibus tamen hoc statui non debet, ne quidem de plerisque. Confer *disp. nostram de Energumenis.* [pag 429] Et dato, esse aliquos ex possessis aut agitatis à diabolo ad amentiam, aut fatuitatem redactos; inde tamen firma consequentia non ducitur eos tanquam fideles aut in statu gratiae mortuos Christianâ sepulturâ cohonestandos. Quid si enim sint, qui impiâ vitâ diabolicum hoc malum sibi accersiverint, aut qui sint energumeni Pythonici, & diabolo consenserint aut subservierint? Vide de energumenis Pythonicis *disp. nostram modo cit.* Quod ad ipsam sepulturam amentium, furiosorum, possessorum, lunaticorum &c. nolum difficultatem movere: quandoquidem ea est hominum qua hominum, & consequenter pertinet proprie ad potestatem & communitatem politicam, non vero ecclesiasticam. De debitis ceremoniis ecclesiasticis, primum videndum esset quae & quales illae sint, & tum demum despiciendum an & quae adhiberi possint aut non possint. Sed de his, aliisque similibus in *politia ecclesiastica cap. de sepultura* ex professo agendum.

4. Ex iis quae de surdis & amentibus attulimus, puto satis jam explicata esse problemata, quae in syllabo nostro occurrunt. De quibus ut & de reliquis omnibus, quae tanquam nuda sceleta, addito signo A. aut N. aut D. aut E. &c. proponuntur, velim peremtorium judicium ab aequis lectoribus non fieri, nec aliis ferentibus applaudi,

plaudi, antequam meam mentem & intentionem ex me perceperint: neque enim aequitas & caritas Christiana permittit theologiam alicujus ex nudis quaestionibus examinandi aut disputandi aut disquirendi & scrutandi occasionem dantibus, aestimare potius, quam ex aliis scriptis dogmaticis, exegeticis, elencticis. Sunt autem tria problemata, quae hanc materiam concernunt: *Primum* occurrit tit. de praedestinatione. *An surdorum aut amentium foederatorum sit reprobatio? Neg.* Quo quid velim: supra abunde exposui. *Secundam* occurrit in tit. de Foederibus: *An Amentes & insani hujus foederis participes esse possint.* A. c. D. Quod in collegiis privatis aliquoties habitis per distinctionem „discipulis nostris sic explicare soleo: „Non per actualem Fidem, sed per sanctificationem spiritus, & radicem ac semen „fidei: quod ipsis analogice est fides uti & infantibus salvandis. Tertium est tit. de „statu electorum ante conversionem: *An omnes fatui, phrenetici, surdi tam in foe-„dere quam extra foedus externum salventur?* D. *pr.* N. T. *post.* Ad quod discipulis „meis hanc solutionem dictavi: De foederatis fatuis & phreneticis, qui nunquam ra-„tione usi sunt, nihil vetat affirmare. De surdis itidem inclinamus in *Aff.* illis scil., „qui vita & moribus aut finali impoenitentia se improbos & profanos non declara-„runt. Quod ad posterius (de scil. fatuis extra foedus), si quis affirmet, tenetur „probare; si nolit, negare, sed in medio relinquat: utique cum illo non contendimus. Sed dicat quis, non omnes [pag. 430] amentes & surdos à peccatis actualibus immunes esse: non debere ergo de electione eorum definiri, sed Dei occulto judicio hoc relinqui. Cui respondeo me per *amentes* intellexisse cum *Sennerto* supra *cit.* eos, qui rationales conceptus formare nequeunt. Quos pari loco cum infantibus habendos censeo. Sed instet quis, hunc esse abusum vocabulorum. Ego vero regero, mihi abusum imputari non posse, si tantum in sua arte artificem, Sennertum scil. secutus fuerim. In illius Institutionibus hoc caput tum amore scientiae, tum diversis occasionibus incitatus saepe legi & relegi: ut in quaest. theolog. de energumenis, de lunaticis, de Magia, de tentationibus, de desertionibus spiritualibus, de necessariâ cognitione fidei, deque ignorantiâ, errore &c. tanto felicius me expedirem. Ne nunc quidem video me voce illâ abuti. Quamvis enim philologi, lexicographi, Jureconsulti (vide *Caelium Rhodiginum,*) & ipsi medici vocabula ratiocinationis, aut phantasiae, aut memoriae defectus notantia varie accipiant, aperte tamen nostram sententiam confirmat Paulus Zacchias in eruditissimâ & plenissima commentatione sua de Dementia &c. quam habet lib. 2. quaestionum Medico-legalium tit. 1. ubi q. 7. tres dementium gradus facit, & de tertio §. 34. p. 68. sic pronuntiat. *In pejori tamen conditione sunt, qui hos subsequuntur, in quibus & nulla ratio, & nulla omnino memoria reperitur, unde & verbis, & factis suam fatuitatem detegunt, nihil omnino addiscunt, nec civili consuetudine quiquam proficiunt, & in summa bonum à malo, conveniens ab inconvenienti, vitium à virtute non distinguunt, quod non ita habet locum in caeteris, de quibus supra, & idcirco stolidi, & amentes proprie dicuntur, & per metaphoram lapides, quod omni sensu vel uti lapides distituti videantur, quo nomine cum stoliditatem alicui objicimus, utimur, ut facere visus est* Plautus in Poenul. Act. primo. Scena 2, &c. *Haec affectio Graecis Anija dicta est, quemadmodum superior morosis, licet utrumque nomen pro eadem affectione accipi apud auctores contingat, Tam vero hi, quam superiores (licet utrique majori, aut minori fatuitate aliquando afficiantur, cum utriusque passionis dentur quidam gradus secundum*

dum magis & minus) jure merito ab omnibus civilibus actibus eliminantur, & in delictis omnino excusantur. Dementes tertii gradus, qui proprie amentes dicuntur, ego intelligebam, & cogitabam tunc exempla aliquot mihi visa eorum quos nec sermo rationalis, nec aliqua actio humana à brutis distinguebat, quique incondito solum clamore & sono animi passiones cum brutis communes indicabant, caetera canibus & similibus brutis quod ad actiones animales longe inferiores erant; atque ita ad ordinem infantium analogice referendi. *Exipiat* quis, non esse per omnia parem rationem infantium & amentium: quippe qui subsint peccatis actualibus, & quandoque scientes & volentes in grandia scelera incidant. *Resp.* de [pag. 431] amentibus secundum medicorum distinctionem & proprie sic dictis, ubi exemplis hoc probatum fuerit, ilico mutabo sententiam. Hactenus fateor me non capere, quae sint illa scelera à scientibus commissa, quae Magistratus scelerum vindex non puniret, sed talia patrantes *in delictis omnino excusaret*: uti loquitur pereruditus Zacchias. De surdis saepe non vulgari ingenio & sagacitate praeditis, quique scientes volentes in scelera ruere possent, nolo negare, quin ipsorum & infantium diversa ratio sit: ex adulta enim malitiâ ipsorum, siquidem impoenitentes in ea moriantur, à posteriori deprehendatur juxta cum omnibus aliis adultis impoenitentibus, nullam foederationem internam externae respondentem habere. Sed surdos à nativitate & foederatos respexi, qui à posteriori impiis operibus non ostendunt, externam foederationem in ipsis inefficacem esse; nec tamen ostendunt, aut ostendere possunt se intelligere euangelium & actu credere in Christum: quod tamen ad salutem necessarium *Joh.* 3. 16. 33. *Hebr.* 11. 6. *Galat.* 6. 6. De talibus si in benigniorem partem sentiam, nec in oppositum determinare velim, haut aliter ac de infantibus, quid periculi? Nullo enim scripturae testimonio, nullâ solidâ ratione cogor. Quod si quis malit in medio relinquere, ut & de infantibus; non contendo: fruatur suo judicio. 2. *Excipi* posset. Hinc sequi adultos justificari & ad salutem pervenire absque fidei actu & Christi cognitione: quod accedit ad universalis gratiae commentum Remonstranticum. *Resp.* Minimè sequitur. De talibus enim adultis amentibus & surdis judicari velim, ut de infantibus, qui absque actuali cognitione Christi justificantur & salvantur. Nihil ergo hoc ad dictae gratiae universalis *σιδηρόξυλον*. 3. *Excipi* posset Hinc sequi, tales extra ordinem & miraculose donari actuali fide & resipiscentia. Atqui posterius falsum: cum in plerisque ex illis id nullo signo à posteriori deprehendi possit. Ergo. *Resp.* consequentia negatur. Si enim de illis analogice judicandum sit, quod de infantibus spiritu, semine & radice fidei praeditis; nulla requiritur cognitio Christi & fides actualis. Quod ad minoris probationem, fateor in amentibus nullis, quales ego intelligo, deprehendi posse: sed in aliis fatuis late acceptis, qui peccata actualia immo & scelera committere posse dicuntur, non video quomodo inveniri & deprehendi nequeant. In surdis plerisque actualem fidem deprehendi, nolo asserere: Quamvis *Lutherus*, *Melanthon*, *Balduinus*, & qui eos sequuntur ab assertione non tam procul abesse videantur. Quod ad miraculosam donationem fidei, absque mediis externis ordinariis, non desunt, qui aliquo in casu admitterent. Sed hujus loci non est eam opinionem approbare aut improbare. Nos enim nulli actualis fidei fundamento benignius judicium de amentium & surdorum statu inaedificamus, sed [pag. 432] foederi divino & internae gratiae spiritus ac seminis fidei, quae externo foederi respondet, eoque designatur, nisi à posteriori ex con-

contrariis fructibus contrariam appareat. 4. Excipi posset, hinc sequi amentiam & surditatem in amentibus & surdis foederatis pro indubitato charactere electionis constitui. *R*. Quousque infantibus defectus ratiocinationis, & consequenter actualis receptionis Christi per fidem ex verbi auditu, ut & defectus obicis seu absentia obicis, quem euangelio & oblationi Christi nec ponunt, nec ponere possunt, pro charactere indubitatae electionis constituitur, aut non constituitur; eousque etiam in amentibus & surdis (supra descriptis) à nobis constitui potest. Ubi quis explicuerit & probaverit indubitatum characterem electorum infantum, sequar ipsum applicando eundem dictis amentibus & surdis: ubi steterit, & ego stabo. Sed de his plus satis. Dixi quod in re non tam liquida mihi dici posse videbatur: sed absque aliorum praejudicio, nec cuiquam quid praescribo. Eam libertatem vicissim mihi concedant, quam ipsis libenter relinquo.

DISPUTATIO DECIMA.

DE REGENERATIONE[1].

Ut necessaria sic cognitu difficilis est doctrina de Regeneratione Joh. 3. *Quamvis enim scripturae eam, quousque ad salutem requiritur, proponant: modum tamen ejus, & occultos divinae gratiae ductus circa initium & progressum ejus nemo in hac vitâ perfecte assequitur. Doctam ergo scientiam ubi omni studio spiritu gratiae cooperante, pro modulo quique suo asseculi fuerimus, caetera quiescant mentes nostrae in altitudine veritatis occultae, & doctam ignorantiam sapienter profiteamur: non minus ac prophetae eam circa scientiam de naturali generatione hominis professi sunt* Ps. 139. Ecclesiast. 11.

1. Redemptio per Christum late sumpta, constat impetratione, & applicatione. Applicatio est traductio seu translatio electorum à tenebris ad lucem, à perditione ad salutem. Ejus partes sive actus sunt trium generum, qui hoc ordine (naturae scil. omnes; temporis vero aliqui) procedunt. I. Actiones Dei reales (sed intentionales seu relativae à termino & effectu sic denominandae;) quibus per intentionalem constitutionem, seu [pag. 433] sententiae declarationem Deus electis applicat & addicit omnia bona per Christum parta. Dicuntur autem illae contradistincte intentionales seu relativae; quia in subjecto seu objecto suo non realem aut intrinsecam, aut inhaerentem mutationem; sed tantum relativam seu extrinsecam (quam possumus vocare *mutationem status*) in objecto, aut potius circa objectum efficiunt. Sunt autem actus illi *Reconciliatio*, *Justificatio*, *Adoptio;* activè scil. sumptae. *Illa*, removet mala, & dissidium inter Deum & nos: ubi Deus se habet ut pars laesa & ut supremus dominus. *Rom.* 5. 10. 11. 2. *Corinth.* 5. 18. 19. *Ista* bona parta adjudicat sententia jurisdictionis: ubi Deus se habet instar judicis *Rom.* 3. 24. 25. 26. *Haec* animi sensum profert ac declarat, tum in familiam suam electos asciscendo, (*Johann.* 1. 12. 13. Ephes. 1. 5.) tum testamentarie quasi disponendo & declarando, ut quae ex merito habent per sententiam jurisdictionis, eadem etiam dignâ quadam ratione habeant jure filiationis & haereditatis. *Luc.* 22. 29. *Rom.* 18. 16. 17. Et hic consideratur Deus tanquam paterfamilias. Quomodo autem reduci possint adoptio & reconciliatio ad justificationem, seu potius quomodo cum iis componi, & an ac quomodo formaliter ab eâ stricte acceptâ differant, alibi docetur. Interim consulant, qui volent. *Twissum in Vindiciis gratiae p.* 626. ubi docet quomodo conveniant, & differant, redemtio, reconciliatio, remissio peccatorum. II. Actiones Dei morales; quarum efficientia metaphorica est, & per modum objecti sunt, quibus objective movet & intelligibiliter instruit electos (adultos scil. aut ratione utentes) pro-

[1]) *Resp.* Cornelio Gentman Goesa Zeel. *Ad. diem* 9. *Novemb.* 1639.

proponendo scil. atque offerendo bona à Christo redemptore acquisita, adjudicata & addicta, atque adeo ad earum acceptionem invitando, quae fit foederis contractionem. Et talis actio moralis specie unica est. Vocatio dicta; vocatio, inquam, ad foederis gratiae contractionem: ut eam distinguam à Vocatione, quae legis praestationem postulat, & omnes homines citat ad obedientiam Deo ex jure, quod in creaturas rationales habet, debitam. Qualem etiam ad reprobos omnes dirigi concedimus: sed negamus propriè posse dici salutarem, aut vocationem ad salutem. III. Actiones reales realiter seu physice (ut recentiores loquuntur) operantes, & realem ac inhaerentem mutationem in subjecto producentes, sunt illae, quibus Deus electos realis possessionis bonorum & donorum inhaerentium participes reddit. Suntque *Regeneratio: Beatificatio in statu gratiae; Beatificatio animae post hanc vitam; Resuscitatio ad gloriam; Ultima glorificatio:* Quarum tres posteriores pertinent ad vitam futuram; duae priores ad vitam praesentem.

2. Regeneratio debet distingui in eam 1. quae est infantium absque ullo rationis usu. 2. Quae educatorem in pietate ab infantiâ, eamque exercentium. [pag. 434] 3. quae adultorum, à religionis veritate, aut saltem ab omni pietatis praxi alienorum. Quae distinctio neglecta magnas huic doctrinae offundit tenebras. Porro distinctionis hujus veritatem & necessitatem hic pluribus non prosequar; quod eam praestructim explicuerim in *Disp.* & *Statu electorum ante conversionem.* Quomodo autem regeneratio primâ et secundâ notione accepta differat à tertiâ, ex sequentibus, collata modo memoratâ *Disput. de Statu* &c. facile erit cuivis colligere. Interim paucula haec ad distinctionem eorum pertinentia, notamus. 1. *Primam* esse actionem instantaneam: *secundam* vero successivam, quod ad ipsas dispositiones seu habitus introductos: *tertiam*, quod ad eadem instantaneum. 2. tertiam habere antecedentem actualem impoenitentiam, & pollutam conscientiam: secundam non ita; primam nullo modo. 3. Hanc & istam praerequirere tanquam necessarium antecedens, Vocationem, quatenus scil. dicit oblationem à parte Dei seu propositionem salutis in Christo tum externam tum internam; illam minime. 4. Tertiam habere pro termino consecutivo actus secundos pietatis formatos; secundam actus informas; primam nullos. 5. In tertia distingui & esse duo momenta seu instantia naturae, primum & secundum: in primâ tantum unicum esse momentum; prout unicus tantum est terminus formalis seu unicum effectum; actus scil. primus, quod est quasi radix, aut, semen, aut principium spirituale sive id potentiae, sive habitus, sive dispositionis nomine veniat. Neque enim videmus necesse esse statui, aut etiam posse statui infantibus illis actualem fidem (quod quidam conjiciunt, alii valide afferunt); nisi ex scripturâ id solide probetur. Nam extraordinarius & miraculosus ille motus Johannis Baptistae *Luc.* 1. v. 44. ad rem hanc nihil facere videtur. Si quidem à miraculo, ad rei alicujus vim, causalitem, dispositionem, actum, effectum ordinarium, nulla est consequentia. Haec aliaque studiosis nostris ex modo indicatis colligenda relinquimus. Regenerationis ut tertiâ notione sumitur, nobis nunc potissimum descriptio haec instituitur; quae tamen analogicè duabus prioribus facile applicari poterit.

3. Quod ad nomen, dicitur *Regeneratio*; quod sit repetita quasi generatio; quia bona pietatis seu sanctitatis ea reproducuntur ac reducuntur, quae in principio per creationem indita & congenita, per peccatum & lapsum plane deperdita erant, &

quo-

quorum nihil restabat. παλιγγενέσια Tit. 3. 5. γεννᾶσθαι Joh. 3. 4. γεννᾶσθαι ἐκ τοῦ Θεοῦ Joh. 3. 9. & 5. v. 1. 18. Ἀναγέννησις 1. Pet. 1. 3. 23. Synonymum ejus est ἀπεκύησεν Jac. 1. 18. Et metaphorica, *creatio* seu *nova creatio* κτίσις ποίησις Ephes. 2. 10. 2. Corinth. 5. 17. Coloss. 3. 10. Ephes. 4. 24. *Resuscitatio* & *resurrectio* Ephes. 2. 6. & *resurrectio prima* Apocal. 20. *Vivificatio* Ephes. 2. 5. *Circumcisio* Coloss. 2. 11. Roman. 2. 19. Deuter. 30. 6. *Ablutio* 1. Corinth. 6. [pag. 435] 11. *Purgatio* Actor. 15. 9. Ephes. 5. 26 *Sanatio* Psal. 103. v. 2. Synonyma magis proprie significantia sunt *Sanctificatio*, quia sanctitatem, hoc est hominis cum lege conformitatem producit. *Johann.* 17. 17. 19. 1. *Corinth.* 1. 2. *Ephes.* 5. 26. vocatur & *sanctificatio spiritus* 2. Thessal. 2. 13. Notandum Theologos nonnunquam hanc vocem stricte usurpare, de nova obedientia à nobis post conversionem & resipiscentiam ex fide praestandâ. Sed haec non est hujus locis. *Conversio*, Quae vox aliquando notat actum Dei solius: aliquando completum actum Dei & hominis: aliquando actum formalem hominis, ut ejusdem notionis: sit cum voce poenitentiae & resipiscentiae. *Prima* significatio respicit actum gratiae primae seu praevenientis, & proprie huc pertinet, ac facit synonymum regenerationis: In controversiis Pelagianis de gratiâ & libero arbitrio, à Theologis vocari solet talis conversio, *primum momentum conversionis*, ubi homo habet se pure passive. *Secunda* significatio respicit actum gratiae Dei secundae, per quem homo per gratiam praevenientem seu priman novo vitae spiritualis habituali principio per omnipotentem Dei facilitatem impresso instructus atque informatus, praemovetur atque excitatur à Deo, ut actus agat, & de facto vitae spiritualis seu resipiscentiae & fidei actus eliciat. *Jerem.* 31. 18. *Cantic.* 1. *vers.* 4. *Tertia* significatio respicit proprie actum hominis. Homo enim est proprium & formale principium actualis poenitentiae aut resipiscentiae, conversionis à peccato suo; non Deus, qui est principium effectivum. Ipse enim non facit, ut propria & particularis illa causa (quae e. gr. est Petrus resipiscens,) hoc est, non dolet, non resipiscit, non flet amarè, non moritur peccato, non resurgit ad novam vitam: sed facit ut faciamus, uti loquitur Augustinus. Nos ergo ipsi ista *facimus*, *sed non ex nobis*: uti memini illam distinctionem legere *in homiliis Ardentis Pictavi.* Et hae notiones diligenter distinguendae sunt, ut hinc Pelagii, illinc Enthusiastarum scopulos evitemus. *Tractio* Johann. 6. 44. *Translatio* seu traductio in regnum Dei *Coloss.* 1. 13. *Renovatio* ἀνακαίνωσις Tit. 3. 5. Coloss. 3. 10. Quamvis haec vox alibi specifice significet instaurationem aut confirmationem novae creaturae, ut *Rom.* 12. 2. cujus synonymum ἀνανεοῦσθαι Ephes. 4. 23. *Transformatio* Rom. 12. 2. *Liberatio*, à peccato *Coloss.* 1. 13. cujus synonymum est *Justificatio* à peccato *Roman.* 6. 7. A quibusdam omnia quae regenerationi adscribantur revocantur ad vocationem: & sic illis dici posset *vocatio*, Vide *tract. Rolloci de vocatione efficaci.* Quomodo autem differant vocatio, regeneratio, conversio &c. ex dictis aut ex iis quae habet *Amesius in medulla* facile colligi potest. Post primam hujus disp. editionem prodiit *problematica Altingii*, ubi *p.* 187. ex professo de hoc agit. Sed missâ synonymorum explicatione ad homonymiam veniamus. I. Regeneratio metonymice [pag. 436] notat glorificationem, seu ejus praeparatorium, resurrectionem scil.; sic *Matth.* 19. 28. Quomodo etiam accipitur vox Adoptionis *Rom.* 8. 23. Sed haec non est hujus loci. II. Aliquando notat 1. Primam novae creaturae impressionem, seu mutationem à non esse ad esse spirituale. 2. Ejusdem conservationem, continuationem, & augmentationem.

 3, Ejus-

3. Ejusdem instaurationem & renovationem. 4. Ejusdem consummationem & ultimam perfectionem. Nos in primâ notione hic plerumque usurpabimus: de reliquis in fine aliquid dicturi. III. Sumitur aliquando active; aliquando passive. Quae distinctio, ut & reliquae omnes, accurate observandae: ut ita praedicata omnia sua cuique dextre applicentur. Occurrunt enim quaedam, quae huic; & quaedum, quae vicissim illi; quaedam quae utrique regenerationi proprie conveniunt. Ex gr. cum causas efficientes enarrabimus, intellige regenerationem passivam: active enim sumpta est ipse Deus regenerans, consideratus cum relatione rationis, & ab illâ dominatus (prout de activâ creatione, gubernatione, justificatione, aliisque actionibus Dei externis & transeuntibus alibi dictum est.) Rursum cum objectum explicamus, intellige activam; cum effecta & consequentia nonnulla, intellige utramque. Haec praemonuisse satis est: ut distinctos & accuratos conceptus formemus.

4. Definimus regenerationem, *Actionem Dei in electis peccatoribus, per Christum redemptis justificatis*, (active scil.) *& vocatis, quâ realiter eos immutat à corruptione ad novam vitam* seu *sanctitatem, ut posthac Deo vivant*. In hac descriptione. I. *Genus* est, Actio Dei, ut scil. active sumitur: nam passive si sumatur, erit genus ejus receptio aut passio perfectiva seu salvativa. Additur, ut genus proximum habeas, esse actionem realiter immutantem: ita distinguitur ab actione Dei intentionali seu mutatione relativa. II. *Subjectum* ejus, ut passive sumitur est vel totale vel partiale. Illud est remotum, propinquum, propius, proximum. *Subjectum totale remotum* est homo: angeli enim non regenerantur; quia nunquam defecerunt, sed in statu creationis ad imaginem Dei permanserunt: nec diaboli; quia nulla ipsis restat gratia: ut nec creaturae irrationales; quia absolute sunt incapaces: *Subjectum Propinquum* est homo electus; *Roman*. 8. 29. *Ephes*. 1. 4. *Propius*, est electus peccator, seu in statu lapsus & corruptionis *Ephes*. 2. 1. 7. Nam ante lapsum regeneratio nulla requirebatur. *Proximum*, est electus peccator, sed Christo datus, ac propter illum justificatus, ac in foedere gratiae comprehensus *Johann*. 6. 37. cum 17. *v*. 19. 20. *Subjectum partiale formaliter & per se* est intellectus & voluntas *Actor*. 15. 8. 9. *Ephes*. 3. 16. *Rom*. 12. 2.; *participate & per aliud* seu *consecutive* est sensualitas seu inferiores omnes facultates in homine cum membris corporis & toto homine [pag. 437] exteriori. 1. *Thessal*. 5. 23. *Rom*. 6. 5. 6. 12. 13. 1. *Corinth*. 6. 19. 20. *Consectar*. 1. Rejicimus Pelegianum errorem eorum, qui statuunt solam sensualitatem seu partem inferiorem, non vero superiorem, peccato corruptam, & consequenter regenerandam esse. Vide contra *Rom*. 1. v. 21. & 8. *vers*. 7. & 12 *vers*. *Genes*. 6. *v*. 5. Notum est vulgatum illud *Bernardi*: Tolle liberum arbitrium, & non est quod sanetur: tolle gratiam, & non est quod sanet. *Consectar*. 2. Rejicimus assertionem Remonstrantium *in collatione Hagensi*, quâ statuunt, voluntatem ante lapsum nullas habuisse qualitates bonas, seu habitus, & consequenter per lapsum nullos perdidisse. Quomodo autem sententia de determinatione voluntatis per judicium intellectus practici, quam ex orthodoxis & Anti-Pelagianis nonnulli hodie defendant, explicari aut moderatione adhibitâ cum orthodoxiâ conciliari possit, ne Pelagianae hypothesi subserviat, ostendimus in *app. ad disp. de Creatione*. Conferatur *Maccov. in Coll. Disp. part* 4. *disp* 1. *Thesi* 21. 22. Et *Cluto in Idea in disp*. 36. *thesi* 10. *Cons*. 3. Eorundem assertionem in *Resp. ad excerpta Prof. Leidens. p*. 101. ubi infantes ad generationis gratia excluduut. Conferendi hic *commentatores nostri ad Actor*. 2. 1. *Corinth*. 7. *Math*. 19.

Eze-

Ezechiel. 16. ubi agitur de gratia & salute infantum: & *Spanhemius part.* 3. *dubior. euang. p.* 101. Et *Antagonistae Anabaptistarum*, ubi agunt *de paedobaptismo*. III. *Objectum* (quod alii vocant, subjectum occupans, aut materiam circa quam) est vel immediatum, seu primum, vel mediatum seu secundum aut consequens. *Illud* est objectum distributim consideratum, singuli scil. electi convertendi. *Istud* est objectum collectim consideratum, ecclesia scil. electorum *Ephes* 5. Breviter objectum hic cum subjecto coincidit: quod enim in ordine ad generationem passivam dicitur subjectum; idem in ordine ad activam dicitur objectum. IV. *Terminus à quo* hujus mutationis est peccatum seu corruptio; seu homo mortuus in peccatis idque per inhaerentem originalem corruptionem, *Johan.* 3. 5. *Ephes.* 2. 1. quae per actualia peccata se exserit & augetur. *Rejicimus errores* 1. *eorum, qui negant peccatum originale, & mortem peccati.* 2.*Aliorum, qui volunt esse in homine semen & δύναμιν vitae spiritualis: quae tantum suscitari, juvare, & in actum deduci debeat.* V. Terminus *ad quem* regenerationis activae est vel proximus, vel ultimatus, vel consecutivus, vel per alterum 1. *Terminus Proximus* seu *formalis* sunt supernaturales qualitates seu dispositiones, quas Deus in nobis producit, quas scriptura vocat novam creaturam *Galat.* 6. 15. novum hominem *Ephes.* 4 24. Dei imaginem *Coloss.* 3. 10. divinam naturam 2. *Petr.* 1. 4. spiritum *Galat.* 5. 17. Interiorem hominem *Roman.* 7. 22. legem mentis *v.* 24. mentem *v.* 25. Cujus partes & actus recensentur *Ephes.* 4. *Coloss.* 3. 2 *Petr.* 1. Omnes autem rediguntur ad trigam illam *Tit.* 2. 11. 12. temperantiam, justitiam, pietatem: aut ad bigam resipiscentiae [pag. 438] & fidei *Marc.* 1. 15. aut ad bigam fidei & caritatis *Galat.* 5. 6. Cum scholasticis & Casuistis posset tota sanctitas infusa dividi in religionem & justitiam. Immo etiam ad unam obedientiam, aut resipiscentiam (quae propter interventum lapsus sua forma induit sanctitatem seu obedientiam) contrahi: ita ut fides sub eâ contineatur. 2 *Ultimatus*, seu *completivus & totalis* est homo innovatus, seu regenitus; qui etiam spiritualis dicitur 1. *Corinth.* 2. & spiritus *Johan.* 3. *v.* 6. & nova creatura 2. *Corinth.* 5. & ἀπαρχὴ τῶν κτισμάτων Jacob 1. 18. & homo Dei 2. *Timoth.* 3. 17. cum 1. *Tim.* 6. 11. (quamvis hoc peculiari quadam ratione juxta phrasin V. T. pastoribus tribuendum sit) 3. *Consecutivus*, est triplex *primus*, qui est prima actualis conversio, seu primi motus resipiscentiae & fidei in primo temporis instanti; post impressum seu infusum principium gratiae. *Secundus*, conservatio; instauratio, augmentatio, excitatio novae creaturae. *Ultimus* seu finalis ejus consummatio seu συντέλεια 4. *Terminus ad quem per alterum* (quomodo in generatione physica universalia dicuntur generari ad generationem individuorum) est Ecclesiae collectio seu productio, propagatio, successio, continuatio, & consummatio. *Ephes.* 5. 26. 27. &. *cap.* 2. 15. ubi dicuntur Judaei & Gentiles conditi esse εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον. Atque haec quidem de definitione regenerationis, & actualis conversionis adultorum, quod ad primum ejus momentum. Regenerationi autem prima & secunda notione acceptae (cum in multis alia ejus sit ratio) hanc descriptionem per omnia non convenire, jam antea monuimus.

5. Accedimus nunc ad aitiologiam. I. Causa efficiens regenerationis (passive scil.) prima & summa est Deus pater, filius, Spiritus S. *Jacob.* 1. 18. *Eph.* 2. 1. 3. 4. 5. Approprietate autem tribuitur patri 1. *Pet.* 1. 3. quia ab illo est principium & origo operationum ad extra: & alio respectu Spiritui S. *Johann.* 3. 3. 6. quia sanctificator dicitur. II. Causa proëgumena immanens est Dei voluntas & bene placi-

placitum, mera ejus gratia & misericordia *Jacob.* 1. 18. 2. *Petr.* 2. 3. *Eph.* 1. *v.* 9. *Roman.* 8. 28. III. Causa emanans (quae analogice. ut *principium quo* à nobis concipi potest) est gratia Dei regenerans quae specialis est, solis electis & Christo datis exhibenda : item efficax, invincibilis, vincens & pertendens. atque unum in alterum immutans, ubicunque quid agere, & se exserere intendit. De quibus ex professo nunc non agimus: quod in cursu locorum communium, & disputationum saepius illa tractarim; & tam solide ac perspicue in *scriptis synodalibus Dordracenis*, *Amesii* item, & *Twissi*, & *Cameronis*, & *Rhetorfortis*, & D. *Profess. Leidens.* & *Maklovii*, denique *Riveti* explicata sint, ut non videam quid ultra à quoquam desiderari queat. Suffecerit hic monuisse, gratiam hanc regenerantem debere distingui, ab eâ quae terminus est regenerationis. [pag. 439] Illa enim est ipse Deus; haec Dei factura seu creatura; aut potius concreatura, qualitas scil. supernaturalis homini impressa, illique inhaerens, tanquam subjecto suo forma accidentalis. Quomodo spiritum regenerationis regenerantis (qui est Deus) à spiritu, qui est ejus opus & effectum, sollicite distinguimus juxtâ 1. *Cor.* 12. 11. *Rejicimus ergo Enthusiastarum deificationes, spiritum, & verbum aeternum increatum* &c. Illis enim Dei & hominis naturam, & utriusque operationes subvertunt. Quas abominationes ex confusione Dei cum suo opere, substantiae cum accidente, Spiritus S. cum verbo, hominis à Deo sanctificati, cum ipso sanctificatore & divinâ ejus sanctitate ortas, alibi detegimus. Rejicimus item Pelagianizantium figmenta. 1. *De voluntate conditionatâ, de decreto velleitatis seu desiderio.* 2. *De Scientia media seu conditionata, per quam desiderata illa determinatio dicitur praevideri.* 3. *De Intentione conditionati concursus concomitanter in effectum : & consequenter de concursu & egressu simultaneo gratiae & liberi arbitrii;* qui revera est independentia, & primitas, praecursus & praedeterminatio causae secundae. 4. *De universali gratia sufficiente, & secundum illam vocatione salutari: cujus praesuppositum est gratia redemptionis, reconsiliationis, & confoederationis universalis.* Quae commenta ab autoribus modo citatis satis excussa sunt: ex parte etiam à Theologis Dominicanis aliisque genuinis Thomae sectatoribus, quos apud illos passim, & imprimis apud *Sylvium* theologum Duacenum *tract. de motione primi Motoris*, allegatos videbis. Ex nostris *Ferrius in suo Scholastico orthodoxo* ejusdemque *defensione c. Jesuitam Perrinum* utilissimam hic operam praestitit. Conferri etiam possunt *Dissertationes variorum de termino vitae à Breverovicio* nuper *editae.* IV. Causa Principalis primae subordinata, est Christus mediator, qua talis, *Johan.* 17. 2. qui etiam illo respectu ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας & ὁ ἁγιάζων Hebr. 2. 10. 11. dicitur. Est autem haec potestas seu hoc jus mediatoris sollicite distinguendum à potestate & causa absolute prima ac suprema, quae est Christus cum patre & Spiritu S. tanquam unus Deus. Aliud enim est dè Christo loqui κατὰ θεολογίαν; & aliud loqui κατ' οἰκονομίαν. Aliud est eum considerare ut causam simpliciter seu absolute primam, supremam, atque independentem: & aliud considerare eum ut causam subordinatam, inferiorem, & dependentem. Hic est quid commune patri, filio, Spiritui S.; illic quid peculiare & proprium filio quâ mediatori. Pari ratione distinguenda est potestas resuscitandi mortuos, judicandi in judicio extremo &c. Vide *scriptores Catecheticos in explicatione verborum symboli: dominum nostrum* V. Causa procatarctica est meritum Christi: ille enim promeritus est nobis gratiam non tantum justificationis sed & regenerationis: quo referri potest illud 1 *Corinth.*

1. 30

1. 30. Ut autem omnia de Christo una quasi tabella [pag. 440] exhibeamus 1. Est causa directe & physice efficiens regenerationem, tanquam Deus sanctificator, & spiritus sanctificationis (*Roman. cap.* 1. *vers.* 4.) una cum patre & spiritu sancto; idque ex jure summo & potestate primâ, quae illi communis est cum patre & Spiritu Sancto. Et hic λόγος κατὰ θεολογίαν. 2. Est causa efficiens eandem, directe & physice secundum & per spiritum sanctificationis (hoc est aeternam deitatem) gratiâ scil. efficaci seu omnipotenti facilitate & facili omnipotentia; sed ex jure seu potestate inferiori dependente, subordinata, in tempore orta seu producta, illique concessa, quatenus est filius hominis & mediator. Et hic λόγος κατ' οἰκονομίαν. 3. Est causa subordinata meritoria; quae non directe & physice, sed moraliter per modum impetrationis & meriti quatenus mediator causat regenerationem; & haec itidem Oeconomia. 4. Est causa exemplaris: *tum* suprema, una cum patre & Spir. S. (secundum Theologiam; *tum* inferior & subordinata, qua mediator, idque in vitâ & in morte sua secundum Oeconomiam). Quomodo autem notio causae exemplaris, (si rem in rigore consideremus) possit reduci partim ad instrumentalem, partim ad procatarcticam, nolumus hic λίαν ἀκριβοῦν: praesertim cum divinis his mysteriis notiones & formalitates philosophicae applicari semper aeque commodo & θεοπρεπῶς nec debeant nec possint. Suffecerit melioris doctrinae causa, hanc lucem inaccessam quo potest modo depingi. Sed de exemplari mox dicendum. Quod ad procatarcticam, *propinqua* per modum meriti & impetrationis in ordine ad Deum est obedientia Christi mediatoris *Johan.* 17. 19. *Tit.* 2. 14. *Eph.* 5. 25. 26. Quae consideranda vel universaliter in toto vitae curriculo; vel particulariter in morte & perpessionibus. Haec habet rationem meriti satisfactorii: nam in ordine ad Deum ejusque justitiam dicitur satisfactio; in ordine ad nos dicitur meritum, pro commissa culpa. Illa vero rationem habet meriti, etiam satisfactorii respectu debiti universalis & perfectae obedientiae quod lex ad vitam exigit *Galat.* 3. Idque ordinem habet ad Deum & ad nos. Respectu Dei: dicitur *satisfactio;* quia ejus juri satisfit: respectu nostri dicitur *meritum*, quia jus & praemium vitae aeternae nobis impetrat ac meretur. Obedientia & justitia mortis seu perpessionis, quam particularem & hypotheticam (ex hypothesi lapsus & peccati nostri) appellare possumus, est causa procatarctica & meritoria regenerationis, conversionis, sanctificationis, & sanctitatis nostrae infusae atque inhaerentis, propinque, dispositive, consequenter, per modum scil. necessarii antecedentis & praeparatorii, seu removentis impedimentum, peccatum scil., iram Dei, & maledictionem, & sic intelligendum putamus locum *Hebr.* 9. 14. Obedientia vero seu justitia universalis, quae *vitae* & *activa* dici solet (quamvis ad hanc in totâ [pag. 441] latitudine sua acceptam etiam passiva reduci possit ac debeat, tanquam singularis & hypothetica quaedam extensio, ad talia subeunda, seu in tali aut tali materia, objecto, occasione, obedientiam suam ostendendam *Phil.* 2.) est causa procatarctica & meritoria nostrae regenerationis, & collatae sanctitatis inhaerentis, proxime immediate, & formaliter. Porro in hac obedientia passiva (quam ita vocamus) distincte consideramus τὸ materiale, mortem scil, & passiones; & τὸ formale, obedientiam scil. innocentis sponsoris Deo vice nostri praestitam. Cum autem forma det esse rei, & operationes, earumque vis, efficacia, & dignitas sit à forma: videmus quomodo accipienda sint dicta illa scripturae, quae metonymice & synecdochice sanguini aut morti Christi virtutem sanctificationis nostrae

nostrae tribuunt, & cum illis *Catechesis* nostra *quaest.* 43. ***Primum*** enim Virtus & efficacia haec est meritoria seu impetratoria; non vero directe & physice agens. ***Deinde*** est mediata quadam ratione meritoria, quae necessarium praesuppositum quid impetrat, gratiam scil. reconciliationis & remissionis peccatorum, immo totius justificationis atque adoptionis activae; non vero proxime immediate, & formaliter, gratiam sanctificationis & beatificationis. Est enim meriti Christi ut satisfactorii pro praecedente culpa, terminus & effectus formalis ac proprius liberatio à peccato & poena: terminus autem consecutivus, gratia & donum justificationis ac sanctificationis. Unus terminus necessario ad alterum sequitur, nec unquam possunt separari (unde dicuntur beati, quibus remissa peccata, ***Roman.*** 4. 6.) sed unus non est formaliter alter, seu conceptus & ratio formalis unius, non est ratio formalis alterius, nec in ea includitur. Breviter ut meritum obedientiae vitae seu sanctitatis Christi nobis imputatur ad meritum & jus vitae aeternae in justificatione: sic idem nobis per modum meriti & impetrationis proxime & formaliter producit possessionem actualem non tantum sed & usum vitae: in praesenti saeculo, sanctitatis scil. & beatitudinis inchoatae per regenerationem & beatificationem; in futuro saeculo beatitudinis completae per glorificationem. Ita omnia nobis à Christo, per Christum, propter Christum: remotio mali & adductio boni: liberatio & restitutio; salutis principium & finis: Salutis jus & possessio; possessio, & fruitio; tum inchoata in hâc vita, tum completa in coelis: impetratio & applicatio. 1. *Corinth.* 1. 30. *Galat.* 2. 20. ***Coloss.*** 3. 3. 4. 11. 1. ***Johann.*** 5. 11. 12. Causa *procatarctica proxime impetrans* est tum resurrectio tum intercessio Christi & in terris & in coelis ***Johann.*** 17. 15. 17. cum 20. 21. coll. cum ***Roman.*** 8. 32. 34. 1. *Petr.* 13. VI. Procatarctica seu *motiva*, quod ad nos (quae etiam rationem exemplaris & normae obtinet) nulla est in prima regeneratione, seu in primo conversionis momento; ibi habemus nos [pag. 442] pure passive, nec quidquam mens nostra aut voluntas salutariter agit, convertendo se scil. ad gratuitam Dei misericordiam, ad mortem, resurrectionem, & sanctitatem Christi, eamque amorosè (ita loquar) in se reflectendo, atque ita ad sanctificationem se exstimulando. Hoc enim nemo facit nisi jam regenitus, & habens impressum supernaturale novae creaturae principium. Quod ad secundum momentum regenerationis qua talis: nec ibi stimuli illi locum habent: sed tantum in effectu ejus, resipiscentia scil. & pietate actuali. Nos autem hic de ipsa regeneratione, non vero de ejus effectu, deque ejusdem primo momento, non de secundo agimus. Haec accurate hic distinguenda, ne utilissimam doctrinam ἀτόποις, ἀλύτοις & ἀντιλογίαις videamur involvere. VII. Causae exemplares sunt 1 *summa* & prima; idea scil. sanctitatis ac perfectionis divinae, 1. *Petr.* 1. 15. 16. ***Matth.*** 5. 48. 2. *Petr.* 1. v. 4. 2. *Subordinata* & dependens, est Christi mediatoris, qua talis, sanctitas tam in divinâ, quam in humana natura. Specialiter hic tanquam exemplar etiam se habet mors & resurrectio Christi *Ephes.* 1. 19. cum ***Roman.*** 6. 4. 5. ***Philipp.*** 3. 6. 10. 3. ***Alterius*** *generis* subordinata & dependens est lex divina τύπον & formam sanctitatis à Deo praescriptam exhibens. 4. Denique imago Dei in homine ante lapsum, ***Coloss.*** 1. 10. Si quis autem quaerat, quomodo haec exemplarium vicem praestent, ***Resp.*** primam respectu Dei seu operantis, hoc est regenerationis activae: secundam, tertiam, & quartam respectu operis seu regenerationis passivae; qua cum distinctione etiam ***norma*** & ***mensura*** dici possunt. VIII. Causae instrumentales sunt vel principalis,

palis, Christus scil. mediator qua talis, qui comparate ad Deum tanquam absolute primum efficiens & ultimum finem in opere redemptionis dicitur servus *Matth.* 20. *Jesa.* 40. vel minus principalis *ordinaria* & proxima verbum scil. Dei, quo Deus nos vocat & invitat ad justitiam, sanctitatem, & beatitudinem *Jacob.* 1. 18. 1. *Petr.* 1. 23. Ubi *lex* propinque agit, removendo impediens; quatenus scil. hominem convincit de peccato *Rom.* 3. 20. & 7. *v.* 7. *Euangelium* proxime, unde concomitante gratia interna, fit actuale ministerium spiritus, & potentia Dei ad salutem 2 *Corinth.* 3. *Rom.* 1. Sed hoc intelligendum in secundo momento conversionis; cum homo à lege & per legem transit ad Christum. *Extraordinario*, & remora, miracula & signa &c. *Actor.* 9. & 16. de quibus in *disp. de signis. Adjuvantes ordinarii*, sunt Doctores & ministri 1. *Corinth.* 4. 15. *Philemon. vers.* 10. *Extraordinarii* sunt angeli, prophetae &c. *Hebr.* 1. *v.* 1.

6. Causis efficientibus thetice jam expositis, subjicimus haec problemata. I. *Probl.* An fides sit causa regenerationis, seu instrumentum ejus internum? *Resp. Neg.* quia fides est ejus terminus & effectum. Quidam tamen [pag. 443] statuunt. Sed illi longe aliud quid intelligunt, quam regenerationem à nobis explicatam: ejus scil. momentum secundum, hoc est excitationem ad actualem sanctitatem, aut regenerationis continuationem, augmentationem, instaurationem & confirmationem. Sic *Actor.* 15. v. 6. Huc facit sequens probl. II. *Probl.* An fides praecedat regenerationem, aut saltem resipiscentiam. *Resp. Pr. Neg. Posterius Aff.* de fide in actu primo, quae ordine naturae praecedit resipiscentiam & in actu primo & in actu secundo consideratam. Sed *Neg.* de fide in actu secundo, saltem completo aut formato. Talem enim fidem ordine naturae, & temporis necessario praecedunt actus aliqui resipiscentiae. Quae distinctio observata non parum faciet ad dogmaticos & practicos conciliandos. III. *Probl.* An intellectus & voluntas hominis concurrat ad regenerationem. *Resp. Neg.* si activum concursum tanquam causae intelligas; ita ut illis synergia tribuatur: sin vero concursum tanquam subjecti, conceditur: habet enim se mere passive in primo momento. IV. *Probl.* An in omnibus, aut aliquibus convertendis sint dispositiones praeparatoriae, quae aliqua causalitate sua concurrant ad regenerationem? *Resp. Aff.* Pelagianizantes. Vide *Cor. à Lapide in Actor.* 10. *v.* 2. Ex orthodoxis aliqui simile quid concedere videntur: sed longe alio modo ac scopo. Nos absolute *Neg.* ut supra ex explicatione termini à quo, & porro ex his rationibus ac distinctionibus colligimus. 1. *quia* omni facultate, habitu, dispositione, actu spirituali homo destituitur quippe animalis, non idoneus, mortuus &c. 1. *Cor.* 2. 14. & 2. *Cor.* 3. *Eph.* 2. *Col.* 2. *Joh.* 14. 18. 19. peccatum in illo regnat *Rom.* 6. 12. 13. 14. 2. *Quia* sequerentur haec absurda: esse statum intermedium inter regenitum & irrigenitum; hominem in primo momento se habere active; semper regenerari meliores, hoc est melius utentes donis & auxiliis naturalibus aliisque auxiliis ecclesiasticis, & sic tandem meritum de congruo; Gratiam reprimentem seu coercentem esse salutarem, & per se ordinatam ad salutem, immo infallibilem cum ea habere connexionem: quod est idem, ac si esset gratia regenerans, & convertens & consequenter irregenitus esset regenitus. 3. *Quia* Breviter ex hoc discursu veritas assertionis nostrae patet, & una fontes solutionum, indicantur, quibus objectionibus occurri & plurima apud Practicos explicari ac conciliari possunt. Homo ille qui dicitur dispositus ante regenerationem, aut est in infantia regenitus tantum, absque omni

omni actuali conversione; aut insuper ab infantia in fide & resipiscentia educatus & sic paulatim actualiter conversus: aut absque ulla regeneratione & actuali conversione usque ad punctum regenerationis suae in affecta aut saltem in adulta aetate perstitit. Si primum aut secundum statuitur: jam habemus regenitum [pag. 444] aut primò conversum, & consequenter quidquid boni agit, illud non est causa & praeparatio ad primam regenerationem, sed ejus effectus. Sin tertium statuitur: jam quaero an actus & dispositiones illae habeant infallibilem cum salute connexionem, nec ne. *Si prius* dicatur, jam regero esse actus & effecta salutaris gratiae & spiritus regenerantis, ex. gr. dolorem de peccatis: desperationem salutarem: desiderium gratiae: salutare desiderium verbi ejusque auditionem: suspiria, gemitus, anhelationes, mediorum inquisitiones &c. *Matth.* 5. 3. 4. 6. *Psalm.* 51. 19. & 119. 40. 67. coll. cum 2. *Corinth.* 7. 9. 10. Actor. 2. 37. & 9. 6. 9. (cum 22. 16.) & *cap.* 16. 29. 30. Dico esse effecta spiritus duplici ratione. *Primo* quia ille dedit & impressit novam creaturam, unde tanquam ex principio actus illi eliciuntur. *Deinde* gratiâ secundâ movit, & ad actus illos homogeneos hominem jam regenitum excitavit. Sunt ergo omnes illi motus, regenerationis effecta & actus, atque adeo pertinent ad secundum ejus momentum seu ad praxin resipiscentiae: at nos hic quaerimus de ipsa regeneratione proprie & stricte dicta quae est actio solius Dei, seu de conversionis primo momento, an scil. illam praecedant dispositiones. Quod autem motus illi primae actualis conversionis ac resipiscentiae, à practicis nonnullis vocantur praeparatorii, initiales, praeambuli, hoc ipso non negatur esse eos à speciali gratiâ spiritus regenerantis. Sicut in naturalibus utraque & dispositiones praeparatoriae, & ipsa introducta forma sunt à generante. *Deinde*, illi non dicuntur tales, comparati cum regenerationis primo momento, ejusque termino proprio ac formali, novis scil. dispositionibus seu habitibus tunc infusis atque impressis: sed comparati cum actibus secundis in secundo conversionis momento. *Tertio*, Immo ne quidem dicuntur dispositorii, in ordine ad omnes actus secundos, seu ad totam conversionem in actu secundo (nihil enim potest simul esse causa & effectus eodem respectu): sed speciatim dicuntur tales in ordine ad fidei actum directum quo apprehenditur & applicatur Christus: quin specialissime in ordine ad fidei actum reflexum, quo evidenter quis concludit ac sentit, se esse in statu gratiae. *Quarto*, actus omnis praecedens in totâ praxi conversionis sua natura ordinatur ad sequentem tanquam praeparatorium aliquod, aut tanquam auxilium elicitum. Immo cujusque dispositionis seu habitus ex. gr. resipiscentiae, spei, fidei &c. actus praecedens, initialis, incompletus, aut informis (si ita loqui liceat), praeparat ac disponit ad sibi homogeneum actum sequentem, completum, formatum. Et sic praxis, ac Theologia practicorum, cum dogmatis optime conciliatur. *Sin posterius* dicatur, jam regero communem gratiam reprimentem per auxilia naturalia, non esse magis praeparatoriam dispositionem homini convertendo [pag. 445] inhaerentem; quam est ingenium, memoria, auditus homini concessus. Natura enim in homine non est gratia, nec praeparatio ad gratiam. Externae occasiones objectae ut miracula, judicia Dei, verbi propositio, nullam ex se ponunt dispositionem aut aptitudinem in homine. Sed amplius rem illustremus problematis sequentibus. V. *Probl.* An gratia reprimens per communia auxilia ecclesiastica, si non in se, saltem respectu intentionis divinae sit dispositio ad regenerationem. *R. Neg.* potest esse simpliciter antecedens occasio, &

causa

causa (quam vocant) sine quâ non, idque ex speciali intentione Dei: sed ut unum sit ordinatum ad aliud tanquam causa ad effectum: tanquam potentia activa productiva regenerationis, aut tanquam potentia passiva seu dispositio habilitans subjectum ad impressionem ejus recipiendam, neutiquam concedendum. *Johan.* 3. 5. 6. & 6. 44. 45. & 14. 17. 2. *Corinth.* 3. 5. *Ephes.* 2. 12. 13. Et sequeretur, humanam naturam ex. gr. in Davide aut Petro, aut intellectum rationalem dici posse praeparatoriam dispositionem regenerationis eorum: quod Deus cum intenderet eam creare tanquam autor naturae, una intenderit producere in natura illa regenerationem tanquam autor gratiae. Nusquam Deus revelavit, gratiam esse ex & à naturâ tanquam à causâ; & se qua autorem naturae esse autorem gratiae, & utriusque operationis esse eundem terminum seu effectum formalem, aut posteriorem à priori tanquam causa dependere. VI. *Probl.* An verbum Dei ante conversionem salutariter audiatur? *Resp. Neg.* ex *Rom.* 14. *Hebr.* 4. *v.* 2. & 11. *v.* 6. *Tit.* 1. 15. Confer *quaestionem Catechetic.* 8. & *Disput.* peculiarem *D. Maccovii de hac quaestione in collegio disp. part.* 4. *disp.* 1. & in *disp. miscellan. tom.* 2. Et Vedelium in tract. de Deo synagogae p. 40. 41. & *Stechmani Photinianism. disp.* 28. *qu.* 2. Visus hic dissentire *Amesius* quem confer *in Casibus*, imprimis *in disp. ad finem rescriptiones in Grevinchovium adjecta*, edit. in 12. *pag.* 49. 66. Sed objicitur 1. *Obj.* Ergo verbum non est ab irregenitis audiendum. *Resp. Neg.* est audiendum, & quidem debite. Quod si conditionem & modum illum omittunt, male faciunt. *Deinde,* verbum per se bonum est, ut & auditio verbi: si per accidens illud malum fiat hominibus sua culpa: non debent hinc deliberare de omittendo eo, quod per se est bonum & à Deo mandatum: sed potius de omittendo suo malo, quo per accidens bonam illud polluitur & ipsis malum redditur. Vide distinctionem illam per se & per accidens, si non αὐτολέξει saltem ἰσοδυναμούντως inculcatam *Roman.* 7. 10. 11. 12. 13. Similis objectio posset moveri de infidelibus, Gentilibus scil. Judaeis &c. non esse illos per praecepta, monitiones, exempla nostra stimulandos & manuducendos ad virtutes ethicas, oeconomicas, politicas, quod ipsorum virtutes sint splendida peccata, ut *Augustinus* loquitur. Quin immo de ipsis [pag. 446] regenitis & fidelibus ad bona opera non exstimulandis sic quis argutari posset: bona opera nulla facienda, quia per accidens inhabitantis carnis sunt peccatis inquinata; juxta *catechesin* nostram *qu.* 62. *Object.* 2. Ergo verbum non est ipsis praedicandum: quia nescimus an & qui salutariter illud audituri sint, & quinam illud in malum sibi conversuri? *Resp. Neg.* ex 2. *Timoth.* 2. 25. 26. cum 1. *Corinth.* 3. 6. 7. Simile quid objiciebat *Tilenus in sacro & satyrico libello* gallice edito *adversus orthodoxam doctrinam de gratiâ:* quem nos vernaculo sermone refutavimus. Praesupponit haec objectio hanc falsam hypothesin, Nemini à nobis praedicandum euangelium, nisi judicio fidei certi simus de secutura conversione, & salutari auditione. Contra textus modo cit. & *Ezechiel* 2. *Exod.* 7. VII. *Probl.* An homo irregenitus aut regenitus seipsum sanctificet, seu active ad id concurrat. *Resp.* De *priori. Neg.* de *posteriori Aff.* siquidem intelligatur sanctificatio in momento & in actu secundo, hoc est, ejus excitatio & ἐνέργεια, aut continuatio. Et sic intelligenda dicta 2. *Cor.* 7. 1. 1. *Joh.* 3 4.

7. Causa materialis & formalis proprie dicta in accidentibus locum non habet: quamvis à nonnullis omnia entia promiscue sive substantiae sive accidentia per quatuor genera causarum explicari soleant. Si quis tamen conceptus analogicos ad modum

dum generationis physicae de eâ formare velit: cogitet Spiritus S. generantem 1. *Johan.* 5. 1. materiam transeuntem seu generationis, verbum Dei, quod semini comparatur. 1. *Petr.* 1. 23.; materiam constituentem proximam, intellectum; formam, fidem seu novam creaturam; Compositum ex hominis intellectu cum voluntate, & ex imagine Dei, seu novâ creaturâ, sit novus homo, homo Dei, homo spiritualis. Forma illa introducta, informat & actuat materiam, & sic hominem ad vitam spiritualem actuosum reddit; praeterea in certo rerum genere constituit; & ab omnibus aliis hominibus non regenitis distinguit: denique ad omne opus bonum habilem reddit. Quod ad regenerationem seu conversionem in secundo momento, potest illa analogice sic concipi. Generans est Sp. S. per gratiam secundam tanquam per virtutem plasticam. Materia generationis & semen, est nova creatura in primo momento regenerationis indita, unde actus illi eliciantur. Forma est actus secundus fidei, qui quasi actuat & τελειοῖ foecundum illud regenerationis semen. Dispositiones praeparatoriae sunt actus quidam resipiscentiae fidem praecedentes. Mixtio est unio actualis fidei cum promissionibus euangelii (*Hebr.* 4. 2.) Animatio foetus, seu introductio formae, est cum fide actuali applicatur Christus ad justificationem. Primum emanans ex forma jam indita, seu actus elicitus, est reflexivus actus fidei. Ad quod consequitur actus impetratus: ἐνέργεια scil. caritatis. Processus & successio actuum, [pag. 447] qui disponunt ad productionem primae actualis fidei, fere se habet ut foetus humani, qui quamvis anima rationalis infusa sit specifica, quâ contineatur vegetativum & sensitivum (quomodo binarius est in ternario, & trigonum in tetragono) tamen homo prius vivit vitam plantae, deinde animalis, tum hominis. Sic fides quamvis sit primus actus novae creaturae, immo totius novae creaturae, quasi radicale principium; tamen Actus ejus secundus saltem completus & formatus. seu sensibilis inter postremos fere exercetur. Si analogice regenerationem cum creatione, & resuscitatione conferre velit: in illa collocabit nihil materiae; in ista materiam absque omni potentiâ naturali, cum sola obedientali &c. Potest etiam elegantur conferri cum motu physico: quod innuit *Zanchius de operibus creationis* ubi de motu; & doctissime illud executus est *Parkerus* tunc juvenis & theologiae studiosus in *diatribe* lectu dignissima *de traductione peccatoris*, quam sub praesidio Maccovii defendendam proposuerat, & quae cum *Amesii rescriptione ad Grevinckhovium* in 12. denuo edita est: non tamen Amesio, aut Maccovio adscribenda, sed Respondenti Parkero in solidum; uti ex indicio Maccovii & Amesii mihi certo constat. Defenderunt tamen eam Maccovius & Amesius contra quorundam censuras. Finis regenerationis supremus est gloria Dei. Subordinatus, ultimus salus nostra, Remotus μακαρισμὸς beatificatio in hac vita, Propinquus bona opera seu vitae novitas. *Proximus*, coincidit cum termino, supra explicato: ubi vide.

Consectar. *Rejicimus Socinianos*, qui 1. *negant Spiritum S. esse causam primam regenerationis.* 2. *hominis viribus & operibus Regenerationem tribuunt.* 3. *Constituunt eam, in ipsa vitae mutatione & secundum Christi doctrinam reformatione.* Confer *Antagonistas Socinianorum.*

DE REGENERATIONE.

PARS ALTERA [1]).

1. Adjuncta regenerationes, ut & omnium aliorum thematum (liceat ἐν παρόδῳ hac occasione hoc semel junioribus indicare) in Theologia aliisque disciplinis, si quis venari velit, is percurrat *primo*, omnes notiones & formalitates metaphysicas tam primae quam secundae partis: & videat, quomodo ex iis attributa affirmativa, negativa; positiva; privativa; absoluta & respectiva ac [pag. 448] comparativa subjecto suo aptare queat. *Deinde*, delectu habito ea seligat, quae scopo suo maxime conveniant & quorum explicatio hoc tempore aut loco maxime necessaria sit. *Tertio* ea facilioris intelligentiae & memoriae causa, in certas classes tribuat: ut scil. Alia sint positiva, alia negativa. *Illa* rursum sint vel absoluta, vel respectiva & comparata. Et utraque vel antecedentia, vel concomitantia, vel consequentia. Consequentia iterum sint duum generum: vel quae habent se magis ad modum proprietatum, accidentium, & affectionum aut inhaerentium (sive interne & per emanationem, sive externe & hypothetice) aut adhaerentium: vel quae habent se magis ad modum effectorum & apotelesmatum. *Ista* itidem, sint vel negativa stricte dicta, vel privativa: *Illa*, rursum vel absoluta vel comparativa. *Denique* ex omnibus illis delineatis adjunctis (una cum explicatione generis, subjecti, causarum, cognatorum, oppositorum) copiosam segetem sibi sumat ad εὐπορίαν omnis generis argumentorum pro & contra, in probationibus ac disputationibus, itidem ac εὐπορίαν παθῶν, ut & motivorum, mediorum, signorum in amplificationibus, usibus, & applicationibus practicis. Sed, ut ad institutum nostrum revertamur; seligimus & indicamus nunc adjuncta regenerationis positiva antecedentia. Quae sunt duplicia vel quae ipsa eam antecedunt; ordine naturae, aut temporis, aut utroque: vel quae sunt antecedentium ejus, seu ex ejus antecedentibus desumpta. *Illa* sunt 1. praedestinatio. 2. foedus gratiae seu novum, cum datione, constitutione & promissione mediatoris; quâ unà electi intelliguntur dati esse Christo ut eos salvaret. 3. Justificatio, reconciliatio, & adoptio externa seu activa. 4. Conservatio electi convertendi aut regenerandi usque ad tempus illud acceptum: quo refer omnem divinae ἰσχύος ἐνέργειαν circa electos ante conversionem; de quâ *Disput. De Statu Electorum ante conversionem*. 5. Vocatio salutaris. Atque haec quidem *tum* ex se & sua natura *tum* secundum Dei specialem intentionem, infallibilem cum salute habent connexionem. Quibus annumerari potest. 6. ἐπιφάνεια, sive adventus Christi in carnem; ratione eorum qui vixerunt tunc temporis, ac post. Illis enim proprie tum natus & datus erat filius *Jes*. 9. cum *Luc*. 2. illorum oculi beati erant qui videbant &c. *Luc*. 10. Sunt & alia adjuncta antecedentia sed quae infallibilem cum salute non habent connexionem, aut mutuam causalitatis dependentiam: seu quae non reciprocantur; qualia 1. omnia auxilia tum naturalia: tum supernaturalia à eaque rursum aut externa seu ecclesiastica, aut interna, ut illuminatio, & motus ac stimuli cum ea connexi. 2. non tantum originalis, sed & actualis corruptio, & vita peccati *Eph*. 2. *Tit*. 3. Adjuncta antecedentia, ex genere, objecto, causis desumpta sunt. 1. *Quod* sit necessaria ad salutem *Joh*. 3. 3. 2. *Quod* actio una specie; & consequenter [pag. 449] una semper & uniformis sit regeneratio

[1]) *Resp*. CORNELIO GENTMAN, Goesa-Zelando. *Ad diem* 16 *Novemb*. 1639.

tio omnium, quantum ad essentialia. 3. *Quod* instantanea; seu quod fiat in instanti. Quod autem successiva à nonnullis dicitur id de toto complexo seu collectione termini in primo & secundo momento intelligendum est: nos autem agimus hic de termino regenerationis in primo momento. 4. *Quod* sit perfecta (uti etiam omnes actiones Dei) secundum ideam & intentionem divinam: quomodo perfecta erat rerum omnium prima creatio. Dico autem perfectam esse, non tantum in se & ratione Dei operantis; (cui nullus defectus accidere potest) sed etiam ratione termini & effectus intenti ac operationis illi proportionatae. 5. *Quod* sit supernaturalis, totam naturam ejusque opera & ordinem in creatione constitutum transcendens *Matth.* 16. 17. *Johan.* 1. 9. 10. 12. 13. 6. *Quod.* consequenter sit solius Dei; non minus quam creatio, & resuscitatio, *Roman.* 4. 17. 7. *Quod* modus operandi seu causalitas Dei regenerantis sit physica, per quam directè mutatur unum in aliud, & nova creatura producitur atque introducitur. 8. *Quod* eadem tamen dicitur moralis, seu objectiva non in se & respectu regenerationis ut sic, sed ratione adjuncti sui sive antecedentis sive concomitantis, vocationis scilicet. 9. *Quod* sit infallibilis ratione intentionis Dei & eventus; & irresistibilis atque invincibilis ratione modi & efficaciae operandi. Quamvis enim homo pro innatâ pravitate nihil possit quam resistere in sensu diviso: actu tamen non resistit nec etiam potest resistere in sensu composito, cum Spiritus S. regenerans resistibilitatem tollit, imprimendo novum vitae spiritualis principium. 10. Nullum ergo in primo hoc momento voluntarium aut involuntarium hominis locum habet: quia nulla actio humana intercedit, sed est actio solius Dei. Ita ut voluntas se habeat neutraliter & merè passive, ratione novi principii, nihil hic volens aut nolens. Posset tamen quod ad hominem volentaria dici regeneratio per extrinsecam denominationem ab effectu consequenti, seu respectu quodam extrinseco, propter subsequentem (non vero antecedentem, aut simultaneum) voluntatis, consensum seu novam & regenitam volitionem, quâ exitatus à gratia secundâ in secundo momento ipse homo bona spiritualia per vocationem oblata velle incipit secundum novam voluntatem divinitus impressam, & secundum quod Spir. S. fecit illum ex nolente volentem, & operatur in ipso τὸ velle, & perficere. 11. *Denique* quod sit difficilis, si naturam & carnem, facilis tamen, si τὸ κράτος τῆς ἰσχύος divinae respicias *Matth.* 19. 23. 24. 25. 26. coll. cum *Ephes.* 1. 19. *Proverb.* 21. 1. *Roman.* 11. 23. Hinc omnipotens facilitas & facilis omnipotentia Deo regeneranti tribuitur. Conferantur inter Antagonistas Jesuitarum Pelagianizantium *Sylvius in commentar. ad Thomam*, & in *opusculo de* [pag. 450] *motione primi motoris; Didacus Alvarez de auxiliis gratiae; Mattheus de Rispolis de praedeterminationibus; Corn. Jansenius in Augustino.* Et ex antagonistis Remonstrantium, *Amesius, Twissus, Rhetorfortis.* Problemata de adjunctis jam recensitis sunt. 1. *Probl.* An homo animalis lumine naturae, (quas reliquias imaginis divinae, bonam idolem, gratiam communem seu universalem, primam & praevenientem appellant) tam recte uti possit, ut bono illo usu majorem gratiam, scil. euangelicam & salutarem consequi valeat. *Resp.* ita quidem velint antiqui & recentiores Pelagiani: quorum errorem recoctum vide apud *Joh. Arnold. Corvinum tractat. contra Tilenum cap.* 6. Nos autem negamus ex *Matth.* 11. 23. Ps. 147. 19. 20. *Actor.* 14. 16. & 10. 6. 7. *Ephes.* 2. 12. 13. cum *Tit.* 3. 3. II. *Probl.* An regeneratio fiat per suasionem tantum moralem? *Resp. Neg.* Primo ex *Ezech.* 26. 16. *Ephes.* 2. *Jerem.* 31. & 32. *Johann.*

Johann. 6. 2. *Petr.* 1. 3. 1. *Corinth.* 12. 6. &c. ubi actio seu efficientia physica indicatur; *Secundo* ex 1. *Corinth.* 3. 5. 6. *Rom.* 8. 28. 2. *Timoth.* 2. 25. 26. ubi peculiaris & efficax specialis gratiae actus indicatur, praeter & supra suasionem moralem, quae est efficientia objectiva & communis. *Tertio*, ex *Eph.* 1. 19. *Coloss.* 1. *v.* 12. 13. ubi operationis modus indicatur; qui alius, est quam lenis quaedam suasio. *Quarto*; quia voluntas tam est corrupta, mortua, peccati serva, ut minor efficacia ad ejus immutationem non requiratur, quam ad mortui suscitationem, aut mundi creationem. Hinc regeneratio comparatur cum creatione. 2. *Corinth.* 3. & cum resuscitatione *Ephes.* 2. *Quinto*, quia voluntas regenita ad actus secundos solâ morali suasione non movetur *Philip.* 2. 13. *Hebr.* 13. 21. *Psal.* 119. 26. & 86. 11. *Canticor.* 1. 4. *Jerem.* 32. Multo minus irregenita. *Sexto*, quia sequeretur alioquin, Deum non versari alterius generis efficaciâ aut modo operandi circa hominis mentem & voluntatem, quam hominem, aut quam diabolum: qui efficientiâ objectivâ & solâ suasione morali agit. III. *Probl.* An voluntas per lapsum quid perdiderit; & sic ei per regenerationem nova quaedam gratia (quae sit ad modum habitus aut qualitatis cujusdam inhaerentis) imprimatur: an vero ex se sit plane libera (potentiâ scil. propinquâ) ad bene vel malè agendum. *Resp. Negant. Pr. & Aff. Post. Remonstrantes in collatione Hagiensi:* Nos contra: *Primo*, quia voluntas exsertè dicitur corrupta & corrumpens, mortua in peccatis *Ephes.* 2. cum 4. 22. 18. *Roman.* 8. 6. est malitiae quasi habitu informata, quo fit ut inclinetur ad malè agendum, nec quidquam possit velle, aut velit posse bene agere *Jerem.* 13. 24. *Genes.* 6. & 8. *Proverb.* 17. 20. *Johann.* 5. 40. & 8. 34. Hinc lege peccati quasi constringitur *Rom.* 7. 21. 23. & cor dicitur lapideum *Ezec.* 36. malum *Hebr.* 3. 12. perversum *Jerem.* 17. cervix & frons ferrea & chalybea *Jesa.* 48. 4. [pag. 451] *Secundo*; voluntas dicitur mutari, converti, novâ vitâ, & novis qualitatibus seu virtutibus donari atque informari. *Ezechiel.* 36. 26. *Jerem.* 31. 33. & 32. 39. 40. *Deut.* 30. 6. *Tertio,* Voluntas est proximum & formale principium *quod* actionum humanarum, & virtutes omnes seu habitus morales theologici juxta primam & secundam tabulam, subjectantur in voluntate: ergo illi de novo increari & imprimi debet per regenerationem ut principium spirituale *quo*, (non minus quam intellectui novum lumen infunditur,) *Johann.* 1. 13. cum *Ephes.* 2. 8. *Hebr.* 8. 10. 2. *Petr.* 1. 3. 4. *Zachar.* 12. 10. & habitus spei, caritatis, resipiscentiae illi debent infundi *Actor.* 5. 31. & 11. 17. 18. ut cor à corruptione sua aversum domino adhaereat, *Actor.* 15. 9. cum 11. 23. *Psal.* 63. 9. & 62. 9. 11. & 73. 28. *Quarto*, voluntas ante lapsum fuit donata & induta suis qualitatibus sanctitate scil. & justitia *Ephes.* 4.24. Ergo illae qualitates per lapsum deperditae, debent eadem per regenerationem denuo restitui. *Coloss.* 1. 10. IV. *Probl.* An voluntas tam in primo, quam in secundo conversionis momento à gratiâ determinetur immediate, an vero mediate per ultimum judicium intellectus practici. *Resp.* Vide de hac quaestione *appendicem ad dispp. de Creatione.* V. *Probl.* An affirmans opinio faveat Pelagianismo, & neget necessitatem atque efficaciam gratiae in voluntate? *Resp. Neg.* quia nihilominus defendere possunt gratiam specialem, eamque efficaciter, pertendentem & vincentem, quae à nullius duro corde unquam respuatur, aut respui possit, in sensu composito: homini praeterea in primo conversionis momento nihil tribuunt facultatis, aut cooperationis ad vitam spiritualem: ut videre est in *disputatione Cameronis cum Tileno*, *ejusdemque apologia adversus epistolam*

stolam anonymi Remonstrantis (tit. *Epistola viri docti* &c.) postea editâ. VI. *Probl.* An facilius, evidentius, & solidius hac ratione, veritas explicari & contra Pelagianos defendi possit? *Resp.* Ita quidem censere videtur modo laudatus *Camero;* cum illo *D. Makkovius in Disput. Academicis* nuper editis. Antiquam tamen & receptam sententiam non obscurè praeferunt *Molinaeus in disp. de libero arbitrio; Walaeus in Disp. de Voluntatis conversione* anno 1622. ad diem 17. Martii, *Amesius in Medulla*, & passim in *Anti Remonstranticis;* Et, qui post primam praesentis disputationis editionem prodiit *Spanhemius* in postremo *scripto contra gratiam Universalem*. Dominicani aliique genuini Thomistae, qui hodie causam Dei hac in parte agunt contra Jesuitas, aliosque recentiores Pelagianos non unum hic sentiunt: De quo alibi. Nos quaestionem hanc attingimus in *dispp.* & *problematis de creatione*. VII. *Probl.* An in primo momento conversionis Deus consideretur causa procreans seu producens, ut autor gratiae; in secundo momento ut autor naturae & gratiae. *Resp. Aff.* Quia in [pag. 452] primo momento tantum conservat voluntatem ut autor naturae (ut scil. sit quod sanetur) nihil vero de novo per illam & cum illa operatur: sed in secundo momento de novo operatur & cooperatur actum vitalem bono operi substratum, ut autor naturae; & simul moralitatem seu spiritualem bonitatem istius actus, ut autor gratiae. VIII. *Probl.* An vocatio (quam vocant externam tantum, seu inefficacem) proprie dici possit salutaris, aut ad salutem. *Resp. Neg.* quod ad intentionem Dei. IX. *Probl.* An efficax & interna tractio ac immutatio cordis, proprie dicatur vocationis salutaris pars esse; seu an specifice & proprie sit ipsa vocatio ad salutem. *Resp. Neg.* haec enim est ipsissima regeneratio seu nova creatio, per quam homo aptus redditur ut vocationi respondeat. X. *Probl.* An in electis qui & dum vere convertuntur, dolor legalis, & metus servilis magis propter poenam quam propter ipsum peccatum, adhaec illuminatio, & de veritate dogmatum convictio sit à gratiâ & spiritu regenerante. *Resp. Aff.* De dolore, timore, illuminatione, quae in ipso conversionis & regenerationis (in secundo scil. momento) quasi ὠδῖσι percipiuntur. De aliis, quae ante tempus illud acceptum, eidem electo ante hac obtigerunt, aliter censemus; Ad gratiam scil. conhibentem ea referenda. Et sic de motibus ejusmodi in reprobis judicandum. Sunt enim ab alio principio *quo*, & id aliud ordinantur, atque adeo modus & forma eorum longe diversus est. Sicuti actiones sensuum in bruto pendent ab animâ sensitivâ tanquam formâ suâ; in homine ab animâ rationali tanquam forma substantiali hominis. Et sicut fides miraculorum in vere fideli pendet à fide salvifica, atque eâ comprehenditur: sic etiam actus & motus illi quamvis materialiter reprobis communes; formaliter tamen & hoc modo considerati electis, qui vere nunc convertuntur, sunt proprii: quippe qui à Spiritu regenerante atque excitante per specialem gratiam, & à voluntate novis sanctitatis seu novae creaturae habitibus nunc informatâ proficiscuntur.

2. Adjuncta positiva absoluta *concomitantia* sunt I. Vocatio salutaris, & efficax; quae talis est ac dicitur ex intentione Dei, & propter infallibiliter connexam internam tractionem & regenerationem: quamvis autem haec vocatio in instanti naturae antecedat; tamen in instanti temporis simultanea est & concomitans. II. Secundum conversionis momentum tam active quam passive consideratum, quod concomitans seu connexum est in instanti temporis, sed consequens in instanti naturae. III. Machinatio contraria Satanae, & instrumentorum ejus. *Act.* 13. 8. & 16. 14. 17. 18. 1.

Thes-

Thessal. 2. 15. 16. IV. Aliorum, & saepe plurium, non conversio; immo contra fidem ac pietatem major resistentia & induratio. *Actor.* 2. 3. & 13. 43. 14. 45. & 17. 32. & 19. 6. 7. 8. 9. Et haec quidem adjuncta connexa. Adjuncta [pag. 453] positiva absoluta *consequentia,* quae se habent ad modum propriae affectionis inhaerentis, aut adhaerentis, sunt. I. Quod simul & semel vis seu potestas dominans peccati cesset. II. Quod forma seu semen regenerationis implantatum in hac completâ & formata conversione, sit fertile prolificum tum ad germinationem actuum secundorum de facto, tum ad augmentationem, perfectionem, & intensionem eorundem actuum, & sui ipius, successive usque ad ultimam consummationem. *Problema* I. An ergo regeneratio in secundo momento, semper actu crescat & intendatur. *Resp.* Quod ad universalem seu perpetuum & totum cursum *Aff.* Quod ad particularem, incidentem, & πρόσκαιρον cursus illius impeditionem, aut recursum, remissionem, imminutionem, ac recidivam; *Neg.* Haut aliter ac puer crescit statura; quamvis per morbum aut aliud impedimentum accretio illa sistatur aliquando; immo & statura videatur minui. Cum hac distinctione sunt intelligendi practici, qui verae conversionis gnorisma infallibile faciunt, continuam augmentationem in gratia, & omnibus actibus novi hominis. Vide *Apocal.* 2. 4. 5. *Galat.* 3. 1. 3. & 5. 7. II. *Probl.* An sicut generatio unius est corruptio alterius; sic forma nova in primo momento impressa, sit mors peccati, quod ad potestatem ejus damnantem & dominantem. *Resp. Affirm.* Ut enim duae formae, inter quas versatur generatio, non possunt simul in eodem subjecto consistere; sic nec forma antiqui & novi hominis, uti jam dictum: sed eodem instanti, quo introducitur novus, abjicitur vetus. Pari ratione se habet in secundo conversionis momento. Qualis enim forma obtinet ac dominatur in momento & in actu primo; talis etiam vita illi formae analoga, in momento & in actu secundo. Vide *Coloss.* 3. *Roman.* 6. 5. 7. 8. 11. 14. 17. 18. 2. *Corinth.* 5. 15. Quod autem fideles monentur mortificare, crucifigere, deponere & exuere veterem hominem; id de existentia, reliquis & conatibus ac oppugnatione ejus primo & proxime intelligendum; non vero de ejus dominio, aut regno.

3. Adjuncta positiva absoluta, quae se habent ut *regenerationis effecta & apotelesmata prima* sunt I. *collective* novus homo seu regenitus in concreto sic dictus & nova creatura, seu divina natura (2 *Petr.* 1.) in abstracto sic dicta 2. *Corinth.* 5. *Ephes.* 2. 8. II. Distributè sunt, in intellectu sapientia, & fides; in voluntate, sanctitas, & justitia; partim in intellectu, partim in voluntate, resipiscentia. Quibus virtutes speciales caritatis, timoris, honoris &c. erga Deum & proximum continentur. *Effecta orta* & dependentia ex fide organicè considerata sunt. I. Realis & passiva seu recepta cum Christo unio, & in foedus novum insitio & sic bonorum omnium in Christo communio. II. Reconciliatio, & justificatio passiva (uti vocant) seu [pag. 454] potius interna, in nobis: à quâ distinguitur externa seu activa, quae est circa nos. Porro necessariam hanc distinctionem supra omnes alios illustravit, perspicueque ac solide defendit *D. Makkovius Coll. Theol. parte* 4. *disp.* 9. *coll.* cum *part.* 3. *disp.* 16. & *peculiari syllabo disputationum de Justificatione*, & nos in *problematis de Justificatione* eam ἐν παρόδῳ ab objectionibus nonnullis vindicabimus. Non est ergo quod pluribus hic persequar. Tantum haec tria addo in gratiam juniorum I. *Intrinsecam* illam seu passivam justificationem duplicitur spectari, vel ut absque sensu, vel ut cum sensu. Isto modo spectatur in adultis actualiter & actu secundo jam conversis.

Illo

Illo modo *tum* in infantibus regenitis in statu gratiae hinc decedentibus; *tum* in adultis in primo momento conversionis constitutis: ubi impresso habitu fidei, illico relativam status mutationem, & cum ea justificationem passivam seu intrinsecam adesse cogitandum est. Haut aliter ac imagini Dei in primo momento creationis aderat dominium in creaturas, seu potius per naturalem resultantiam aut necessariam connexionem ex ea manabat, & ad eam sequebatur. Aut ut natus primogenitus Regis, habet ac recipit in sua persona talem vel talem principatum, quamvis primo nativitatis momento hoc non sentiat, nec actu de eo gaudeat. 2. *justificationem* activam distingui à decreto justificationis; tanquam executionem decreti à decreto, & actionem Dei emanantem ab immanente. Sicuti necessario distingui debet decretum creationis ab ipsa creatione. 3. *Eandem* peractam esse, fundamentaliter & κατ' ἐπαγγελίαν, in prima institutione, pactione & promulgatione foederis novi *Genes*. 3. consummative in Christi cruce ac resurrectione *Rom*. 8. 32. 33. 2. *Cor*. 5. 18. 19. III. Adoptio intrinseca & passiva. Quae itidem sensitiva seu potius sensata, & non sensata. Ista in infantibus; & in adultis quod ad primum momentum conversionis. Illa in adultis, quod ad secundum momentum, & quidem proprie per actiones fidei formatas. Nam informes & initiales actus fidei, quia vix sentiunt, aut ipsi vix sentiuntur, habentur à nobis tanquam insensibiles. IV. Sanctificatio stricte dicta seu novae sanctitatis excitatio & studium in homine interno & externo, 2. *Corinth*. 7. I. Quo pertinet praxis resipiscentiae, & fidei, & repurgatae conscientiae; de quibus agimus in *Ascetica* seu in *tract. de Exercitiis pietatis*. Proprium autem hujus novae praxeos Sanctitatis est perfectio seu integritas: quae in hoc consistit 1. quod toti & totaliter non peccent; propter resistentiam & reactionem spirit. *Rom*. 7. 17. 18. 19. 20. *Gal*. 5. 17. 2. *Quod* per consequens aliquod semper sit retinaculum: & sentiant peccatum suum cum remorsu ac dolore; postquam peccarunt; 2. *Samuel*. 24. 10. 3. *Quod* peccatum non sit quotidiana, & ordinaria, ac professa eorum praxis 1. *Joh*. 3. 6. 8. 9. itaque non sint ac dicantur [pag. 455] propriè peccatores, operarii iniquitatis, impii, injusti: sed contra servi Dei, pii, justi &c: 4. *Quod* misericors & sapientissimus pater eorum, occasionem sumit ex lapsu eorum, aut infirmitatibus perpetuo adhaerentibus excitare & perducere eos ad perfectionem fidei, resipiscentiae, conscientiae custodiam, excitationem, & praxin. De quo egimus in *tract*. nostro *contra Tilenum* belgice scripto; & in *disp. de Usibus peccati per accidens*. 5. *Quod* perfecti sint perfectione partium majorum, interioris scil. & exterioris: hoc est, quod non hypocritice, sed sincere Deum colant. 6. *Quod* insuper perfecti perfectione partium minorum; huc est secundum omnia Dei mandata vivant quod ad ordinarium ac compositum vitae cursum: ita ut nullum Dei mandatum sciant aut sibi proponant, quod volentes scientes, transgedi constituerint *Phil*. 1. 1. *Rom*. 7. 15. 16. 7. *Quod* etiam suo modo aliquam perfectionem graduum attingunt: desiderio scil. affectu, proposito studio & conatu: non tamen effectu. V. Inchoata beatitudo seu glorificatio: quae complectitur gaudium, pacem, spem vivam, libertatem, atque omnia bona & privilegia filiorum Dei. 1. *Petr*. 1. 3. 6. 7. 8. *Rom*. 8. 1. 2. per totum. 2. *Corinth*. 3. 17. 18. Confer *Amesii medullam lib*. 1. *cap*. 30. VI. Conservatio in illo statu; quâ Deus regenitos conservat usque ad finem vitae 1. *Petr*. 1. 5. 9. & hinc ipsorum perseverantia: ipsi enim à Deo acti agunt, & conservati se conservant 1. *Johan*. 5. 4. 18. VII. Consummatio & perfectio hujus operis, in fine vitae, seu in morte *Philipp*. 1. 6. 10.

6. 10. de quâ infra. VIII. Post hanc vitam animae beatitudo, resurrectio corporis, totalis & finalis gloria. 1. *Petr.* 1. 3. 9. coll. cum *Philip.* 2. 12. & 3. 10. 11. 2. *Corinth.* 4. 16. 17. Ubi consummata fruitio vitae aeternae seu gloriae exserte statuitur esse finis & sic aliquo modo consequens effectum proxime & immediate termini regenerationis consecutivi seu in secundo momento: & consequenter termini regenerationis formalis (seu in primo momento) propinque. Quomodo autem & qua cum distinctione ex scriptoribus reformatis alii concedant alii negent actualem & constantem pietatis praxin aliquo modo posse dici causare seu producere fructum vitae aeternae, saltem eum necessario ut medium antecedere aut non antecedere; ex professo & prolixe contra tenebrionis Remonstrantici cavillationes explicuimus in *tract.* cui tit. *Thersites Heautontimorumenos;* & nuper in *dispp. de selectis quibusdam problematis. Problemata* sunt I. An regeneratio intellectus per illuminationem tam in primo quam in secundo actu, cujus terminus seu effectus formalis est cognitio & assensus veritatis, sapientia Theologica, prudentia ecclesiastica &c. differat specie & forma, ab illo auxilio communiori illuminationis, quae etiam reprobis quibusdam contingit, aut electis ante actualem conversionem? *Resp. Aff.* ex 1. *Joh.* 5. 19. [pag. 456] 20. *Philipp.* 1. 9. 10. *Coloss.* 1. 9. *Ephes.* 1. 17. 18. *Jacob.* 3. 13. 15. 17. ubi distincte ἡ ἄνωθεν σοφία & *Luc.* 1. 17. φρόνησις δικαίων. De quo in *Disput.* de *Simplicitate & Hypocr.* Pari ratione hic distinguendum putamus, ac de fide miraculorum, aliisque charismatis in regenitis: quae materialiter communia sunt: formaliter peculiaria ac propria in regenitis & vere fidelibus. *Marci* 16. 16. 17. *Johann.* 7. 28. *Actor.* 19. 4. 5. 6. Confer *dispp. de Miraculis*, & *de charismatis.* An autem habitus sapientiae Theologicae, aut prudentiae ecclesiasticae, in irregenitis propriè & specifice sit dicendus infusus, an vero acquisitus. Disquiri posset, Nos in *post. Aff.* inclinamus: ita ut eodem censu tales habitus habeamus, ac habitus eorundem philosophicos, Medicos, historicos, poëticos &c. II. An intellectus regeneratio dicat necessario novum lumen intus impressum, seu habitum cognitionis ac sapientiae, quo mens informata inclinetur, determinetur, facilitetur, ac idonea reddatur ad spiritualia spiritualiter percipienda ac dijudicanda: an vero sufficiat sola extrinseca veritatis ex verbo Dei propositio & persuasio? *Resp. Neg. post. Aff. pr.* contra hodiernos Pelagianos. Vide *Simonis E iscopii disp.* publicam & privatam *de perspicuitate scripturae:* ubi statuit omnia, quae ad salutem scitu, creditu, speratu, factu necessaria sunt, posse à quolibet, modo usu rationis & judicio polleat, absque ullo supernaturali lumine aut illuminatione intelligi; & quidem sine labore examinis, sine auxilio operosae indaginis. Quaenam autem & quam pauca sint ad salutem scitu & creditu necessaria secundum ipsos, passim innuunt in *Apologia*, & in *responso ad Excerpta professor. Leidensium*, imprimis in profano & insolenti scripto cui tit. *Vindiciae seu Vedelius Rhapsodus:* quod castigatum vide à *Vedelio in arcanis Arminianismi*, Confer infra *disp. nostram de artic. & error. fundament.* Novas assertiones eorum de libero arbitrio, excussas vide ab *Amesio in refut. scriptor. Anti-synodal.* ex *Ephes.* 1. 17. 18. *Johann.* 6. 45. *Matth.* 13. 11. 1. *Corinth.* 2. 8. 10. 11. 13. 14. 15. *Actor* 6. 4. III. Quae sit causa, quod apud dogmaticos & practicos tam multa occurrant ἐναντιοφανῆ, circa consequentem dependentiam, ordinem, successionem actuum & effectorum regenerationis? *Resp.* partim quod modus regenerationis tam occultus sit, & multa nos lateant, juxta illud *Johann.* 3. 8. partim quod sequentes distinctiones aut exsertè

ab omnibus non observentur, aut à lectore non adhibeantur. Sunt autem illae 1. *Alia* est quaestio de ordine, successione, & consequente dependentia habituum seu actuum primorum inter se; & alia de eorundem ordine, & dependentia comparate cum actibus secundis. Sic vicissim alia est quaestio de dependentia, successione, & ordine actuum secundorum inter se: & alia de eorundem ordine comparatè cum actibus primis. 2. *Rursum* alia est quaestio, de successione, prioritate [pag. 457] ac posterioritate actuum secundorum in se; & alia de successione eorundum καθ' ἡμᾶς; seu in sensu nostro. Sic ex gr. fidei actus secundus qui revera praecedit actus secundos veri doloris secundum Deum, desiderii gratiae, aliosque ejusmodi resipiscentiae motus; in sensu nostro & καθ' ἡμᾶς habetur posterior, & sic à Practicis ut plurimum collocatur. Ratio est; quia actus illi initiales fidei (quos motus primo primos, informes, incompletos liceat appellare) tam obscuri & insensibiles sunt, ut pro actibus fidei in illâ festinatione, in illis ὠδῖσι partus spiritualis non percipiantur aut habeantur: quamvis regeniti jam complete in actu secundo conversi, & saepius ac saepius renovatâ resipiscentiae ac fidei praxi, retro vestigia legentes, & totam illam mutationem dexterae excelsi ad memoriam revocantes; aliquâ mentis & crepusculari quasi evidentiâ, ac diminutâ perspicaciâ videantur sibi videre atque observare in illâ turbatione ac commotione modum, ordinem, ductum, & discordem affectuum & actuum illorum (spei & desperationis, gaudii & doloris, timoris & fiduciae, accusationis & apologiae, credulitatis & dubitationis &c. 2. *Cor*. 7. 11. *Rom*. 7. 8. 9.) concordiam, mutuamque dependentiam, promotionem, impulsum, excitationem: quae tamen tunc cum ista fierent distincte videre aut certa ac resoluta scientia dijudicare non poterant: haut aliter ac homo, post morbum, aut ejus paroxysmum retro cogitans melius dijudicat de statu morbi, variisque ejus affectibus & concomitantibus. Quod autem Practici informes, incompletos, & insensibiles illos fidei motus (qui actus doloris, desiderii &c. praecedunt, comitantur, sequuntur; & ἀχωρίστως se iis permiscent) non aut vix numerant inter actus fidei; haut mirum est. Evenit enim illis fere, quod Physicis, qui insensibilem motum aut impulsum inter motus non recensent. Quomodo & Astronomi solstitium appellant, solis progressum nobis insensibilem. 3. *Denique* alia est quaestio de actuum primorum aut secundorum ordine naturae seu quod ad essentiam; & alia de eorundem ordine temporis seu quod ad existentiam. Has distinctiones putamus usum suum habere ad multa in hoc negotio explicanda & concilianda. IV. An *Actor*. 15. *v*. 9. fide purificari corda, de fidei habitu intelligendum sit, an vero de actu secundo? *Resp*. de utroque: de hoc quidem proxime, de illo remote ut principio *quo* seu elicitivo fidei actualis. V. An fides ibi consideretur relative, seu objectivo-organice, ut apprehendens Christum qui est causa meritoria nostrae justificationis & sanctificationis; an vero absolute ut actus virtutis, seu virtus theologica? *Resp*. Nos. *prius Aff*. Quod si quis de posteriori velit exponere, tum ponenda erit synecdoche. Ut fides tanquam pars novae sanctitatis, & tanquam virtus ordine prima, immo etiam principalis (quatenus dirigit alias) [pag. 458] notet omnes virtutes. VI. An ergo fides in habitu seu in actu primò, aeque ac in actu secundo debet distincte considerari materialiter & formaliter; in esse absoluto & in esse relato; quatenus virtus theologica, juxta cum spe & caritate, seu quatenus bonum opus, & quatenus organum seu instrumentum apprehendens Christum. *Resp*. *Aff*. eadem enim hic ratio fidei in actu primo

primo & in actu secundo. Fides in actū primo, materialiter ac absolute spectata est habitus seu virtus inhaerens; & simul relate seu formaliter spectata (quâ justificativa) est instrumentum. Fides in actu secundo, materialiter ac absolute spectata est actus virtutis, seu opus bonum; & simul relative seu formaliter spectata est instrumentum. Causa efficiens tam principalis quam instrumentalis, distinguitur in causam potentia & causam actu]ex. gr. oculus meus est organum visus aut potentialiter aut actualiter, & ulna est vel potentiâ mensurans vel actu mensurans. Haec analogice ad fidem habitualem actu quidem impressam & inhaerentem, sed actum fidei non elicientem, applicari possunt. Talis enim fides habitualis actualem justificationem annexam habet, & quidem passivam, non vero sensitivam & hoc respectu est & dicitur causa instrumentalis actu. Sed justificationem passivam seu receptam sensitivam instrumentaliter non producit, & hoc respectu dicitur instrumentum potentia, non vero actu. Sola autem fides actualis est unicum instrumentum actu, per quod justificatio passiva producitur. Hinc intelligi potest quomodo vere fidelis e. gr. David, Petrus &c. in statu lapsus, ante renovatos resipiscentiae, & fidei actus in se habeant gratiam justificationis & remissionis peccatorum, juxta novi foederis promissiones *Jerem.* 31. & 32. *Roman.* 8. *v.* 1. 33. 34. 2. *Corinth.* 5. 18. & quomodo non habeant, antequam actu resipiscant & renovatos actus fidei eliciant *Psalm.* 32. *v.* 3. 4. 5. VII. An & quomodo adoptio dici possit regeneratione prior aut posterior? *Resp.* Adoptionem intrinsecam seu passivam esse regeneratione tanquam causa & fundamento suo posteriorem, constat ex *Johann.* 1. 12. 13. coll. cum *Jacob.* 1. 18. *Rom.* 8. 15. Sed adoptio extrinseca seu activa, siquidem pari passui ire dicenda est cum justificatione, eâdem prior est.

2. Adjuncta positiva, respectiva & comparativa sunt. 1. Quod sit arcana & incognita, quod ad modum operandi juxta textum *Johann.* 3. 8. de cujus similitudinis protasi egimus *Disp. de Creatione part.* 4. 1. *Quia* primum ejus momentum non est cum παρατηρήσει, nec in nobis nec in aliis. 2. *Quia* nec secundum ejus momentum est cum παρατηρήσει, in aliis hominibus: (ut illud *Luc.* 17. *v.* 20. coll. cum *Matth.* 13. 33. huc applicemus) nec in primo & proximo effectu suo prima scil. actuali resipiscentia & fide, nec in remotiori effectu, fidei scil. ac resipiscentiae repetita praxi ac renovatione. [pag. 459] *Apoc.* 2. 17. 3. *Quia* irregeniti & animales homines eam non capiunt nec in specie seu objective, nec in individuo seu subjective in sese aut in aliis *Apocal.* 2. 17. *Johann.* 3. 8. & 14. 18. 4. *Quia* ipse regenitus in seipso singula momenta & progressus actuum atque effectuum ejus (praesertim initialium) cum circumstantiis & occasionibus particularibus observare, distinguere, & ἀκριβῶς dijudicare non valet: nedum aliis enarrare. Est enim quod sentitur magis, quam dicitur. Idem statuendum est de intensione graduum, augmento, confirmatione, instauratione. Crescit enim occulto velut arbor aevo. 5. *Quia* mystica & omnipotens illa facilitas, quâ Deus concursum gratiae suae adaptat libero arbitrio humano, ita ut perficiat illud, non destruat, est nobis incognita. Scimus quidem quod sit: τὸ quomodo magnam partem docte ignoramus. Quo facit illustris sententia *Cajetani*, quam cum aliis quibusdam *Augustini* citavimus partim in *tract. contra Tilenum*, partim in *Dissert. de Termino Vitae.* Quod tamen cognoscibilis in individuo ab unoquoque qui eam habet & quidem cognitione ac certitudine magis directa & quasi de plano, (quae est ex αἰσθήσει, & intuitu, & suavi gustu, ex testimonio &

tactu

tactu Spiritus S.) extra tentationes: indirectâ vero seu reflexivâ, in statu tentationis; quae est ex signis & indiciis quibusdam, unde per necessariam consequentiam etiam contra sensum aut ἀναισθησίαν nostram concludimus. Illam vocare possumus certitudinem evidentiae, istam adhaerentiae. De Certitudine illa ex professo actum est in *tract.* vernaculo *contra Tilenum.* III. Signa ejus (quae philosophi nonnulli inter adjuncta numerant) desumi debent partim ex actibus seu motibus resipiscentiae, fidei, & novae sanctitatis: partim ex consequenti beatitudine. Quae quia ex locis illis peti possunt, & nos magnam partem ea indicaverimus in *Disp. de Simplic. & Hypocrisi,* non est quod hic prolixe prosequamur. IV. Signa externa sunt sacramenta: inter quae appropriate eam sigillant circumcisio & baptismus *Ephes.* 5. 26. *Coloss.* 2. 11. *Rom.* 6. 3. 4. *Probl.* An coena domini possit dici directe & proxime obsignare gratiam regenerationis. R. continuationem, & excitationem ejus, seu termini ejus obsignat, *fidei* scil. (ut est organum) primario, & novae obedientiae secundario. Sed regenerationis gratiam quae fidei causa est, designat consequenter & mediate, tanquam quid praesuppositum. V. *Quod* sit prior aut non prior justificatione, adoptione, vocatione, secundum distinctiones jam allatas: attamen eodem temporis instanti, existat cum vocatione, dum enim Deus vocat salutariter, regenerat efficaciter. Et sic cum justificatione. Dum enim in primo momento ingenerat fidem, imprimit & unionem cum Christo, & justificationem, tanquam fidei (organice & formaliter consideratae) consectarium & effectum [pag. 460] inseparabile. Ut enim in naturalibus de omni generante dicitur: *Qui dat formam, dat consequentia formam:* sic & in supernaturalibus &c. Idem dicendum de fide in actu secundo; prout enim illa motibus & actibus suis elicitis (credendo & recipiendo Christum tanquam suum servatorem) minus aut magis αἰσθητικοῖς & formatis erumpit ac procedit; ita etiam pari passu passiva & quidem sensibilis justificatio in conscientiâ hominis regeniti peragitur. VI. *Quod* sit opus aequale creationi hominis ex terrâ: quod ad materiae indispositionem, & consequenter operationis vim atque efficacem omnipotentiam. Ut enim in lapide (*Matth.* 3.) aut terrâ (*Genes.* 2.) nulla est potentia activa, nec etiam passiva ad esse hominis, nisi obedientalis: sic in homine irregenito &c. Hinc eleganter Prosper carmine de Ingratis; *Vasque novum ex fragili fingens virtute creandi.* VII. Quod quorundam regeneratio & conversio peragatur majori cum apparatu externo signorum & gravium aut insolitorum judiciorum Dei; atque adeo majori cum interna concussione ac violentia (ita loquar ex *Matth.* 11. 11. Exempla vide *Actor* 2. & 9. & 16. *Luc.* 23. Haec tamen omnibus, praesertim in Ecclesia educatis, ordinario ita evenire non est verisimile. VIII. Quod quorundam electorum regenerandorum corruptio actualis aut intensive aut saltem extensive aut utroque modo major, quam multorum reproborum: quibus regenitis analogice applicari potest illud *Rom.* 5. 20. 21. & 11. 32. 33. IX. *Quod* aliquorum praecedens corruptio & status peccati diuturnior sit, quam aliorum: immo nonnunquam ad finem vitae extendatur; quos horâ undecimâ in vineam domini extrudi, & cum latrone *Luc.* 23. converti credendum est. Quamvis enim pauciores illi sint, cum tamen aliqui sint, aut possint esse: nemini ad gratiam anhelanti spes veniae praecidenda, cum pari passu eant fidei actus etiam initiales cum justificatione, adoptione, beatitudine *Matth.* 5. 3. 4. 6. & 11. 28. 29. *Joh.* 6. 37. *Ps.* 51. 19. *Joh.* 3. 5. 6. & 1. *Joh.* 5. 1. 4. 5. 11. 12. Quod contra antiquos & recentiores Novatianos, nominatim

natim Remonstrantes, explicuimus in *tract. contra Tilenum*. Conferat, cui vacat, *scriptores de haeresibus*, ubi de Catharis & Novatianis. Et inter Remonstrantes, *Eduardum Poppium in libello* vernaculo, cui tit. *consolatorium aegrotorum;* ubi aperte hunc errorem tradit. Et *modum consolandi aegrotos* subjunctum *catechesi Remonstranticae:* sed ubi eundem magis tecte innuunt. Videntur hoc ex Socianis hausisse; quorum opinionem proponit ac defendit *Smalcius in refut. thesium Franzii cap. de poenitentiâ pag.* 358. *Problema:* I. An omnium hominum totalis corruptio & status peccati etiam tempore aliquo quamvis brevissimo, aut saltem instanti temporis praecedat regenerationem? *Resp.* videtur *Aff.* Quamvis forte non esset improbabile, [pag. 461] si quis diceret: eodem instanti temporis quo homo generatur, veterem peccati dominantis formam abjici, & novam gratiae ac sanctitatis introduci: in infantibus scil. electis foederatis, & in infantia regenitis: Sed quia aliorum vestigia praecedentia hic non videmus, malumus tantisper ἐπέχειν, donec ex mutuâ collatione ulterior meditandi occasio se offerat. II. *Probl.* An inter infantes regenitos, unius inhaerens corruptio, alterius corruptionem gradu superet? Item an si tempus aliquod intercedat inter eam & inter regenerationem, ubique illud aequale sit? An etiam gratia habitualis, seu semen regenerationis impressum in omnibus aequale sit? cum ingenium Poëticum aut Musicum in omnibus natis poëtis & Musicis admodum sit inaequale. *Resp.* Quia pauca de Infantium statu perscripta sunt in sacris literis (quae proprie instruunt adultos:) nec observatio & experientia in infantibus ἄρτι γεννητοῖς locum habeat (ipsi enim referre nequeunt, quid sit in corde suo:) nec adulti in eorum corda inspicere possunt 1. *Corinth.* 2. 11. utique docte haec ignorabimus; aut aliis pie ac sobrie de his aliisque cogitandum relinquemus. X. Quod tamen omnium adultorum una atque uniformis sit regeneratio quo ad essentialia, quae in modo & efficaciâ operandi, ut & in effectu ejus formali requiruntur. Sed de magis & minus seu de gradibus quaeritur. *Probl.* I. *An* omnibus aequalis gratia in actu primo, seu aequales qualitates novae imprimantur? & consequenter an hoc respectu una & aequalis dici possit omnium justitia & sanctitas non tantum imputata, sed & inhaerens? *Resp.* nolumus quidem determinare in alterutram partem: nihil tamen absurdi videmus si affirmetur. 2. *An* gradibus differat in secundo momento, & in actu secundo? *Resp. Aff.* 3. *An* possit esse regeneratio adultorum, sine antecedente aut conjuncta externâ vocatione per verbum externè propositum: & an de facto talis fuerit. *Resp. Pr. non est negandum.* Ad *post* dicimus ordinario non fieri juxta *Rom.* 10. 15. 17. & 1. *Cor.* 1. *v.* 21. coll. cum *Psal.* 147. *v. ult. Ephes.* 2. 11. 12. Nec video adhuc exemplum ullum post constitum novum foedus adduci. De Abrahamo dici potest illum in familiâ paterna habuisse verbum externum de manu in manum per patriarchas traditum. De Adamo & Eva dici potest: primos fuisse in quibus Deus ecclesiam post lapsum constituit: à quibus deinceps per verbum externum ecclesia propagata. Nec etiam certum est, primam eorum conversionem absque verbo aliquo extrinsecus (quamvis modo extraordinario; quia oportebat prius ordinem constitui & ab illis incipere) insonante, peractam. XI. Quod propria nostra regeneratio à posteriori ex nobis ipsis, seu ex iis quae in nobis sentimus certo cognosci possit ac debeat 2. *Corinth.* [pag. 462] 13. 5. cum *Roman.* 8. 5. 9. 11. 15. 16. Aliorum vero adultorum cognoscatur interposito judicio caritatis; hoc est certitudine hypotheticâ tantum, non absolutâ.

Non

Non habet ergo hic locum certitudo fidei, aut experientiae, nisi Deus peculiariter alicui revelaverit. XII. *Quod* actus seu effectus ejus in secundo momento primordiales seu infantiles videantur non raro & plures esse & perfectiores, saltem magis sensibiles & majori cum commotione, quam illi qui eliciuntur in adolescentiâ aut in virili aetate. *Probl.* 1. *An* in se sint perfectiores; an verò magis sensibiles, cum sensibili commotione, devotione, suavitate, ac gustu? 2. Unde hoc sit? an etiam ex rei novitate, aut vicinitate oppositi (status scil. & actuum corruptionis) ut ita contraria juxta se posita facilius elucescant: quomodo statim post morbum vehementius sentitur sanitas, post tenebras lumen? An Deus gustus & sensibilis devotionis suavitate teneram suorum infantiam, prae virili aetate, velit afficere & allicere?

5. Adjuncta partim privativa, partim negativa sunt. I. Ejus imperfectio, quod ad terminum seu effectum tam in actu primo, quam in actu secundo: quam alibi pluribus explicuimus & probavimus. Videant, quibus vacat, *Thersitem* nostrum *Heautontimor.* II. *Quod* consequatur eam tota militia spiritualis, cum diabolo, carne, & mundo: atque adeo omnis generis tentationes, desertiones spirituales, externae calamitates & persecutiones. De quibus alibi. III. Quod post eam existant duo quasi principia agendi in homine; caro scil. & spiritus: sitque voluntas antea serva peccati, partim libera & liberata, partim captivata aut vexata ab antiquo, seu priori hoste & tyranno: sic tamen ut non dominetur. *Rom.* 6. *&* 7. *Galat.* 5. IV. Quod Hypocrisis & falso jactata conversio, saepe verae regenerationi se supponant, & ipsi homini, aut aliis extrinsecè judicantibus, aut utrisque falsâ illâ imagine illudant atque imponant. Confer *disp. de Simplicitate & hypocrisi.* V. Quod regeneratio non sit invita, coacta, aut violenta; nec in primo, nec in secundo momento. Non in primo; quia ibi voluntas nihil agit, sed se habet purè passivè; itaque quaestio de voluntario aut involuntario, libero aut coacto, spontaneo aut invito (quae concipiuntur ut modi actionum voluntatis) non magis ibi locum habet, quam in primâ creatione voluntatis, aut ejusdem conservatione, aut quocunque extrinseco ejus tactu seu impulsu. Nec in secundo momento; quia impressa jam est nova inclinatio seu aptitudo & promptitudo spiritualia spiritualiter volendi ac prosequendi; quam Deus suaviter excitatione & inclinatione actuali per gratiam secundam seu subsequentem determinat & applicat ad agendum, ut sic ex nolente fiat volens & actu agat. Jam vero invitum & coactum est contra intrinsecum principium, & propriam inclinationem. [pag. 403] Confer supra *thesin.* 1. VI. Quod non sit miraculum stricte & proprie sic dictum: quia est ordinaria vis Dei in electis convertendis *Ephes.* 1. 18. 19. Confer *disp. de Miraculis.* VII. *Quod* nunquam iteretur & nunquam totaliter aut finaliter terminus seu effectus ejus formalis aboleatur: unde etiam argumentum desumi solet, contra anabaptismum, seu iteratum baptismum. *Problem.* An dici possit: *semel eam fieri quantum ad dationem fidei & justificationem: saepius autem quantum ad poenitentiam & sanctificationem. Resp.* Videtur absurdum, aut *ἀκυρόλογον.* Quaero an primum ejus momentum, an vero secundum intelligatur? Si illud: hoc sane nunquam iteratur. Sin istud: dico dationem fidei in actu secundo, hoc est ejus renovationem & per eam justificationis sensum aeque iterari, ac poenitentiae & sanctificationis.

6. Cognata regenerationis, quae cum ea consentaneâ aut dissentaneâ comparatione conferri possunt I. Creatio. II. Resuscitatio mortuorum. III. Insitio *Rom.* 6.

IV.

IV. Radicatio *Coloss.* 3. V. Inaedificatio. *Ibid.* &. 1. *Corinth.* 1. & 3. *Ephes.* 2. & 4. VI. Generatio Physica. VII. Motus Physicus. Confer *Zanchium de operibus creationis, cap. de Motu*; & eximiam diatribem *Parkeri de Traductione peccatoris*, Franekerae sub praesidio D. Maccovii propositam, & cum *Amesii rescriptione ad Grevinckhovium*, recusam, VIII. Imago Dei angelis & hominibus primitus increata & indita. IX. Perfectio seu consummatio fidelium in patriâ; ubi induentur lumine gloriae. X. Justificatio. XI. Adoptio. XII. Beatificatio in hâc vitâ. XIII. Vocatio. XIV. Resipiscentia. XV. Sanctificatio stricte dicta. XVI. Renovatio stricte dicta. XVII. Sanctificatio quaedam non vere regenitorum, per veritatis oblationem, professionem & externam communionem ecclesiasticam; accedente nonnunquam internâ illuminatione: de quâ exponi possunt loca 2. *Petr* 2. *v.* 2. *Hebr.* 6. *v.* 4. 5. 6. coll. cum. *Matth.* 13. 20. 21. 22. Quae, quia essentialia requisita adjuncta absunt, per se non est salutaris: sed habet tantum hunc finem succedaneum, ut reddantur ἀναπολόγητοι (haut aliter ac theologia naturalis *Rom.* 1. 19. 20.) *Ezechiel.* 2. 3. 4. 5. *Johan.* 9. 41. cum 15. *v.* 22. 24. Et sic per accidens fit tota illa sanctitas ipsis mala; & censetur inter opposita regenerationis seu novae creaturae; titulo *Hypocriseos.* Ex omnibus, illis cognatis similitudines ad doctrinam regenerationis illustrandam adferri possunt: ipsorumque convenientia cum ea, aut differentia ab ea varie conferri. Quod facile & accurate fiet, si quis comparata illa in suis quaeque disciplinis & locis inspiciat. Sed quia nonnullorum cum regeneratione confusio juniores saepe turbat: monemus hic tribus verbis 1. Sanctificationem stricte dictam (quae à latissime accepta *Hebr.* 10. 14. distinguenda) à regeneratione differre: quod illius terminus sit sanctitas bonorum operum [pag. 464] seu novae obedientiae; istius tota nova creatura, ubi excellit fides, ut est organum justificationis. 2. Vocationem ab ea differre: quod vocatio proponendo bona spiritualia in Christo; ad eorum participationem electos invitet: regeneratio vero ad eorum receptionem, ac confoederationem homines disponat & idoneos reddat. 3. Resipiscentiam ab eâ differre: quod illa strictè ac propriè dicta sit effectus; haec verò ejus causa; quod illa formaliter sit actus noster; haec vero actus solius Dei. Deus enim non resipiscit, sed regenerat: homo contra non regenerat, sed resipiscit. 4. Conversionem differre ab eâdem: quod conversio non tantum passive, sed & active homini secundum scripturam tribui possit; in secundo scil. momento, ubi homo à Deo conversus se convertit: sed notio regenerationis homini non nisi ἀκυρολόγως tribui possit: nemo enim seipsum creare aut generare dicitur. Atque haec de cognatis. Opposita seu pugnantia tantum indicamus; quae sunt *primaria* & universalia 1. regnans peccatum cum toto regno tenebrarum. 2. ignorantia & totalis apostasia hominum, absque omni gratiâ externi foederis. *Secundaria*, & particularia 1. Securitas 2. consuetudo peccandi 3. graves lapsus & scandala, peccata in deliciis &c. Peculiari quâdam ratione & fortiter opponitur ei formalis & subtilis hypocrisis. Hinc est quod civiliter honesti extra ecclesiam; & personati sancti ac religiosi intra ecclesiam, tanto vehementius saepe insectentur veram pietatem & vere pios, quanto propiores videntur novae creaturae. Confer quae *de hypocrisi* diximus peculiari *Disputatione.*

7. Dividitur regeneratio I. ratione effectus sui, in mortificationem veteris, & vivificationem novi hominis. Non quod sint duo actus realiter distincti, sed quod unus idemque ratione termini à quo, qui abjicitur, dicatur mortificatio; & ratione ter-

termini ad quem vivificatio. Nulla enim peculiaris positiva actio requiritur à vivificatione distincta, quae peccatum aboleat. Qui enim adducit lucem una pellit tenebras. II. Ratione instantium seu momentorum naturae; quae sunt 1. productio seu comproductio novarum dispositionum seu facultatum tanquam principii spiritualis *quo*. 2. Ejusdem principii infusio seu impressio. 3. Ejusdem unio cum hominis corde ut illud informet & tanquam materiam suam actuet. 4. inde compositum spirituale, quod spiritus seu homo spiritualis dicitur. Quae omnia tamen unico temporis instanti fiunt. Quomodo in generatione hominis anima infundendo creatur, & creando infunditur, & sic deinceps. III. Quod ad originem, & ex causis instrumentalibus dividitur conversio in ordinariam, & extraordinariam. Hujus exemplum est *Act.* 9. & 16. Illa est vel in V. vel in N. T.; ex quorum diversa dispensatione diversitas regenerationis desumi potest. Vide *loc. comm. de Foedere.* IV. [pag. 465] Ratione subjectorum partialium, in Illuminationem mentis seu apertionem oculorum; & in mutationem seu sanctificationem voluntatis. V. Notio regenerationis late sumpta distinguitur ex eventu in ἔργον & in ἐνεργ. *Illa* est infantium ante usum rationis morientium. Ista adultorum. Quae rursum distinguitur in primi & secundi momenti. *Illa* est, quae terminum & effectum formalem habet novam creaturam in actu primo seu hominem spiritualem. *Ista*, quae terminum & effectum formalem habet actus secundos novae creaturae, seu hominem regenitum actu exercentem & elicientem motus fidei, resipiscentiae &c. *Illius* causa est gratia operans, praeveniens, seu prima; *istius* vero gratia cooperans, secunda seu subsequens. *Illa* imprimit novos habitus seu facultates, iis scil. informando & aptam reddendo mentem & voluntatem; *ista* novos motus seu actus; applicando scil. voluntatem ad eos eamque praemovendo & praecurrendo atque in eam influendo; & sic cum ea concurrendo ad unum eundemque effectum, & in eundem effectum efficienter influendo, hoc est eum comproducendo. *Illa* simpliciter est instantanea; *haec* quod ad totum complexum suum successiva. De priori nos hactenus proprie egimus. De posteriori haec paucula subjicimus.

APPENDIX DE SECUNDO CONVERSIONIS MOMENTO.

Conversio hâc notione accepta consideratur vel secundum actus gratiae regenerantis secundae ut sunt à parte Dei; vel secundum actus novos & spirituales ut sunt à nobis, qui acti agimus. Priori modo cum consideramus, denominamus ab actibus suis gratiam secundam 1. conservantem; & praeservantem. 2. Excitantem, & praemoventem. 3. Instaurantem seu restituentem, suscitantem, renovantem. 4. Augentem & confirmantem; & sic distinguenda sunt ista I. Conservatio novi hominis in actu primo, seu continuatio novae vitae; ne totaliter aut finaliter excidat 1. *Pet.* 1. 3. 4. 5. Ad quam ordinatur praeservatio & retractio quaecunque à peccatis, tentationibus. Cui respondet praeservatio, & custodia nostra 1. *Johann.* 5. 18. coll. cum *Proverb.* 4. *Math.* 26. Huc refer titulum practicum de *Vigilantia* seu *vigilia spirituali*, cui opponitur somnus & securitas. II. Excitatio & motio ad actus bonos secundum novam creaturam producendos. Cui respondet observatio, receptio,& usus istarum motionum; atque

atque adeo excitatio nostri ipsius cum & sub divina exitatione. De quâ in Asceticâ. III. Augmentatio [pag. 466] tum actuum tum habituum intensive. *Probl.* 1. An habitus illi augeantur per actiones, an vero per infusionem seu impressionem augmenti. *Resp. Aff. pr. Probl.* II. An ergo habitus illi, seu qualitates spirituales sint acquisitae, an vero infusae dicendae. *Resp.* quod ad essentiam, formam, & speciem suam, atque adeo primum sui esse proprie sunt infusae: quod ad gradus seu incrementa, acquisitae. IV. Hinc confirmatio novi hominis; cui à parte nostrâ seu potius à parte effectus respondet, robur & fortitudo ejus. Quae terminis viri, virilis aetatis & staturae perfectae &c. in scripturis denotatur. V. Instauratio seu restitutio; in casu lapsus, aut diuturnae consuetudinis in aliquo peccato, aut recidivae spiritualis; quae altera quasi regeneratio & speciatim renovatio dici potest *Galat.* 4. *v.* 19. 2. *Corint.* 2. 7. 8. *Problema.* I. An habitus in tali casu imminuti fuerint, an vero actus tantum impediti? ante annos octodecim in *Aff. Poster.* inclinabamus & cavillationes Remonstrantici tenebrionis contra hanc assertionem nostram abstersimus in *Thersite Heautontimorumeno.* Nec quisquam ex praestantiss. theologis, qui scriptum illud à se lectum literis suis ad me datis probarunt, quidquam heterodoxi in eo vidit. *Problema* II. An habitus instauretur per infusionem seu appositionem gradus aut augmenti, quae simul & semel fiat per praxin renovatae fidei & resipiscentiae; an vero paulatim & successive per crebras ac repetitas actiones. VI. Consummatio seu perfectio ultima in fine vitae. Hinc mors dicitur peccati abolitio; à *Catechesi nostra quaest.* 42 quomodo generatio unius dicitur corruptio alterius. Est enim abolitio peccati consequens mortis in instanti naturae; concomitans autem seu connexum in instanti temporis. Simul enim ista fiunt: ita ut primo instanti post mortem nullum sit amplius peccatum originale, nulla lucta in animabus electorum; & consequenter nullum peccatum actuale amplius committatur. Quod ex 1. *Corinth.* 13. 9. 10. coll. cum *Hebr.* 12. 23. elicitur: ubi de statu animarum beatarum post mortem. Quo etiam referri potest *Hebr.* 4. 10. Et votum apostoli *Philipp.* 1. 21. 23. ubi τὸ κρεῖσσον imprimis etiam intelligendum ratione mali culpae. Accedit & haec ratio: quia nihil immundum intrahit *Apocal.* 21. 27. (siquidem de coelesti animarum receptaculo locus ille exponatur,) & *Ephes.* 5. 27. *Denique* victoria finalis est in morte, & post mortem 2. *Timoth.* 4. 8. 1. ergo tunc liberi sunt ab omni pugnâ, ab omni hoste; nominatim à domestico illo *Galat.* 5. 17. coll. cum *Roman.* 7. 20. *Problem.* 1. An *Roman.* 7. 24. intelligi possit aut debeat, corpus peccati seu vetus homo; an vero corpus mortale, quod hic circumferimus? *Resp.* Alterutrum intelligi potest. 2. An corporis depositio in morte, sit causa proprie dicta adaequata & proxima abolitionis inde demonstrari possit. *Resp. Neg.* 3. An consummatio sanctificationis [pag. 467] animae hinc migrantis, sit opus spiritus regenerantis, qua talis. *Resp.* Non video cur haec coronans & consummans gratia spiritui regeneranti & sanctificanti qua tali, tribui non possit. 4. An anima regenita habeat se hic pure passive: an vero active cum motione spiritus concurrat, idque vi novae creaturae sibi implantatae, tanquam principii *quo*. *Resp. Poster. affirmari potest.* 5. An totum illud augmentum, seu gradus, qui ad perfectionem requiritur, simul & semel infundatur, & sic addatur sanctitati seu spiritui inhabitanti *Resp. Aff.* 6. An eodem instanti temporis, quo sanctificatio & sanctitas (in actu scil primo) perficitur, etiam ad actum secundum excitetur? *Resp.* Nihil absurdi committitur, si *affirmetur.* 7. An primo

primo primi actus illi ex perfectione eliciti, reducendi sint ad lumen gratiae, & statum regenerationis; an vero ad lumen gloriae, & statum glorificationis? Incl. in *Aff. poster.* 8. An perfecta sanctificatio peragatur eodem instanti temporis, quo homo moritur; an vero instanti post, aut instantibus aliquot post. Siquidem morula temporis intercedere dicatur; quâ anima separata localiter transferatur in coelum. Ut scil. intercedente illâ morulâ aut saltem proximo instanti post instans mortis. & instanti ante introitum in coelum hoc agatur: atque ita non intret in coelum absque perfectione. *Resp.* Malim hic ἐπέχειν, & aliorum sententias audire: 9. An cum corpus resuscitatur, & totus homo ultimo glorificatur, perfectionis hujus in animâ augmentum aliquod futurum sit intensive; an vero tantum ratione totius compositi extensive, quatenus scil. corpus & inferiores facultates perfectionem illam participabunt. Haec pie & sobrie meditanda propono: si forte ex scripturis & experientiâ uberius lumen alicui affulgeat, quo aut in alteram partem determinanda, aut distinguenda, aut docte ignoranda solidius mihi persuadeat, quam ego nunc in hac festinatione per omnia mihi satisfatio.

7. Actus & progressus Regenerationis in secundo momento (ut quidem in effecto suo, ex parte nostri consideratur, quaetenus scil. impressione & tactu divino passive à nobis recepto, simul active nos eos formaliter operamur, *Philip.* 2.12. 13.) dividi possunt. 1. in actus ordine primos, & in actus subsequentes seu iteratos, *Illi* sunt omnes actus, quos terminis primae actualis conversionis, seu primis actibus resipiscentiae & fidei, hoc est nativitatis & partus novi hominis circumscribimus: ante quos nulli unquam eliciti sunt. II. Actus primi rursum melioris doctrinae causa possunt distingui in primo primos initiales, informes insensibiles; & in secundo primos, formatos, & sensibiles. De primae conversionis motibus, eorumque ordine, modo, & dependentia pluribus alibi agendum *tit. de praxi resipiscentiae.* III. Actus subsequentes, secundi, seu iterati in tres ordines seu [pag. 468] classes distribui possunt. Ut sint infantiles, crescentes, adulti, unde status infantiae, adolescentiae, virilis ἀκμῆς seu perfectionis. De quorum statuum proprietatibus & mutuâ differentiâ, practice non pauca colligi possunt, & in explicatione textuum 1. *Corinth.* 3. *v.* 1. 2. *Philipp.* 3. *Hebr.* 5. *Jes.* 40. 1. *Joh.* 2. proponi. Quae cum hujus loci non sint, discipulorum diligentiae & meditationi committo. Occasionem & methodum meditandi suggerent Physicorum & Ethicorum de hominum aetatibus observationes. Conferri poterunt *Practici Pontificii de triplici viâ*, purgativa scil. perfectivâ, illuminativâ. Et ex nostris tract. *Wilhelmi Whatelii de regeneratione*, *concio Obadiae Zegwith in Apocal.* 3. v. 1.23. *Nicol. Biefield principia fidei cap.* 25. *Pauli Baynes Varia opuscula; Thomae Hooker, de humiliatione animae, de praeparatione animae ad Christum, de Unione animae cum Christo &c.* & *scriptores de praxi resipiscentiae Perkinsus, Stock, Dan. Dyke, Arthur Dent.* Qui omnes anglice scripti, quidam etiam in belgicum sermonem translati, & Perkinsus in latinum. Eo autem cum judicio legendi, ut collimetur ad distinctiones à nobis hactenus allatas; & cogitetur, practicorum conceptus si non omnes, saltem, plerosque ad secundum momentum regenerationis & actualem conversionem sive primam sive renovatam referendos.

DISPUTATIO UNDECIMA.

DE SABBATHO ET FESTIS [1]).

1. Dividi potest Religio latè accepta in duas partes, in cultum naturalem, & in institutum. De Religione in genere, ut & de Cultu naturali ac instituto in specie nunc non agimus; sed tantum de opposito aliquo cultus instituti. Ut enim Religioni in genere *in defectu* repugnat Atheismus & ἀσέβεια; *in excessu* vero, Superstitio [pag. 1228] (cujus tres species Magia, Idololatria, & Vana observantia seu superstitio strictè): sic cultui instituto cultus illegitimus. 1. Quia fit vel per substitutionem seu mutationem Qui continet in se detractionem ejus, quod Deus mandavit, & additionem ejus quod Deus non mandavit. Vel sic Cultui instituto, *in defectu* repugnat Libertinismus & Neutralismus: in excessu ἐθελοθρησκεία, quae fit per pseudo-sacrum. Quod est vel transiens, vel permanens. 1. Illud vel laxè sic dicitur, ut notet vanam quamcunque observationem etiam extra cultum institutum, de quâ agendum *cap. de Superstitione:* vel *strictè*, ut notet actionem transeuntem religiosam tantum, hoc est in ipso exercitio cultus tanquam partem, aut medium, aut signum adhibendam, quod pseudo-sacrum propriè & specificè *ceremonia*, & synecdochicè *sacramentale* vocatur. De cujus naturâ, proprietatibus, & specibus supra. Pseudo-sacrum illud consideratur vel divisim seu separatim, vel collectim. Istius generis sunt rosaria, horae canonicae, osculum pacis, formatio crucis in aëre ad benedictionem in rebus sacris consequendam, aut maledictionem avertendam, &c. Hujus generis sunt Peregrinationes religiosae, Exorcismi, Benedictiones seu Consecrationes. Dies sacri seu solennes. 2. *Pseudo sacrum permanens*, est duplex, vel *latè sic* dictum, non affixum scil. cultui solenni, ut e. gr. Agnus Paschalis, panes, candelae benedictae, &c. vel *stricte* dictum, quod specialiter cultui divino externo consecratum & affixum est. Est autem illud duplex vel inventum & assumptum, vel per consecrationem tale factum ac constitutum. Illud sunt *Reliquiae* Christi & Sanctorum. Istud est vel conceptum ad modum relationis, ut Verbum non scriptum, quinque falsa Sacramenta, Ecclesiae Virtuales, Consistoriales seu Cardinalitiae, Patriarchales, Cathedrales, &c. item hierarchia Papalis, Jus & regimen Papae-Canonicum: vel conceptum ad modum substantiae, ut Templa, Altaria, Imagines sacrae, instrumenta, vestes, & suppellex sacra, &c.

2. Nos nunc agemus de Temporibus pseudo sacris, & quidem de praecipuâ eorum specie, pseudo-*Festis* scil. Ut autem superstitionem eorum deprehendamus praemittemus descriptionem temporum sacrorum, quae Deus instituit. Sunt autem *tempora sacra in genere, quae Deo aut cultui divino ex ipsius institutione peculiariter dicantur & consecrantur.* Vocantur autem Latinis feriae, solennia, & sacra, & ex He-

[1]) *Resp.* Jacobo Hovio, Twischa-Batav. *Ad diem* 10. & 17. *Mart.* 1638.

Hebraeo Sabbatha, Sabbathismi, Hebr. מועדים *mognadim*, id est, solennitates, statuta, tempora, quod Graeci interpr. vertunt subinde καιροὺς, subinde ἑορτάς. Sunt autem illa vel anni, vel dies *Anni* fuerunt in V. T. Septimus quique annus. & annus quinquagesimus seu Jubilaeus; de quibus *Levit.* 25. De his [pag. 1229] aliisque V. T. festis consuli possunt *Antiquitatum sacrarum & Judaicarum Scriptores*. *Corn. Bertramus*, *Sigonius*, *Zepperus*, *Menochius*, &c. Adde *Masium in Josua* 6. & *Commentat. ad Levitic.* 25. *Alstedium in Praecognitis Theologicis*. *Riberam de Templo lib.* 5. per totum; *tract. Thalmudicos Pesachim*, *Sukka*, aliosque 2. *partis* seu *Seder*. *Dies* fuerunt solennitates cultui divino dicatae. Iique duûm generum vel cum convocatione Ecclesiae & feriis, vel absque illis. Absque convocatione & feriis erant *Neomeniae*. Reliqui omnes erant cum feriis & convocatione, & dicuntur specialiter עצרות id est, detentiones, prohibitiones, coetus feriantes *Levitic.* 23. 36. *Joel.* 1. 4. 2. *Reg.* 10. 20. Rursum dividuntur dies solennes, in extraordinarios & ordinarios. Illi fuerunt, tum jejunia, tum eucharistiae extraordinario & semel ob certam occasionem indicta. Jejuniorum exempla vide *Joel* 2. 12. *Ezrae* 8. *vers.* 21. Eucharistiae & jubilationes exemplum puto occurrere *Ezrae* 3. 10. 11. *Ordinario* & statis temporibus recurrentes solennitates sunt 1. *Jejunia* seu dies humiliationis, qualis erat dies כפרים *kippurim*, h. e. *expiationem*, *Levit* 23. 27. 28. De cujus sacris & celebratione *tract. Thalmudicus Joma*. Cujus *Mischna Rob. Sherengamius* seorsim anno 1640. Hebr. Lat. edidit, & *notis* illustravit. De aliis jejuniis agit *tract. Taanit.* 11. *Eucharistiae*, seu dies laeti; quales *Neomeniae*, *Festum Paschatis*, *Pentecostes*, *Tabernaculorum*, *Tubarum*. Et hi propriè dicuntur Festa, Hebr. חגים *Chaggim*, à rad חגג id est, tripudiavit, festum celebravit, feriatus est. Dicuntur & *Gaudium Domini*, Nehem. 8. 10. quia in eo erat laetandum, *Deuter.* 16. 14. De Sabbatho hebdomadali, infrà Agamus nunc de Festis ordinariis.

3. Antequam definiamus, quid sit *Festum*, removenda est primum vocis homonymia. Notat ergo I latissimâ significatione, omnem temporis solemnem & publicam observationem, sive in V. sive in N. T. sive ordinariam sive extraordinariam, sive sacram & Ecclesiasticam, sive profanam & Politicam, sive ab hominibus, sive ab ipso Deo immediatè institutam. Ita festum expiationis, festum dicitur, quia erat dies solennis à Deo institutus. Et extraordinarii quicunque dies ex praesenti aliquâ occasione subito indicti ad jejunium aut ad gratiarum actionem pro singulari beneficio. Et dies Sabbathi ad quietem ordinariam sanctificatus. Et anniversarii quidam dies ab hominibus instituti. Immo & civilis dierum observatio, ut Natales Regum, Parentum, benefactorum, &c. & coronationis Regum, &c. *Hos.* 7. 5. II. Latâ & laxâ significatione annorum & dierum observationem sacram, eamque ordinariam & extraordinariam, seu incidentem aut statam adque ordinaria recurrentem. III. Strictiori significatione, tempora sacra ordinaria & divinitus instituta, [pag. 1230] qualia in V. T. fuerunt, duo Sabbatha annorum & hebdomadale unum, neomeniae, solennitates anniversariae quinque. Quae omnia Apostolus indicat *Galat.* 4. *vers.* 10. ubi occurrunt. 1. ἡμέραι *dies*, scil. festi, quomodo *Coloss.* 2. 16. ἡμέρα ἑορτῆς. 2. μῆνες *menses*, hoc est neomeniae, *Coloss.* 2. 16. de quibus *Numer.* 10. & 28. 1. *Sam.* 20. *Psal.* 81. *Jesa.* 1. *Ezechiel.* 46. 2. *Paral.* 2. *Esdr.* 3. 5. 3. καιροὶ, id est, statuta tempora & solennitates; Sabbatha scil. nisi quis hic in genere omnes solennitates intelligi putet: aut potius festa, & per *diem* Sabbathum hebdomadale. Atque ita Sabbathum

bathum exsertè à festis distinguitur, *Lev.* 23. 4. 37. 38. IV. Strictissimè & propriè festa illa, quae hic definimus, sunt *dies solennes stato tempore recurrentes, cultui divino ex instituto Dei consecrati, ut feriando seu quiete, gaudio, cultu proprio, & commemoratione peculiaris beneficii divini eos sanctificarent ad significationem & praefigurationem rerum spiritualium in Christo.* Et talia festa propriè dicuntur חגים *chaggim*, dies laetitiae, seu gaudia Domini, *Nehem.* 8. 10.

4. Ad explicationem definitionis haec notanda. I. Festa dici dies solennes; ut ab aliis communibus & profanis distinguamus. II. Dici *dies*, ut à Jubilaeo, & septimo anno Sabbathico distinguantur. III. *Stato tempore recurrentes*, ut extraordinarias & incidentes solennitates excludamus. IV. Dicimus *dies sacros*, seu *Consecratos cultui divino*, ut distinguantur à solennitatibus politicis seu civilibus. V. Addimus, ex *instituto divino*, ut statas ac perpetuas solennitates à Deo primitus cum lege ceremoniali institutas distinguamus à conceptivis (ut vocant) quae postea ab hominibus introductae sunt, quales dies *Purim*, & Encaenia, de quibus infra. VI. Addimus sanctificationem seu observationem ejus diei constitisse feriis seu quiete, gaudio, commemoratione peculiaris beneficii à Deo accepti, & peculiari seu appropriato cultu. 1. *Feriatio* seu *quies*, excludit neomenias, quas Scriptura *Coloss.* 2. 16. cum *Galat.* 5. 4. 10. *Ezra* 3. 5. à diebus festis distinguit. 2. *Gaudium* externis etiam signis, gestibus, & actionibus exhibitum, excludit Diem expiationis (qui erat jejunii, luctus, & humiliationis, *Levitic.* 23. 37.) jam verò observationem ejusmodi solennitatis cum *Festo* die esse ἀσυμπαθῆ, nec debere aut in cognitione, aut in praxi confundi constat ex *Nehem.* 8 10. 12. cum *Levit.* 23. 40. *Deut.* 16. 11. 14. 3. *Commemoratio peculiaris beneficii*, peculiari ratione huic dici affixa & vice versa, *Levitic.* 23. 43. *Deuter.* 16. 1 2. 3. 12. excludit Sabbathum hebdomadale, quo promiscuè quaevis opera & beneficia divina erant celebranda, *Psal.* 92. 1. 2. 3. 4. & Deus quovis genere atque actu cultus sive humiliationis, sive eucharistias & exultationis colendus. VII. Denique finis ponitur, *significatio & praefiguratio rerum spiritualium* [pag. 1231] *in Christo*, Coloss. 2. 17. Ita excluduntur omnia tempora Novi Testamenti, quae nec signa nec typi sunt à Deo ad aliquid significandum destinati. An etiam Sabbathum ante Mosen & post Mosen fuerit typicum, infra videbitur.

5. Convenientiam & discrepantiam inter festa strictè sic dicta ac à nobis definita, & inter alia tempora solennia sic breviter indicamus. I. Dies humiliationis & jejunii (qualis status in V. T. erat dies expiationis), in eo conveniebat. 1. Quod cultui divino peculiariter esset consecratus. 2. Quod ab omnibus operibus esset feriandum. Differebat, quod jejunio & humiliatione esset transigendus: contra dies festi gaudio & exultatione etiam externâ, cujus pars erant convivia & cibi lautiores. *Deuter.* 16. 11. *Nehem.* 8. 9. 10. II. Neomeniae conveniebant, 1. quod cultui divino peculiariter consecratae. 2. Quod peculiari aliquâ eucharistiâ & commemoratione beneficiorum Dei essent sanctificandae. Quodnam autem seu quaenam beneficia fuerint, non ita ex Scripturis definiri potest. Differebant vero, quod in festis injungeretur cessatio ab operibus & convocatio Ecclesiae, hic verò minimè. Vide *Numer.* 10. 10. & 28. 10. 11. 16. III Jubilaeus & Sabbathicus annus à festis differebant. 1. Quod non sanctificarentur peculiari cultu. 2. Nec cessatio esset ab omni opere servili. IV. Sabbathum hebdomadale à festo fuisse distinctum, constat 1. *Ex* apertis Scripturae testimoniis, *Levitic.* 23. 4. 37. 38. *Numer.* 28. 10. 11. 16. 2. *Ex* eo quod in lege morali Decalogi

logi Sabbathum praescribitur, reliquorum festorum ceremonialium ne minima quidem fiat mentio, non magis quam aliarum ceremoniarum. 3. *Quia* Sabbathum fuit institutum ante lapsum, *Genes.* 2. *vers.* 2. & observatum à populo Dei ante latam legem ceremonialem, *Exod.* 16. 23. Atqui festa demum per Mosen à Deo sunt instituta. Et ante lapsum nullus ipsorum potuit esse usus; quia nulla erat adumbratio Christi Mediatoris. 4. *Quia* Sabbathum ubique observari poterat & debebat, domi scil. & foris, in deserto, in captivitate & exilio: festa verò non nisi Hierosolymis aut in loco, quem delegerat Deus, ut ibi habitaret nomen ejus. *Deut.* 15. 16. 5. *Quia* immundi à Paschâ & reliquis festis excludebantur, *Numer.* 9. qui tamen tenebantur servare Sabbathum. 6. *Quia* festa ad commemorationem peculiaris beneficii, & peculiarem mysterii adumbrationem instituta erant; Sabbathum verò minimè, sed ad cultum Dei in genere celebrandum fine tali specificâ relatione. 7. *Quia* consequenter peculiari cultui & sacrificiis erant alligata, & vice versâ, *Numer.* 28. & 29. Sabbathum autem non erat: sed in eo tantum erat duplicatio sacrificii quotidiani, *Numer.* 28. 8. *Quia* Sabbathum non poterat prorogari aut transferri [pag. 1232] in alium diem: festa verò poterant, 2. *Paralip.* 30. 2. 3. 13. cum *Numer.* 9. 10. 11. Ne quid dicam de translatione festi in Sabbathum hebdomadale apud Judaeos frequentatâ, ne duo Sabbatha concurrerent: de cujus facti statu infiniali & finitudinis quaestio est inter eruditos: ut videre est apud *Scaligerum lib.* 7. *de Emendatione temporum*, *Azorium Institut. Moral. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 6. 7. *Baronium*, ejusque Censorem *Casaubonum ad annum* 34. Et *in notis Bezae*, *Ludov. de Dieu ad Matth.* 26. Sed de illâ controversiâ hic non est agendum.

6. Ut autem tanto melius intelligamus discrepantiam inter Festum & Sabbathum, breviter naturam ejus per quaestiones aliquot explicamus. Sunt autem illae magnam partem controversiae. Nos pro ratione thesium eas digito tantum indicabimus. Dividimus autem controversias in principales seu generales, & in minus principales seu speciales. Illae sunt in quibus convenit Orthodoxis Ecclesiis & Doctoribus: istae in quibus omnibus Doctoribus non convenit. Primi generis controversiae sunt octo, quarum I. *Quaest.* An sit aliquod statum Sabbathum à Christianis religiosè observandum? *Aff.* Omnes Orthodoxi contra Anabaptistas & Socinianos. Vide *Calvini Instit. lib.* 2. *cap.* 8. *Sect.* 33. & *Walaei tract. de Sabbatho*, ubi ex professo hoc probat contra Anabaptistas. Vide & *Cloppenburgium c. Anabaptistas.* II. *Quaest.* An Sabbathum Judaeorum ultimo scil. die (quem Saturni vocant) celebrari solitum in N. Test. sit mutatum seu abrogatum? *Resp. Aff.* Orthodoxi contra Judaeos, & tenebrionem hodiernum unum atque alterum Semi-Judaizantem: inter quos quidam *Traske*, de quo in *Opusculis posthumis Lanceloti Andrews* Episcopi Eliensis in 4. Londini editis. *Franc. White in tract.* Anglico *adversus Sabbatarias* novitates meminit cujusdam Christophori Babur. contra opinionem hanc disputat *Helvicus Elencho Judaico* VI. *lit. Q.* & *Galatinus lib.* 11. *de arc. Cath. verit. c.* 8. Vide & *Ursini Comment. Catech. ad.* 4. *Praec.* Ratio communis à posteriori desumitur ex doctrinâ & facto Apostolorum atque Apostolicae Ecclesiae, quod diem illum nec mandato nec exemplo suo observari voluit: sed contra abolevit: & loco ejus diem Dominicum servare coepit. Aliae rationes, si quae adferuntur, non videntur esse *ἀναμφίσβητοι*. Est autem haec & antiqui & praesentis universi Christianismi sententia. A quo qui discesserunt, (ut Ebionaei, Cerinthiani, Nazaraei, Apollinaristae)

Ju-

Judaizantes & Sabbatharii dicebantur. *Concilium Laodicen. can.* 29. *Tertullianus de Praescriptionibus Irenae. libr.* 1. *cap.* 26. *Gregorius Nazianzenus Orat.* 19. *Epiphanius, Augustinus, Philastrus de Haeresibus, Eusebius Histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 13. *Gregorius Magnus lib.* 2. *epist.* 3. Porro consensum antiquae Ecclesiae adversus errorem Sabbathariorum colliges [pag. 1233] ex *Autoribus cit.* praeterea ex *Justino Dial. cum Tryphone, Tertullian. contra Judaeos cap.* 4. & 6. *& de Idololatria cap.* 14. *Irenaeo lib.* 4. *cap.* 19. & 30. & 31. *Origene in Genes homil.* 10. & *in Exod. homil.* 7. & *in Numer.* 28. *homil.* 23. *Athanas. de Sabbatho & circumcis. Gregor. Nazianzen. Orat.* 19. *Chrysostomo in Jesa.* 1. & *in Mattheum homil.* 4. *Gregor. Nyssen. Orat.* 1. *de Resurrectione, Ambros. in Luc.* 3. *& epist.* 72. *Hieronym. in Ezechiel.* 44. *& Proœm. epist. ad Galat. Theodoret. in Ezechiel.* 20. *& in c.* 4. *ad Galat. Augustin. contra Faustum Manichaeum lib.* 6. *cap.* 4. &c. Unde videmus, quid de Pseudo-Clementis scriptis judicandum: ubi occurrit lib. 8. cap. 39. *Operentur servi quinque dies in Sabbatho, & Dominicâ die quiescant propter doctrinam pietatis.* Et tamen Montacutius inde Festa probatum it. Confer *Disp.* 2. *de Tempore nativ. Christi.* III. *Qu.* An abrogatio & mutatio illa facta fuerit jure divino, an verò jure Ecclesiastico. *Aff. pr.* contra Pontificios. IV. *Quaest.* An dies Dominicus Christianorum sit ex merâ traditione, an vero ex Scripturâ ? *Aff. post.* contra Pontificios. Vide *Willeti Synopsin Papismi,* & *Franciscum Junium, aliosque Antagonistas Bellarmini de Traditionibus.* V. *Quaest.* An Sabbathi sanctificatio excludat etiam opera praesentis necessitatis, sive illa ad peragendum cultum Dei, sive ad necessariam caritatem proximi, sive ad debitam commoditatem & moderatam refectionem corporis nostri necessaria sint? *Neg.* contra Judaeos, ex *Matth.* 12. 2. 5. 7. 10. 11. & *Luc.* 13. 14. 15. Nugas & superstitiones Judeorum de jumento non extrahendo ex foveâ, in quam incidit, sed illic alendo, donec transierit Sabbathum, de non capiendis pulicibus, de non decorticando allio aut pyro, de non induendis crepidis, de equo ducendo, non nisi pendente loro, ne lorum manu ferre videatis, de non applicando oleo rosaceo, nec fomentatione loco alicui affecto, de non gargarizando contra affectus gutturis, de vino non induendo oculis dolentibus, &c. Vide *in tract. Thalmudico sabbath* & *in Maymonide tract. sabbath. cap.* 21. & 25. & ex iis magnam partem recensita à *Buxdorfio in Synag. Jud. cap.* 10. & 11. Fuisse autem opera necessitatis olim Judaeis in V. T. minimè prohibita, ne quidem ab antiquis ipsorum Rabbinis, probatur à *Buxdorfio cap.* 11. & *Drusio lib.* 1. *praeterit. ad Matth.* 12. & *de sectis Judaeorum lib.* 2. *p.* 76. Conferri etiam potest *Munsterus in Hebraicum Euangelium Matthaei cap.* 12. Ubi violentas blasphemias in Christum ex *Nizzachon R. Lipman* excerptas exhibet & refutat. Possent etiam Judaei stolidae contradictionis argui, ex iis quae festis diebus fieri concedunt & prohibent: qualia recenset Munsterus in notis ad Matth. 15. *Non licet die solenni venari pisces ex vivario, sed anseres & gallinas, quae domi habentur licet venari. Non sufflare ignem per follem, cum id similitudinem habeat operis* [pag. 1234] *artificis sed per cannam concavam licet. Et cum quis facit ignem, & apponit ollam aut caldarium, necesse est, sollicitus sit quomodo ordinet ligna, ne congeries eorum similis sit aedificio.* Et paulo post: *Ovum natum in die solenni prohibitum est, ne illud contingas, multo minus licet illud comedere, etiam si dubium sit, num natum sit in die solenni aut prophano, adhuc prohibitum est; quin & si mixtum sit inter mille, omnia sunt prohibita. Qui autem*

tem

tem mactat gallinam, & invenit in eâ ova perfecta, illa licita sunt. Ab alterâ parte Judaei ex professo & ex formulâ falsae suae & voluptuariae doctrinae, epulando, deliciando, saltando sabbathizantes, nihil minus quam Sabbathum servant. Vide doctrinam & praxin eorum in *Comment. David Kimchi ad Jesa.* 58. *v.* 13. apud *Mikkotzi praec. aff.* 30. & *Buxdorfium in Synag. cap.* 11. VI. *Quaest.* An tantum ordinaria opera & exercitia aut plane servilia & crassiora, an verò omnia in universum prohibita sint quae cultum Dei privatum & publicum impediunt. *Aff. post.* contra dissolutos Casuistas Papatus, *Toletum lib.* 4. *cap.* 24. *Azorium Institut. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 26. 27. Per illos enim mercatura & nundinae, venationes, aucupia, saltationes seu choreae, immo & artium illarum institutio Magistris choreuticis est licita. Quod ad studia & exercitia, non tam labore corporis, quam ingenii peragenda, de iis audiatur *Rebuffus* J. C. & Parisiis olim decretorum Lector in *tract. de Privilegiis Scholarum edito in* 8. *Parisiis* 1540. inter 180. privilegia, haec duo primo loco ponit. Quod possint studere festis diebus; & quod possint studere in Templo, dum sacris intersunt. Prius quod Scholares *totis nervis studere & legere possunt, & debent*, probat contra textus à se *ibid. cit. Levitic.* 23. *Exod.* 12. (20. scribendum) *Hierem.* 17.

Probat, inquam, ex
- Jure divino
- Canonico
- Civili
- Historiographis & Poëtis.

I. Ex Jure divino

1. Exemplo Christi *Luc.* 4. qui docuit in Synagogâ.
2. Quia illis diebus benefacere licet, *Matth.* 12. *Marci* 3. Sed studendo quis benefacit, à cogitationibus malis subtrahitur, & evitat otium, & sic per consequentiam peccatum.
3. Quia *Apocal.* 1. *vers.* 10. illo die fuit in Spiritu.
4. Quia illo die Apostoli fuerunt illuminati, & data est illis omnis scientia, *Actor.* 2.
5. Quia eodem die illuminatus Saulus, & ei datum est donum scientiae, *Actor.* 9.
6. Eodem die illuminatus Apostolus Thomas, *Joh.* 20.
7. Et ratio, propter illuminationem intellectus & memoriae [pag. 1235] fragilitatem; ne festis diebus dediscant, quod aliis diebus didicerunt: & ut à malis provenientibus ab otio removeantur.

Addit hic consensum Theologorum quorundam

Glossae in Numer. 28. Quod fabri & artifices otiantur in die Sabbathi, Lectores autem divinae Legis non otiantur

Antoninus in 2. *part. Summae tit.* 9. *cap.* 7. *sub finem.*

Petrus Subertus Sancti Papuli olim Episcopus in *tract. de Cultu vineae Domini* in 4. *parte c.* 5.

II. Ex Jure Canonico

1. c. *Primo &c. licet de Feriis;* unde consequentiam ducit, ergo multo magis pro scientiâ.
2. Quia doctum esse tendit ad Dei honorem & publicum bonum. *Barba. in c.* 1. *facit Cle. Exive* §. *licet, de verb. signif.* ubi studium dicitur labor spiritualis.
3. Quia studendo dicuntur in vineâ Domini laborare *c. fina. in fi. de Magist.*, Ergo.
4. Quia possunt homines circa pontes faciendos vel reparandos diebus festis laborare, dummodo hoc faciant ratione publicae utilitatis principaliter, & non propter lucrum, Sic *summa Angelica,* & *Alber. in Dictionar. voce Feriae.* Sed in literato major utilitas publica vertitur.

III. Ex Jure Civili

1. Omnia exerceri possunt, sine quibus mundus regi non potest *L. omnes in primâ,* & ibi *glossa C. de Feriis;* Sed mundus sine scientiâ regi non potest, &c.
2. Disciplina militaris illis diebus exerceri potest *L. Divus ff. de Feriis:* Ergo multo magis disciplina literaria; quia non tantum aequiparatur. *L. advocati C. de officio diverso,* immo est magis utile & meritorium.
3. Quia qui studet dicitur Ecclesiae inservire; *L. Qui sub praetextu C. de sacros. Ecclesiis.* Etiam famuli in illos dies tenentur ad serviendum suis dominis, *L. colonos,* & ib. *no. C. de agri L. si peculium* §. *quaedam ff. de Statu liber.*

IV. Denique *Ex Poëtis & Historiographis. Virgilio in Georgic.* Quippe etiam festis quaedam exercere diebus, &c, *Macrob. Saturnal. lib.* 1. Cur non Religionis honor dicari sacris diebus, &c.

Seneca Epist. 18. *Alexandr. ab Alexandro Genialium dierum lib.* 3. *c.* 11. *Livio lib.* 3. Quod indicto justitio, nemo quidquam rei privatae agere poterat, sed publicae, sicut militare, studere, &c.[pag. 1236].

Et ista est, inquit, communis sententia tam Theologorum quam Doctorum utriusque Facultatis, prout citantur in *d. c. primo,* Confer *& Thomam* 22. *qu.* 122. *art.* 4. Fatetur tamen *ibidem* contrarium teneri ab *Antonino loc. cit.* & *Azone in Summâ de Feriis.* Atque haec doctrina & praxis Papistarum. Judaeorum laxa sabbathizatio epulis, deliciis, choreis, à prandio Sabbathi usque in mediam noctem peragenda describitur à *Buxdorfio in Synagogâ Judaicâ cap.* 11. Ex quo lecto videbunt prudentiores an Judaizantibus potius accensendi sint laxi & voluptuarii Christiani, qui epulis, cupediariis & voluptuariis excursionibus, ludis aleae, fritillorum, aliisque carnalibus recreationibus, poculis & vini pitissationibus, arborum & cupediariorum lautitiis domi aut in suo *Eden,* id est, in horto voluptatis multas aut plerasque horas diei Dominicae fallunt; an fideles illi, cum suis Ministris, qui totum diem juxta 4. Praeceptum cultui divino (publico scil. & privato, ejusque adminiculis, juxta *Theses Kuchlini,* & *Festi Hommii Tabulas Catecheticas*) consecrandum censent. In *Synodi Dordracenae Post-actis* anno 1619. ex gravaminibus Synodorum Provincia-

 lium

lium varia opera notata, eorumque prohibitio à Magistratu petita, ad quae homines dissoluti cum Judaeis & Doctoribus Pontificiis facilè connivent. Ex Actis Synodi eadem exhibuit D. Walaeus in praefat ad tract. de Sabbatho *Ut gravissimae illae multiplicesque Sabbathi profanationes, quae fiunt quotidie per nundinas, encania, convivia communitatum, vigilum, viciniarum, nuptiarum; per exercitia armorum; per venationes; piscationes, aucupia, lusum pilae; per histrionicas comoediarum actiones; per tripudia, auctiones bonorum, compotationes; & per minus necessaria quaelibet opera servilia. &c. strictè prohibeantur atque impediantur.* VII. *Quaest.* An totus dies Dominicus sit sanctificandus, & quidem per exercitia pietatis, non tantum publica, sed & privata, e. gr. meditationem verbi & operum Dei, &c. an verò suffecerit partem diei utpote horas matutinas, aut horam unam atque alteram ante & post meridiem exercitiis sacris impendere? *Affirm. pr.* contra *Toletum loc. citat.* & similes Casuistas, qui homines docent matutini sacri auditione contentos esse. Esse autem totum diem sanctificandum docent *Zanchius ad* 4. *Praec.*, *Bullingerus in Decad. Daneus lib.* 2. *Ethicae Christianae cap.* 10. DD. *Professores Leidenses in Synopsi Disp. de Sabbatho, Walaeus in tract. de Sabbatho cap.* 6. Denique quod exercitiis publicis, etiam privatis, & quibus transigendus sit, explicant passim *Interpretes Decalogi*, nominatim *Daneus loc. cit. Kuchlinus Disput. Catechetic. de Festis, Festus Hommius in Tabulis Catecheticis:* & jam olim profanationes Papisticas perosi *Albigenses & Waldenses* egregiè opera illa sanctificationis designârunt *in explicatione* 4. *Praecepti* apud *Joh. Paulum Perrinum* [pag. 1237] *in Histor. Waldensium.* Nostrate linguâ exercitia illa plenè descripsit *Wilhelmus Teellingius Theologus* πρακτικώτατος. Eadem exercitia ex doctrinâ & more antiquitatis explicat *Dies Dominica, libr.* 2. *per totum.* Quin ex ipsis Pontificiis *Ferus in Exodum* 32 *Agrippa de Vanitate scientiarum, cap.* 59. *Bellarminus in Domin.* 3. *Advent.* profanationes suorum perstringunt. Sunt & *Rabbini*, qui delicias & epulas Sabbathicas Judaeorum incessunt, & totum diem studio Legis transigendum docent. Testimonia eorum collegit *R. Menasse ben Israel Consiliat. in Exod. quaest.* 35. Ex Jureconsultis Germanis *Salmuthus ad Pancirolli novè reperta tit.* 22. observat in pistoriis causis, & his quae ad annonam publicam pertinent (*L publicas* 8. §, *pistoriis C. de Feriis*) ut & in halecum capturâ nullam haberi feriarum rationem, juxta *L. omnes* 3. *C. de Feriis*, ubi de fructuum conservatione. Hanc tamen constitutionem à *Leone Novell.* 54. gravibus de causis esse correctam. Epicrisin suam ibidem subdit: *Et cum ex septem diebus unus in Domini honorem consecratus sit*: religionis prorsus dissolutae fuerit, *nos aliorum dierum ad opera usu contentos non esse, neque illum Domino eximium & inviolatum conservare; sed ipsum etiam vulgarem facere, nostrisque operibus applicandum putare. Constantini constitutionem contra totius diei sanctificationem* in *L. omnes* 3. *C. de Feriis*, longè superat *constitutio Jacobi Magnae Britanniae Regis* anno 1618. 24. Maji confirmata & denuò publicata à Rege Carolo 18. Octobris 1633. quâ severè interdicitur praefectis & justitiariis, ne populi recreationes diebus Dominicis post pomeridianam concionem aut lectam liturgiam, antehâc legibus prohibitas, impedirent. (Anglicè, *that our good people be not disturbed, letted, or discouraged from any lawful recreation*). Recreationes illae ibidem designantur, *dauncing, either men or women, archery for men, leaping, vaulting, or any other such harmelesse recreation, nor from having of May Games,*

Whit-

Whitson Ales, and Morrisdances, and the setting up of Maypoles, and other sports therewith used. &c. *And that women shall have leave to carry rushes to te church for the decoring of it, according to their old custome.* Rex Carolus addebat, suam expressam voluntatem & beneplacitum esse ut festa encaeniorum (Anglicè dicta *wakes* & *feasts of the dedication of the church*) unâ cum aliis festis observarentur. Impressa est haec regia declaratio Londini apud Rob. Barker typographum Regium a. 1633. His Regiis edictis, seu potius novis Doctoribus eadem probantibus, oppositus fuit tract. Anglicus *Anonymi* anno 1636. tit. *The Lords day, the Sabbath day.* Antiqua statuta de observatione totius diei renovata & confirmata sunt in parlamento Angliae anno 1657. VIII. *Quaest.* An dies Dominicus reliquis sanctior sit non tantum ordinatione [pag. 1238] usuque, sed & significatione atque effectu, & habeat figuram & symbolum sacrum. *Neg.* contra Scholasticos & Pontificios, cum *Synopsi D D Profess. Leidens. disp. de Sabbatho, thesi* 55. & 60. & *D. Riveto Praelect. in Decalog.*

6. Sequuntur nunc controversiae communi Eccl. nostrarum & Doctorum doctrinâ non ita definitae ut alia capita catechetica; de quibus aliqui inter Doctores nostros aut dubitant, aut nihil determinant, aut pro peculiari suâ opinione contra communiorem sententiam disputant. Sunt autem illae quatuor; quarum duae priores primariae, duae posteriores secundariae & prioribus subordinatae, seu ad eas ordinatae. Quaeritur ergo. I. *Quaest.* An sit morale, & consequenter juris immutabilis divini (positivi scil. non naturalis, ut & reliqua omnia praecepta affirmativa quae ad cultum institutum pertinent) ut unus ex septem diebus ad cultum divinum sanctificetur: an verò sit puri juris & libertatis ecclesiasticae, ut quintus aut sextus aut decimus &c. sive pro re natâ, sive ad tempus seligatur, haut aliter ac in aliis quibuscunque diebus statis aut extraordinariis? *Resp Pr. Negant* Pontificii, quippe qui nullum N. T. sabbathum agnoscunt, nisi ab ecclesiâ institutum. Sic *Scholastici ad Thomam* 22. *qu.* 122. *a.* 4. & *Zwarez de Religione Tract.* 2. *lib* 2. *c.* 1. *&c.* 2. Negant etiam Anabaptistae & Sociniani. Ex reformatis Doctoribus nonnulli omne jus divinum negant, & praeter liberam ecclesiasticam aut politicam potestatem ac constitutionem circa rem adiaphoram nihil hic admittunt, ut ferè *Calvinus; Institut. lib.* 2. *cap.* 8. aliter tamen *in Genes.* 2.) magis apertè *Ursinus ad* 4. *praec.*, *Zadeel ad artic. Burdegalenses art.* 49. *Fr. Lambertus in Apocal.* 1. *v.* 10. *Kuchlinus in Disp. de Festis, Prideaux in orat. de Sabbatho, Thomas Brodaeus Anglis tract. de Sabbatho a.* 1627. *Franciscus White in tract.* Anglico *de Sabbatho* adversus novitates sabbatharias Angliae a. 1635. *Fr. Gomarus in tract. de Sabbatho, Lambert. Danaeus Ethic. Christian. Andr. Rivetus comment. in Decalogum, Chemnitius in Examine Concil. Trid. cap. de Festis;* & Lutherani si non omnes, saltem plerique, ni fallor cum *Augustinâ confess. art. ult.* Inter alios *Brentius in catechesi & commentar. in Levitic.* 25. ait, decimum aut vigesimum diem posse constitui. Sunt & alii ejusdem opinionis qui anglicè scripserunt, *Christopher Dow, Primorose, Ironside,* quos non visos cognovix *Thoma Shepard* qui in *Thesibus Sabbathicis* angl. 1651. eos refutat. Contra tamen perpetuam septimi diei moralitatem definiunt *Catechesis Emdana, Catech. Palatina* in Belgicum traducta, & à Belgis recepta, (quamvis obscurius) *Beza in notis ad* 1. *Cor.* 16. *& Apoc.* 1. *v.* 10. *Ant. Fajus in disp. Th dispp.* 47. *Diodatus in notis ad biblia Italica* 1 *Cor.* 16. *Apoc.* 1. 10. *Martyr* [pag. 1239] *in com-*

comment. ad 1 *Cor.* 16. *Zanchius in Coloss.* 2. *& ad* 4. *praec. Wittakerus contra Bellarm. de scripturâ quaest.* 6. *cap.* 12. *Fr. Junius comment. in Genes.* 2. *v.* 2. *Munsterus in scholiis ad Matth.* 12. *Gualterus in Galat.* 4. *homil.* 33. *& in Malach. homil.* 23. *Beumlerus in hypotyposi Th. ad* 4. *praec. Rollocus ad Coloss.* 2. *Notae in bibl. Anglica* 1 *Cor.* 16. *Perkinsus in Catech. & Casibus ad* 4. *praec. Georg. Downam in tabulis ad Decalogum*, anglicè. *Willetus in synopsi Papismi p.* 426. *&* 431. edit in fol. & *commentar. in Gen.* 2. *c.* 2. *Wolphius in chronolog. lib.* 2. *c.* 1. *p.* 92. *Pareus in Genes.* 2. *c.* 2. *Piscator in Levitic.* 23. *Bernardus Textor* Professor Herbornensis *in volum. thesium Theol. loco* 2. *de Creatione th.* 31. *Scharpius in cursu theol. tom.* 1. *de lege Dei p.* 617. *&* 622. *Gilbertus Primorose* minister tunc Burdegalensis *in tract. la Trompette de Sion. pag.* 193. 194. 195. *Tilenus* tunc orthodoxus *syntagm. tom.* 1. *ad.* 4. *praec. Nicol. Vedelius* tunc Pastor & Professor Genevensis *Exercit. ad epist. Ignatii ad Magnesianos, cap.* 7. *Festus Hommius in tabulis catecheticis* belgicè. *Cartwrightus & Fulco celebres Theologi adversus Anglo-Rhemenses ad* 1 *Cor.* 16. *Galat.* 4. *Rom* 14. *Walaeus tract. de Sabbatho. Goulartius in commentar. ad Salustii Bartasii primae hebdomadis diem septimum. Fabritius comment. in psalmos ad Psal.* 92. *Althusius in Politicâ cap.* 21. *p.* 420. *Lansbergius in catech. qu.* 103. *& in Chronol. Matth. Martinus lib.* 1. *Christ. & catholicae fidei cap.* 10. *Amesius in medullâ ad* 4. *praec.* & inprimis *in Disp.* habitâ Franequerae 1633. Resp. Nathane Eatono. Doctissimus *autor Altaris Damasceni pag.* 561. *Weemsus à Lothoquar in synag. Christ. ad* 4. *praec.* anglicè. *Foxus in Apoc.* 1. *v.* 10. *Arminius & Bertius in Disput. ad* 4. *praeceptum*, qui à nemine Antagonistarum, nec à D. *Gomaro in indiculo seu syllabo novarum opinionum Arminii*, aut à D. *Festo in Specimine dogmatum Remonstranticorum*, erroris alicujus eo nomine notati sunt. Accedunt *publicae homiliae, & liturgiae*, ut & Theologi Angli quam plurimi, quorum innumera scripta vernaculis linguis exstant: ex quorum adductis testimoniis hanc este doctrinam Ecclesiae Anglic. probatum ivit nuperrimè *Anonymus (D. Burtonus* ni fallor) *in Diatribe Angl. adversus Fr. Whitum* Episcopum Eliensem. Adde *Henr. Flokenium in Theol. Elenct. disp.* 21. *Wollebium lib.* 2. *Theol. cap.* 7. *Cloppenburgium contra Anabaptistas. Maccovium dispp. Miscellan.* 24. ubi *de quarto Praecepto. Clutonem in Ideâ disp.* 42. §. 24. 25. *Alsted. in Casibus consc. ad* 4. *Praec. Gul. Apollonium in tract. de Lege cap.* 6. Imprimis Rat. *disciplin. eccl. Bohem. p.* 70. Sunt & alii, qui quamvis tam apertè hanc sententiam non profitentur, in eam tamen magis propendere videntur, saltem contrariam non tuentur, ut *Bucerus in Matth.* 12. *Bullingerus in Decadibus*, *Chytraeus in Apoc.* 1. *vers.* 10. Nos affirmanti sententiae accedimus, ducti istis rationibus. *I. Prima*, quia est [pag. 1210] praeceptum Decalogi, ergo est morale sex diebus operari & septimo quiescere. Ratio consequentiae est, quia Decalogus continet legem moralem & perpetuam, & omnia ejus praecepta sunt moralia, non quod ad genus (sic enim tota lex ceremonialis posset dici moralis, & tanquam lex moralis etiamnum nos obstringere; quod absurdum) sed quod ad speciem. Ergo ex vi quarti Praecepti non in genere aliquod tempus cultui divino consecrandum, sed ista species & mensura temporis, septimus scil. quisque dies qui senis succedit. Non enim praecipit Deus, *memento temporis alicujus sufficientis, ut illud sanctifices & reliquo tempore labores*, sed: *Memento diei Sabbathi, ut &c. sex diebus operaberis*, &c. Argumentum hoc imprimis apud omnes maximè valiturum arbitror.

qui

qui Anabaptisticas & Socinianas novitates de mutatione Decalogi in N. Test. solidè refutatas velint. Exceptiones in ipsâ disputatione diluemus, & praestiterunt hoc abunde *Sprintus*, *Walaeus*, & *Amesius*. Sunt autem pleraeque partim falsae hypotheses, partim principii petitiones. *II. Secunda* ratio; quia Sabbathum hebdomadale fuit institutum à creatione mundi, *Genes*. 2. 2. ergo est perpetuum & morale; non oeconomicum, pertinens ad peculiarem statum & disciplinam populi sub V. T. aut ad typificationes & umbras. Vide hoc argumentum contra exceptiones defensum ab *Amesio in disp.* seu *tract. cit. Rivetus peculiari tract.* communem consensum nostrorum Theologorum adducit, pro Sabbatho ante lapsum. *III. Tertia ratio*, siquidem quarto Praecepto nulla temporis proportio, nullus in specie certus dies praescribitur, sequuntur haec absurda. 1. *Relinqui* totum hoc arbitrio & libertati Ecclesiae, ut illa ex aequo & bono quantitatem temporis determinet, diem scil. tertium, aut quartum, aut decimum, aut vigesimum, aut quinquagesimum, aut centesimum, aut partem diei majorem, minorem, tertiam, quartam, quintam, &c. 2. *Ad haec*, quot sunt Ecclesiae singulis saeculis aut locis, tot fore Sabbatha à se invicem temporis proportione discrepantia. 3. *Praeterea* non magis in specie nos in conscientiâ obligari quarto Praecepto, quam statutis ceremonialibus de Neomeniis, Festis, Annis Sabbathicis, Jubilaeis Judaeorum; immo de omnibus aliis ceremonialibus; quae tantum quod ad genus seu analogicè nos in N. T. obligant ad observationem seu obedientiam; non verò definitè aut in specie. Ostendent quaeso quâ ratione quartum Praeceptum magis nos obligaret, quam ullae aliae V. T. ceremoniae. 4. *Non peccare* insuper Ecclesias, si quae nullum certum diem septimum, immo ne decimum quidem, aut centesimum, aut ullum sive totum, sive maximâ ex parte cultui divino consecrent, sed pro re natâ contentae sint horam unam atque alteram, sive singulis, sive alternis, sive tertiis diebus cultui publico [pag. 1241] impendere. Quod si dicant naturalem aequitatem postulare definitum tempus, & quidem tali quantitate, ex quibus principiis demonstrant illam aequitatem? Non ex Philosophicis. Ergo ex Scripturâ. Sed ex quo loco, si non ex quarto Praecepto? Quaero cur non eâdem ratione naturalis aequitas suadeat ad Judaeorum exemplum determinare, neomenias seu solennitates menstruas, aut Jubilaea? 5. Sequeretur quartum Praeceptum Legis moralis, esse purum putum ceremoniale, non minus quam de Neomeniis, de Annis Sabbathicis, de Jubilaeis, de Festis Tubarum, expiationis, Tabernaculorum. Et consequenter diei unius ex circulo hebdomadali, & quidem primi observationem abrogandam, vitandam, non minus quam aliorum dierum solennium, immo & aliarum quarumvis ceremoniarum, ut ostendamus nos stare in libertate (*Galat.* 5. *vers.* 1.) nec vel minimâ specie velle Judaizare. Ad horam & tantundem hic non esset cedendum. Hoc urgere debebant ii, qui nullum Praeceptum morale hic agnoscunt. Insuper hactenus deberent probare sententiam Socinianorum & Anabaptistarum, & horum praxin ante annos aliquot (nunc enim nescio ob quas causas hic & alibi nostro ordini se magis conformant) qui pro re natâ, & commoditate suâ modo in hunc, modo in illum diem hebdomadalem communes conventus & exercitia sacra indicebant. Illi, si quidem sententia ipsorum vera esset, ipso facto ab omni specie mali recedebant, & stabant in libertate Christianâ, eâque utebantur. Adeo ut ex hypothesi sententiae *Calvini lib.* 2. *Institut. cap.* 8. non debuissent tam graviter reprehendi (uti fit lib. 2. *Instit. cap.* 8. §. 33.), sed potius cum hoc

hoc voto dimitti: Utinam sic semper errassent Anabaptistae! Sed *Calvinus* accuratius quaestione hâc perpensâ longè aliter loquitur in *Comment. ad Genes.* 2. quem locum expendi velim ab iis, qui magnum illum Scripturae Interpretem merito suspiciunt. Ubi inter alia dicit, septimum quemque diem quieti destinatum, & Dei exemplum perpetuam esse regulam; nec esse unius aetatis aut populi, sed totius humani generis. In abrogatione ejus per Christum adhibendam esse distinctionem, quid ad perpetuum humanae vitae regimen pertineat, quid propriè conveniat veteribus figuris. 6. *Denique* sequitur homines profanando diem septimum, aut propter occupationes, exercitia, ludos, duo aut tria Sabbatha, subinde intermittendo, non magis peccare in quartum Praeceptum, quam si omisissent Neomenias, aut festa Tabernaculorum, aut similia. Quod si dicant illos tunc peccare in ordinem ab Ecclesiâ constitutum, replicarent fortè se horis aliquot altorum dierum intermissionem illam abunde compensasse: deinde non esse tamen peccatum in quartum Legis divinae Praeceptum, sed tantum in consuetudinem Ecclesiasticam. *IV. Quarta* probatio (ut [pag. 1242] alias nunc suo loco & suis autoribus relinquamus) desumi posset ex consensu antiquitatis, & plerorumque Doctorum in Ecclesiis reformatis. Antiquitatis consensum prae aliis ostendere conatur erudistiss. *Anonymus in tract.* cui tit. *Dies Dominica*, anno 1639. in 4°. Quo lectorem remitto. Doctores reformatos supra non paucos indicavimus. Complures adhuc restarent: quos non vacat nunc de novo inspicere. Atque haec circa hanc quaestionem mea sententia: quamvis cum diversae sententiae Theologis nolim contendere, modo ne zelo & praxi exercitiorum pietatis, & accuratae attentioni conscientiae in quibuscunque bonis operibus praejudicent, & praetextu libertatis Christianae licentiae carnali & laxis conscientiis subservire videantur. Quod postremis annis Episcoporum quorundam & Episcopalium complurium ad deteriora prolapsus atque insolentiae in Angliâ accidisse ex variis scriptis illic editis, & rerum gestarum historiis cognosci potest. Ab ignaviâ, à dissoluto otio, ab indecoris & scandalosis Sabbathi profanationibus ventum est ad antisabbatharia cogitata & scripta; ne sc. inter mores & doctrinam, inter praxin & theoriam divortium aliquod deprehenderetur, & ne dissoluti aliqui Theologi, qui jam totius diei Dominicae (juxta statuta regni, sanctificationem ad bihorium aut trihorium contraxerant, palam audirent αὐτοκατάκριτοι. Brevis scil. labor in habendâ aut audiendâ unâ concione ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, nonnunquam in audiendâ aut legendâ solummodo liturgiâ, magis placebat, quam longae variaeque carnales recreationes per potiorem diei Dominicae partem displicebant. Hinc illae lachrymae; hinc *libelli Eristici Heylin*, *Pocklinghton*, (qui uterque Author scriptis pro cultu altarium in Angliâ celebris) *Carpenter*, *Primorose*, *Ironside* &c. hinc quaestiunculae, hinc cavillationes, calumniae insulsae fabulae, excogitata commenta anti-sabbathica: quorum tamen vel levissimam suspicionem in pios & orthodoxos Theologos, quamvis hic dissentientes, cadere nolim. Qualis inter alios Praeceptor noster *D. Gomarus*, qui ut in moribus sic in praxi Sabbathi pessulum profano limini obdiderat, & ab omni indulgentiâ κοσμικῇ quam maximè alienus: quique *tract.* vernaculum *Wilhelmi Teellingii de Praxi & sacris Sabbathi exercitiis* scriptâ ad illum *amicâ epistolâ* candidè probavit, & viri illius πρακτικωτάτου pios conatus collaudavit. Ei jungo eximios Theologos Leidenses Polyandrum. Rivetum, Thysium, Walaeum, qui ejusdem *Teellingii* pietatis & ministerii Eccle-

siastici

siastici praxin (quae tunc nomine Sabbathario ab aemulis aut imperitis, aut carnalibus reformatis alicubi traducebatur) *tractatu* vernaculo, cui tit. *Necessaria Demonstratio*, &c. expositam luculentâ & publicâ sua commendatione libro illi praefixâ commendabant: quamvis omnes in controversiâ de moralitate per omnia cum ipso non sentirent. Illos [pag. 1243] tantum à prudentioribus observari velim, quibus strepitus ille antisabbathicus mera πρόφασις erat, αἰτία vero quid aliud quod aut res tunc clamabat, aut paulò post dies revelabat. Deus det ne similium contentionum similia sint consequentia. Rationes & exceptiones scriptorum Antisabbathicorum excusserunt *Daniel Cawdrey* & *Herbert Palmer* (qui partem faciebant conventus Theologorum Londinensis) a. 1645. editâ *part.* 1. quam subsecuta demum fuit a. 1658. *pars secunda*. Eandem controversiam tractavit *Gul. Twissus*, conventus illius Praeses seu Prolocutor. Et *Thomas Spephardin tract.* cui tit. *Theses Sabbathicae*, anno 1655. Sed hi tres idiomate Anglico. Post illos eandem quaestionem Latinè & compendiose tractavit *Henricus Wilkinsonus* Theologus Oxoniensis, anno 1654. qui idem nuperrimè anno 1658. eodem idiomate, sed secundis curis plenius hoc egit. Hoc a. 1658. pro *Sabbathi moralitate* scripsit Rev. & conjunctiss. Collega noster *Essenius*, qui ejusdem scripti peremptorias vindicias nunc parat. Non est ergo, quod sententiae meae simpliciter propositae, & quarto Praecepto subnixae ultra quid addam. Omnes omnium tum rationes, tum probabilitates, ut & solutiones, hypotheses, consectaria, casuum particularium determinationes praestare nec volo, nec teneor. Quod praemoneo; ne quis meam sententiam iis urgeat. Moneo insuper discipulos nostros, ne ob loci *Colos.* 2. *vers.* 16. variantes expositiones, evidentissimum illud Legis moralis Praeceptum de Sabbatho hebdomadali aut torqueant, aut eliminent. Tota enim summa summarum ad hoc argumentum revocari potest: Quod Apostolus dicit esse umbram, &c. illud non est morale; consequenter abrogatum est in N. T. Sed Sabbathum hebdomadale dicit esse umbram, &c. Ergo. *Negamus minorem:* & *Ratio* est, quia aut Sabbatha Judaica septimo die à creatione celebranda seu potius circumstantia Sabbathi hebdomadalis: aut Sabbatha Essaeorum: aut sabbatha annorum: aut dies magni seu ultimi Festorum (*Levit.* 23.) hic intelligi possunt. Nullum (quamvis postremum praeferam) repugnat analogiae contextus, aut fidei seu totius Scripturae. Quomodo ergo hinc argumentum certum educi potest, quo mens nostra cogatur ad tam duram & coactam Decalogi expositionem; & quarti Praecepti à Lege morali exclusionem, atque unà ostii apertionem per quod Anabaptistae, Sociniani, Pontificii, heterodoxias suas aliquâ cum specie introducant? II. *Controversia* primaria est, an dies primus (quem *Solis* vocant) in Sabbathum Christianum sit consecratus. Hic quatuor sunt sententiae, *Prima*, negat ab Apostolicâ Ecclesiâ diem illum sive doctrinâ, sive exemplo suo consecratum. Sic Pontificii illi, qui à traditione aut autoritate Ecclesiasticâ illum accersunt. *Secunda*, consedit ab Apostolis & [pag. 1244] Ecclesiâ Apostolicâ diem observatum; *Actor.* 20. 1. *Corinth.* 1. 6. *Apoc.* 1. sed in medio relinquunt, an ex liberâ constitutione Ecclesiasticâ, ordinis causâ; an verò autoritate, jure & mandato divino speciali & consequenter, an eorum facto nos astringamur ad illum diem. Sic *Hyperius Meth. Theolog. lib.* 2. *tit. de Creatione, pag.* 333. *Pareus disputat. Theolog. tom.* 1. *disput.* 33. *D. Walaeus in tractatu de Sabbatho. Tertia* determinat praescriptum & exemplum illud Apostolicum fuisse juris divini, & consequenter immutabilem esse diei

diei istius observationem. Et videtur hoc probari posse ex analogiâ similium ad externam disciplinam pertinentium, e. gr. electionis Ministrorum, *Actor.* 14. 1. *Timoth.* 4. Ordinis Presbyterorum gubernantium, Diaconorum, & Doctorum ex *Rom.* 12. 1. *Corinth.* 12. 1. *Timoth.* 5. *Actor.* 6. *Ephes.* 4. Vide *Liturgiam nostram in formulâ confirmationis Ministrorum, & Seniorum ac Diaconorum.*) *Quarta* insuper colligit ex *Johan.* 20. immediatè ab ipso Christo illum diem fuisse haut obscurè designatum: consequenter esse juris divini. Sic *Bayllius, Sprintus, Amesius, Piscator* &c. In tertiae & quartae summa, Esse scil. jure divino institutum hunc diem, conveniunt non quidem omnes, sed plerique Autores pro moralitate Sabbathi hebdomadalis citati, inter quos liquidissimè hoc profitentur *Beza, Junius, Piscator, Deodatus, Perkinsus,* & *Scriptores in Apocal.* 1. *vers.* 10. *Bullingerus, Brichtmannus, Forbesius, Pareus.* Addimus & *Authorem compendii Thesauri Marlorati,* & qui illud nuper recensuit *D. Paulum Tossanum; Ravenspergerum in Florilegio pag.* 15. *Diestium in Enchiridio & in Mellificio Catechet. Lud. Crocium in Anti-Socinismo disp.* 10. §. 15. *Nicol. Arnoldum in refut. Cateches. Racov. ad qu.* 69. 70. 71. Nos quamvis in hâc sententiâ tam evidenti certitudine non acquiescamus, nec assensum ad pietatem & fidem tam necessarium ducamus, ac quidem in aliis fidei & pietatis dogmatis; cum adhuc praxis pietatis absque hâc sententiâ in Ecclesiis conservari possit: non videmus tamen oppositae sententiae ullam rationem, quae nos cogat; praesertim cum doctissimi ejus assertores congressuri cum Anabaptistis, Socinianis, Libertinis, & profanis diei Dominicae contemptoribus, ostendant se majori erga diei Dominicae perpetuam & solennem observationem Religione teneri, quam adversus alios dies solâ antiquâ & novâ constitutione Ecclesiasticâ hebdomadatim aut annuatim ab hominibus praescriptos. Ejusdem sententiae fuerunt *Waldenses* jam *cit.* & *Dd. Reformati* qui jam inde à Luthero & Calvino, & ipso praeeunte, voluissent omnes dies feriatos etiam ab antiquissimâ Ecclesiâ institutos, excepto die Dominico, esse abolitos. Quin ex ipsis Pontificiis *Zwarez cap.* 1. & 2. *de Festis* sibi & suis contradicens non obscurè aliquid ἔγγραφον, aut [pag. 1245] Apostolicum, & divinum hic agnoscere cogitur, ut & *Azorius part.* 2. *lib.* 1. *c.* 2. Ubi plures Canonistae & Casuistae citantur. *Maldonat. in Joh.* 20. *v.* 26. probabile ducit. Quidquid sit de origine, omnes saltem consentiunt diem hunc observandum: nec de abolitione aut mutatione cogitandum. Observetur ergo & exercitiis transigatur. Atque hae controversiae primariae. De quibus hoc notandum, quod qui in secundâ agnoscunt τὸ morale aut jus divinum, unà agnoscant, aut agnoscere debeant in primâ, & omnia eorum testimonia eò etiam referenda sint: & qui in primâ agnoscunt jus divinum, aut naturale, aut τὸ morale, quamvis in secundâ tantum consuetudinem & praxin Ecclesiae agnoscerent, tamen quod ad summam rei stant pro Sabbathi hebdomadalis moralitate. Sicuti e. gr. inter Pontificios *Phil Guadagnolus, in Apologiâ pro Christianâ Religione tract.* 1. *sect.* 9. *contra Achmedum Muhammedistam* qui mutationem Sabbathi in diem Dominicum tanquam mutationem juris divini, moralis, naturalis culpabat, distinguit in Praecepto quarto duo quae *virtualiter* (uti loquitur) praecipiuntur: quorum prius est, ut unus dies hebdomadae cultui divino destinetur. Alterum ut talis dies determinatus ex septem. Illud dicit esse juris naturalis & immutabilis: hoc positivi & mutabilis. Discursu suo (quem totum hic non inseram) retundit adversarii sui accusationem testimonio *Alcoranicap.* 3. quod est *de Mulie-*

ri-

ribus, ubi abrogata immo maledicta dicitur Sabbathi Judaici custodia: *maledicemus sicut maledeximus custodientibus Sabbathum*. III. *Quaest.* Quaeritur an Sabbathum fuerit institutum ab initio mundi; an verò demum cum data lege *Exod.* 20. aut potius *Exod.* 16. *Resp. Pr. Negant* Pontificii, *Azorius* & *Zwarez*, *loc. cit.* ex nostris nonnulli, & cum iis magnus Theologus & venerandus Praeceptor noster *D. Gomarus tract. de Sabbatho*, & *altero* quodam *peculiari*, ubi sententiam suam tuetur *contra impugnationes D. Riveti. Aff.* contra *Walaeus tract. cit.* & doctè de eo disputant *Amesius tract. cit.* & *D. Rivetus tractatu peculiari*, quem nunc secundae editioni expositiones Decalogi insertum video. Tota disputationis moles incumbit in genuinam expositionem, *Genes.* 2. 2. Quia autem affirmantium expositio est plana & simplex, nec repugnat analogiae, aut contextus, aut Scripturae, non video cur in eâ cum plerisque Theologis nostris à D. *Riveto cit.* non sit acquiescendum: praesertim cum expositio altera sine necessitate subtilis nimium & longe quaesita sit, iisque exceptionibus urgeatur, quas nondum dilutas arbitror. Eandem expositionem & sententiam habent Judaei apud *R. Menasse de Creat. Probl.* 8. citati. IV. *Quaest.* Quaeritur an Sabbathum antiquum fuerit ceremonia seu typus destinatus propriè dictus. *Resp. Aff.* id communiter *Pontificii ad* 22. *qu.* 122. *art.* 4. & *Zwarez loc. cit.* Volunt autem figurasse [pag. 1246] Christi quietem in sepulcro. Ex nostris sunt, qui totum volunt esse typicum, ita ut in illo nihil sit morale, nisi quod ad genus, ut in totâ Lege ceremoniali. Alii dicunt fuisse in eo aliquid morale & aliquid ceremoniale seu typicum quod nunc est abolitum: quietem scil. diei septimi à creatione. Et huic sententiae nemo nisi Judaizans obloqui potest; siquidem τὸ *ceremoniale* seu *typicum* laxè sumatur, pro mutabili scil., ambulatorio, & speciali circumstantiâ pertinente ad peculiarem statum istius populi tantum. Et sic in summa rei hic quidem convenit. Manet tamen dubium, an peculiaris & destinatus typus praeter totam legem ceremonialem, fuerit à Deo constitutus in quiete à labore, an in rigore istius quietis, an in exercitiis & cultu quo propriè sanctificabatur Sabbathum. *Neg. Amesius* ex definitione typi aut ex testimoniis Scripturae hoc probari. *Aff. Rivetus:* non quidem indistinctè cum *Scholasticis* (nam saltem ante lapsum non potuit esse typus) sed cum hâc distinctione, ut postea sit super additus. Sunt qui volunt totum illud de uno die ex septem observando esse typicum aut ceremoniale. Alii videntur solum adjunctum istius observationis facere typicum, quietem scil. & cessationes à labore, aut septimum diem à creatione. Posterior opinio nihil in se absurdi haberet, siquidem typificatio illa ex Scripturis solidè demonstrari posset. Neque enim sufficiunt Argumenta eorum, quae maximi momenti esse videntur ex *Exod.* 31. ubi Sabbathum dicitur signum: & *Col.* 2. 16. 17. ubi dicitur umbra futurorum. Ad prius facilis & sufficiens est responsio, non omne signum διαγνωστικὸν esse typicum, aut obsignativum seu sacramentum. Et dato esse signum propriè typicum, non tamen inde certum foret illud de hebdomadali Sabbatho quà tali, intelligendum esse? cur non de Sabbatho determinato tunc ad septimum diem à creatione. Ad posterius non una responsio adferri posset. Sed planissima & simplicissima videtur illa *Amesii*, per Sabbatha intelligi non hebdomadalia, sed magnorum festorum diem primum & ultimum, *Levit.* 23. 39. Fortè quis ad Graecam vocem σαββάτων, quasi ex Hebraeâ *Sabbathon* (quae *Levit.* 23. de postremis festorum diebus usurpatur) deflexum attenderet. Scio excipi posse

Hebr.

Hebr. Sabbathon esse singularis, Graecum σαββάτων pluralis numeri. Nolo dicere, quid reponi posset: quia nolo huic criticae speculationi inhaerere. Si termini *typi* & *ceremoniae* accuratè distinguantur, controversia facilè enodari poterit, & erit forte magis in verbis, quam in re ipsâ. Quatuor ergo erunt responsiones ad objectum locum *Coloss.* 2. *vers.* 16. Aut intelligendum esse Sabbathum, h. e. ultimum diem festorum, peculiariter & seorsim non sine ratione memoratum; quomodo Marci 16. vers. 7. *Dicite discipulis ipsius & Petro.* Aut intelligendum [pag. 1247] Sabbathum hebdomadale, ad diem septimum à creatione determinatum. Aut Sabbathum annorum. Aut hebdomadale Essenorum, qui ut alia multa superstitiosè Sabbatha sua servabant. Respici autem illo capite Essenos, non malè observabat *Scaliger in Elencho trihaeres. cap.* 27.

7. Respondemus nunc ad aliquot problemata; quorum 1. An qui sentiunt humanâ seu ecclesiasticâ constitutione sabbathum Christianum ad diem primum hebdomadis traductum, & consequenter pro libertate Ecclesiae mutabile, aliquo cum fundamento homines astringere possint ad religiosam sabbathi sanctificationem? *Affirm.* quomodo ad sanctificationem extraordinarii jejunii, semel, aut per aliquod tempus certo die cujusque hebdomadae eos hortantur: quod in genere à Deo est institutum, quamvis in specie applicatio ejus ad talem diem dependeat ab autoritate humanâ. Applicatione tamen factâ ab illis quibus potestas competit, tenentur fideles diem illum religiosè transigere & ab omnibus impedimentis abstinere. Sicuti principatus aut magistratus jure divino institutus, cujus applicatio facta est per interventum hominum ad personam Titii aut Maevii, debito honore colendus est. Minime tamen negandum, rationes eorum, qui immediatum jus divinum & immutabile hic agnoscunt, fortius urgere. II An teneamur diem Sabbathi more Judaico inchoare à vesperâ praecedentis diei? *Resp. Neg.* Pontificii de *Consecrat. dist.* 3. *cap. pronuntiandum. Aff.* Qui tamen eum incipere & terminari volunt diversis horis pro diverso respectu. *Quantum ad officii celebrationem,* (inquit Vivianus lib. 2. Rationalis juris Canonici tit. 9.) *incipit à vesperis ut hic, &* infra cap. proxim. *Quoad judicium, incipit in mane, & terminatur in fine diei ante noctis tenebras.* c. consuluit de offic. deleg. &c. *Quoad contractus, testamenta, transactiones & similia, incipit à mediâ nocte, & aliâ mediâ nocte finitur,* d. c. consuluit & L. more Romano ff. eod. *Quoad esum carnium incipit dies post coenam, intelligendo, quod coena fiat ante mediam noctem; & sic incipit à mediâ nocte & durat usque ad diluculum noctis sequentis,* c. de esu, de consecrat. dist. 3. & Gloss. ibi in fin. *Quoad treugam, incipit ab ortu solis, & durat per totam noctem.* c. de treug. & pac. Sic quidem Pontificii. Sed nos nullam legem moralem & immutabilem, nullam rationem ex lumine & jure naturali depromtam proferri videmus, quâ ad hunc dierum computum constringamur: III. An sabbathum Christianum requirat diem 24. horarum, seu νυχθήμερον? *Resp.* Video hoc à nonnullis asseri; sed rationes requiro. Hoc est desubstantiâ sabbathi ut sex diebus operatoriis ita loquar) dies quietis succedat. Jam vero operatorii dies illi sunt lationes solis super terram; nec partem ibi facit nox: juxta illud *Joh.* 9. 4. & 11. 9. & *Psal.* 104. *v.* Quod autem Judaei νυχθημερινὴν quietem servârunt, & quidem [pag. 1148] incipiendo à vesperâ, ad substantialem ejus sanctificationem & proportionalem laboris ac quietis partitionem nihil faciebat. Labori enim ordinario hominum dies, hoc est, illud temporis spatium destinatum est, quod à nocte distinctum est: uti ex locis

locis *Joh.* 4. *Ps.* 104. modo *cit.* & ex communi naturae lumine atque universali experientiâ, constare arbitror. Nec obstat, quod extraordinarii casus necessitatis, atque nocturnas ac diurnas hominum operas subinde requirat. Idem etiam de tractatione & meditatione factorum nocturnâ, aut protractâ in multam noctem (*Act.* 20. *v.* 9.) casu particulari ita ferente ultro concedimus. Sed ut inde inferri non potest, singulas noctes, aeque ac dies ordinariis laboribus, sequestrato omni somno, transigendas; sic ex vi partitionis decalogo praescriptae inferri nequit integram noctem quae sabbathum antecedit aeque exercitiis sacris ordinariò tribuendam, ac diem. Talis sabbathizatio saperet nocturnas vigilias olim ex occasione aliquâ extraordinariâ ἀλόγως in ecclesiam introductas, λογίως postea abrogatas, quarum reliquiae seu τὸ *quid pro quo* hodie in Papatu adhuc superest. De quibus vide *Hospinianum de Festis cap.* 7. Sed dicat forte quis 1. *Object.* Inchoatio sabbathi à vesperâ praecedente Israelitis exsertè inauncta est: ergo nox aeque est sabbathum Jehova, ac dies est dies domini. *Resp.* 1. *Quietem* injunctam esse concedo; quietem sc. & abstinentiam à labore ordinario; quia haec est conditio sine quâ non, seu tanquam removens impedimentum praeparationis & observationis sabbathicae. Communiter enim homines per insomniam & laborem illius noctis inepti redduntur ad exercitia pietatis sequenti die alacriter peragenda. Ita ut sabbathum ipsis magis sit onus δύσβαστον, quam *gnoneg.* i. e. deliciae (*Jes.* 58. *v.* 13.) Sed nego somnum aut quietem somni prohibitam, & vigiliam contra ac sanctificationem illius noctis per laborem in cultu divino & exercitiis pietatis tum publicis tum privatis injunctam esse. 2. *Dato* ipsam quietem per sanctam seu partem sanctificationis sabbathi Israelitici ex divino instituto fuisse, & quidem aeque per noctem somno destinatam, ac per diem operibus cultus divini destinatam: inde tamen non sequitur peristaticum & accessorium hoc ad substantiam sabbathi hebdomadalis ab exordio mundi instituti pertinere, & consequenter esse morale atque immutabile, quo nos aeque atque Israelitae obligaremur. Suffecerit à nobis in genere & materialiter quietem à laboribus, tanquam conditionem sine quâ non, servari: licet formaliter, tanquam oeconomicâ sanctitate quies tum negativè ab ordinario labore tum positivè per somnum, formaliter & proprie sancta esse non credatur. Quidquid esset de quiete sub V. T. (de quo hic anxiè nolo disquirere) saltem sub N. T. nullam quietem à labore in se & per se virtutis, boni operis, & sanctitatis nomine ornandam censeo: sed tantum [pag. 1249] in ordine ad aliud, ut sc. toti & ex professo vacemus cultui divino, & spiritualibus exercitiis, diem illum sanctificemus. Atque ita praxi sanctificationis sabbathicae satis contra omnes profanationes cautum esse arbitror: quo modo fere in materiâ jejunii religiosi de abstinentiâ à cibo judicamus. Quod autem in quarto praecepto de jumentorum quiete praecipitur, id ad quietem hominum, ordinatur; sine quâ sabbathum operibus spiritualibus solenniter sanctificari seu sanctè transigi nequit. 2. *Obj.* Hinc sequeretur nullum per menses aliquot servandum esse sabbathum iis gentibus, quibus tunc continua nox est. Sed hoc absurdum. *Resp.* haec est objectio *Thomae Siepardi*, qui *tract.* angl. tit. *Theses Sabbathicae part.* 2. de inchoatione sabbathi supra alios fusè disquirit. Nos consequentiam *negamus.* Possunt enim & debent illae gentes, ut dies operarios in illis longis tenebris suis à noctibus seu ordinario tempore quietis, sic & septimum diem otiosum ab operibus ordinariis & negotiosum in cultu divino separare atque observare. Hanc simplicem de hoc quaesito sententiam meam

meam puto satisfacturam iis, qui de praxi pietatis & sabbathi unicè solliciti sunt. III. An peristatica, accidentalia, ambulatoria, & mutabilia aliqua fuerint in sabbatho Judaeorum praeter cultum ceremonialem, adjunctum illius diei necessarium. 6. *Aff.* & notantur vulgò 1. duo illo modo *Prob.* 2. *&* 3. notata. 2. Rigida & specialis illa quies, ut ne quidem manna esset praeparandum, nec domo exeundum *Exod.* 16. 23. 28. 29. Quem rigorem nonnulli cum ipso Manna cessasse volunt. Alii sentiunt ex naturali & morali aequitate non fuisse licitam praeparationem mannae, quia nimium laboris & temporis requirebat. Sic *Willetus*; *Junius*, *Piscator in Exod.* 16. Praeceptum de non exeundo, puto restringendum ad collectionem mannae ex *vers.* 28. 29. nec profectiones necessariae magis prohibentur, quam alia opera necessitatis. 3. Praeceptum de non accendo igni *Exod.* 35. 3. *Beza in tabulis triplicis legis* restringit ad ignem in fabricis ad fabricanda utensilia tabernaculi. *Vatablus* ad ignem & operas inde dependentes, ex quibus lucrum sperari posset. *Marbachius* ad ignem accensum extra casum necessitatis ponit autem casus necessitatis: coctionem cibi & calefactionem aegroti. *Cajetanus* & *Willetus* restringunt ad operosam coctionem & praeparationem mannae, atque aliorum ciborum *Exod.* 16. 23. ut distingueretur hâc ratione sabbathum à festis quibus hoc licebat, immo proprie conveniebat. *Nicol. Collado* theologus Lausunnensis *in opusculo tit. Jesus Nazaraeus* anno 1577. edito *pag.* 67. Bezae sententiam amplectitur & censet specialiter respexisse Deum operas fabriles ad tabernaculi aedificationem requisitas, in quibus tanquam exemtis à mandatâ quiete sabbathi, sibi facile indulgebant aut indulsissent. *Munsterus in notis* [pag. 1250] *ad Exod.* 35. limitatè, hoc praeceptum sic exponit: Judaei hoc praeceptum ad literam „servandum putant: ideo conductitiis Christianis utuntur sabbatho, qui illis „ignem foveant: non advertentes sacerdotibus licuisse ignem struere pro jugi sacrifi„cio, die sabbathi. Sensus igitur est, sabbatho nullum accendendum ignem, unde lu„crum aliquod sperari posset; ut ex fornace, in quâ lateres vel ollae aut calx deco„quuntur; aut etiam si succendatur fornax ad coquendos panes. *Rivetus in comment. ad* „*Exod.* 35. restringit ad ignem qui succenderetur ad parandos cibos, aut ad servilia „munera; non autem cum accenderetur ad calefaciendum se vigente brumâ, vel ad „praebendum lumen. Sic etiam omnia alia quae ad quaerendum parandumque vi„ctum pertinebant, prohibebantur &c. Similem restrictionem habent *notae marginales Belgicae.* Rectè *Willetus* cum *Marbachio* non tantum de igni ad panem ex mannâ parandum prohibitionem hanc exponunt, sed de quocunque accenso ad usus & opera extra casum necessitatis. *Consectar.* Hinc sequitur male hanc legem à Judaeis, (cum quibus faciunt nonnulli Chistiani) exponi; cum illud quod dictum est secundum quid, accipiunt simpliciter, quasi nullâ ratione ignis, nequidem ad cibum ullum necessario, aut etiam corpus proprium calefaciendum fuisset accendendus. Certe sabbathum Judaicum erat propter hominem & vult Deus misericordiam, non sacrificium uti hoc determinat servator *Matth.* 12 *&* *Lucae* 13. Itaque non minus Judaeis licitum fuit accendere ignem, quam nobis; quomodo jumenta potum deducere, spicas vellere & conterere, cibum sumere, hominem sanare, ovem ex foveâ extrahere. Est autem ejusdem ordinis & rationis accensio ignis. Hinc perperam hodierni Judaei ab hoc opere in specie abstinent, & alicubi Christianos ad illud conducunt, aut tubis seu fistulis (non follibus) ignem sufflant, aut pulvere nitrato accendunt: quod factum ante annos aliquot in civitate quadam Italiae, cum Episcopus

pus ministerium illud omnibus Christianis interdixisset. Ut refert *R. Juda de Modena archi-synagogus* Venetus in *tract. de ritibus Judaeorum;* quem cum M. S. ante annos commodato acceptum ab amico, perlegerem, inter alia hanc narrationem inde enotavi. Essenorum sabbathizatio (quam cum *Scaligero* probabiliter dicere possumus ab apostolo *Col.* 2. specialiter tangi) ab omnibus eduliis coquendis, & igni accendendo, etiam à purganda alvo abstinebat, teste *Fl. Josepho lib.* 2. *antiquit. cap.* 7. Sed refutatur haec essenica & Judaica glossa ac praxis. I. *Quia* in templo seu tabernaculo sacerdotes struebant ignem, ergo simpliciter non prohibetur. 2. *Quia* erat hoc opus necessitatis ad caritatem proximi, imprimis puerperae, infantis recens nati, aegroti, decrepiti senis, immo jumentorum &c. 3. *Quia* servator suâ non [pag. 1251] tantum doctrina, sed etiam exemplo glossam hanc refutavit *Luc.* 14. 1. siquidem accensus ignis & ad illud calefactus cibus profanasset sabbathum, utique accessu suo ad convivium profanatores illos non confirmasset. 4. Adde quod inter Rabbinos *R. Aben Ezra* exponit, licitum fuisse ignem accendere. Ita quidem refert *Willetus ad Exod.* 35 *v.* 2. Sed *comment. Aben Ezra ad locum cit.* & *ad Exod.* 16. 23. tale quid non habent: Forte alibi hoc dixit. Atque ita satis superque Judaeorum circa Sabbathi observationem ineptiae, quas supra ex parte attigimus, profligatae sunt. *Rivetus ad Exod.* 35. ex *Isidoro Pelusiotâ* (Quis liber sit & quota epistola, non indicat, nec in *epistolâ ad Euoptium*, quae citatur, quidquam compareт) refert Judaeum navigantem, noluisse clavum regere. Refert ibidem *Rivetus* alium quem ejusdem coecitatis noluisse ex cloacâ, in quam die sabbathi inciderat extrahi: ex *Volaterrano*, quo aut quoto libro non additur. Certus mihi autor *Munsterus in scholiis ad Mattheum Hebraicum ad cap.* 12. & *Hospinianus p.* 12. alicubi in Germaniâ (Magdeburgi) Judaeum die sabbathi in foricam incidisse, quem populares eodem die extrahere noluerint: cumque episcopus loci vertuisset die dominico eundem extrahi, tertio demum die, qui erat lunae, miserum hominem inde liberatum fuisse. Vah stolidam & crassam hypocrysin! genio indulgere, cuticulam curare licebit: opera misericordiae, & quidem in tantâ necessitate praestare non licebit. Vide quae de Essenorum stupendis hâc in parte superstitionibus narrat *Fl. Josephus, lib.* 2. *de Bello Jud. cap* 7. &c. & ex eo enotant recentiores, post alios omnes plenè *Scultetus in Exercit. ad Evangelistas lib.* 1. *capp.* 28—34. Nec hodie coeca gens à majorum vestigiis recedit. Memini cum scriptis suis in Belgio non ignotus *R. Menasse ben Israel* Judaeorum Amstelodamensium concionator ante annos aliquot diem sabbathicum tanquam vacivum (uti ipse nobis referebat) excursioni ad varia loca & salutandis variis amicis ac fautoribus destinasset, ac pro virili impenderet, atque unà Ultrajectum inviseret, & in colloquium mecum in aedibus nobiliss. & eruditiss. viri, quò istâ occasione accersebar, incidisset, comma aliquod ex bibliis Hebraicis (de cujus scribendi modo mentio injecta erat) describere gravatum fuisse. Cum enim antea nobis sponte obtulisset modi illius scribendi ostensionem, & chartae postulatae jam calamum manu prehensum impositurus esset, ilico manumretrahebat, dicens, se recordari nunc esse sabbathum, quo opus nullum, consequenter nec hoc opus scriptionis faciendum esset. [pag. 1252.]

DE SABBATHO ET FESTIS.

PARS ALTERA 1).

1. *Probl.* IV. An satis accuratè loquantur, qui dicunt liberè & propter scandalum tantum, Christianos cessare ab opere & labore servili. *Resp. Neg.* Nam tum sabbathi nulla apud nos esset conscientia, non magis quam esus carnis in macello venditae 1 *Corinth.* 10. *v* 25. *Deinde*, sequeretur ad observationem alicujus prae cepti decalogo praescripti nos non teneri propter conscientiam nostram, sed tantum propter conscientiam alterius. *Tertio*, deberent ergo illi, qui ita sentiunt, apertè ex suis hypothesibus omnibus persuadere, ne religiosè sabbathum aliquod hebdomadale & quidem totum diem observent, ut ita libertatem suam tueantur & omnem speciem Judaismi fugiant. Atqui contrarium faciunt; & contrarium clamant perpetuae ac infinitae fere querelae de profanatione sabbathi; nec non quam plurima synodorum gravamina ac decreta, de imploranda ope Magistratuum ad cöercendas speciales & multimodas quasque profanationes. Quid si Magistratus ex hypothesi opinionis antisabbathicae, responderet, sanctificationem sabbathi hebdomadalis esse in se adiaphorum, & querelas ac petitiones synodorum incurrere in libertatem Christianam & subditorum ac Judaizare? Quid si ad exemplum regum Britanniae Jacobi & Caroli edicta pro publicis choreis, aliisque recreationibus sabbathicis in Belgio nostro sub papatu & postea aliquamdiu usitatis promulgarent? Quid regererent hujus & affinium opinionum sequaces? V. An dies dominicus sit delectus prae aliis; quod characterizatus esset beneficio resurrectionis Christi; & ideo institutus ab apostolis ut celebraretur tanquam signum memoriale ejusdem resurrectionis? *Resp.* Sic quidem Patres non pauci & ex recentioribus complures qui illos sequuntur. Ut ingenuè dicam, quod sentio, velim audire scripturas & rationes. Fateor quidem illo die Christum resurrexisse, & multa alia memorabilia à Deo gesta, quae vulgo enumerantur (Vide *Ludov. Baylly praxin pietatis*) sed inde non sequitur fuisse illa divinitus coordinata tanquam signa & signata, ut gesta istius diei sub V. T. typicè designarint diem nostrum dominicum, aut dies dominicus esset signum memoriale quo peculiariter ex instituto sive divino [pag. 1253] sive ecclesiastico repraesentari debeat Resurrectio Christi; nam tum esset sacramentum, ut coena domini signum memorativum mortis Christi, aut saltem aliquod sacramentale. *Deinde*, sequeretur posse plures ejusmodi dies memoriales & horas cultui divino hebdomadatim consecrari ut ex. gr. in memoriam mortis, ascensionis &c. *Tertio*. Videtur enervari argumentum nostrorum contra Festa Pontificia, & horas canonicas: Omni tempore beneficia per Christum collata esse recordanda; consequenter certis horis aut diebus recordationem illam non affigendam. *Denique*, tum sequeretur diem dominicum esse festum N. T. proprie dictum, & diem laetitiae יום טוב atque adeo nunquam luctum seu jejunium publicum in illum posse incidere. De quo quaest. proximè sequenti. Has considerationes meas candidè impartio: ut res haec penitius, & ἀκριβεστέρως examinetur. Nam si inter probabilia aut conjecturalia tantum numerari queat, non puto concionibus & libellis practicis plebi Christianae ita proponendum, ac si fidei & pietatis Chri-

1) *Resp.* JACOBO HOVIO Twischa-Batav. *Ad diem* 14 *Aprilis* 1638.

Christianae indubitatum axioma esset. VI. An rectè in antiquâ ecclesiâ omnibus dominicis, aut iis quae à Pascha usque ad Pentecosten jejunium & adoratio de geniculis prohibita sit, & injunctum, ut Christiani starent capite elevato & laeto, non autem curvi & moesti *Concil. Nicen. cap.* 20. *Tertullian. de Coronâ Militis c.* 32. Et sequitur *Jus Canonicum c. fin. dist.* 30. *&* *c. scire dist.* 76. etiam hodierni Pontificii, ut videre est apud *Joh. Baptist. Vivianum in Rationali Juris canonici lib.* 2. *tit.* 9. *cap.* 2. ubi ostendit secundum Jus canonicum solennem genuflexionem tantum prohiberi; & excipi devotionem in secreto, elevationem corporis domini, ordinationem clerici vel Episcopi. *Resp. Neg.* 1. Ubi enim Deus praesenti aliquâ occasione aut necessitate vocat ad planctum & jejunium, non est illud differendum, nec importunè dies laetitiae substituendus, aut celebrandus. 2. Siquidem beneficium illo die per apotelesma seu opus aliquod mediatoris praestitum (resurrectionem scil.) prohibet jejuhium; tum certè de die Jovis idem esset dicendum; quia Christus tunc ascendit in coelos & sedit ad dextram Dei? Et quid ni de die Veneris, quo mortuus est, idem concludendum esset? quia etiam in cruce, triumphavit *Coloss.* 2. 15. *Pamelius in notis ad Tertullianum de coronâ militis cap.* §. 38. morem illum non jejunandi, & de geniculis non adorandi probat insuper ex *Hieronymo ad Luciferianos*, quod scripti non esset, sed *rationabilis observatio* eum *sibi vindicaret*. Et ex *Augustino epist.* 119. *ad Januar. cap.* 15. *&* 17. Ex *Maximo Taurinense homil.* 1. *de pentecoste*. Ex *Isidora lib.* 1. *offic. eccles. cap.* 33. Ex *Rabano Mauro lib.* 2. *de instit. cleric. cap.* 42. Atque hinc haut obscurè inferre conatur traditiones apostolicas. VII. An sabbathum Judaicum dici debeat verum [pag. 1254] ac ordinarium ecclesiae Israeliticae sacramentum? *Resp.* Sic statuit Cl. *Gomarus tract. de Sabbatho p.* 30. Quod si sacramenti vocem late accipias, ex hypothesi sententiae ipsius (quae sabbathum hebdomadale facit ceremoniale & typicum) non minus dici posset sacramentum, ac sacrificia cum reliquis ceremoniis. Alioquin theologi nostri nulla ordinaria sacramenta agnoscunt praeter duo, circumcisionem & pascha. A quibus ipse *D. Gomarus* nunquam discedit in toties repetitis *Disput. de Sacramentis.* Porro opinionem de sacramento sabbathico oppugnat *Amesius in disp. de Sabbatho.* Ubi vide. VIII. An quarto Decalogi Praecepto synecdochicè festa Judaica intelligantur? *Resp.* Ita sentit *D. Gomarus pag.* 33. Sed hâc ratione tota Lex ceremonialis de personis, locis, rebus, & actionibus sacris pariter sub hoc aut alio aliquo Praecepto synecdochicè intelligenda esset. Quod tamen non sine distinctionis cautelâ accipiendum; ne distinctionem legis moralis à ceremoniali, & perpetuitatem unius atque abolitionem alterius confundamus. *Daneus Ethicae Christianae lib.* 2. *cap.* 10. tantum dicit referri quaedam ceremonialia ad hoc Praeceptum. *Abarbaneel ad Jesa.* 58. exponens illud וקרא לשבת ענג non tantum de Sabbatho, sed etiam de reliquis מוע דים solennitatibus Jehovae; refert aliquos Doctores putare verbis illis Decalogi, *momento diei Sabbathi*, universim comprehendi omnes dies solennes Jehovae. IX. An cultus institutus ceremonialis, potius ad secundum Praeceptum cum *Calvino*, an verò ad quartum cum *Daneo* sit referendus. *Resp. pr. Aff.* X. An Sabbathum hebdomadale sit juris divini naturalis, an verò positivi? *Resp. Dist.* Si jus divinum naturale accipias quod ad Deum absolutè *Neg.* Sin quod ad hominem, dici potest esse utriusque: *naturalis*, quia ante lapsum cum imagine Dei in homine (quae erat naturalis inditum & praefixum fuit: *positivi*, quia post lapsum ob amissam omnem

imaginem

imaginem Dei, omnemque mentis & voluntatis aptitudinem circa supernaturalia, positivâ supernaturali revelatione denuo praefixum fuit. XI. An si dicatur esse juris divini positivi, defendi possit ejus moralitas? *Resp.* Quidni? applicetur hic solum distincto, quae ex antiquissimo Scholastico *Alex. Alez* adferri solet: Morale est vel naturae, vel disciplinae. Illud est, quod tempus aliquod cultui divino datur. Istud est, quod unus ex septem diebus, De sacramentis Novi Testamenti, si quis quaerat, an sint juris divini naturalis, an verò positivi? an sint morale quid? & si sint, an morale naturae, an disciplinae? An non facilè responderi posset evolutis terminorum istorum distinctionibus: quorum ambiguitate, & variâ apud Autores acceptione in his aliisque quaestionibus falluntur aut fallunt nonnulli. XII. An qui Sabbathi hebdomadalis moralitatem negant, [pag. 1255] absque contradictione aut tacito aliquo moralis necessitatis sensu determinare possint certum & sufficiens tempus nobis Christianis esse unum diem ex septem, atque adeo nos astrictos esse ad imitationem Dei, qui in V. T. constituit diem septimum: *Sic Daneus loc. cit. Resp. Neg.* Nam hâc ratione non retinent tantum quartum Praeceptum *quod ad genus*, (ut tempus aliquod scil. deputetur cultui divino) sed in specie & definitè quod ad eandem illam temporis proportionem ac partitionem. Certè ex hypothesibus ipsorum debebat potius urgeri, ut à ceremoniali & typicâ temporis partitione quam longissimè recedant Christiani; ne vel minimâ specie videantur in eandem temporis determinationem cum Judaeis incidere: haut aliter ac ex omnibus diebus liberè eligentes (ex ipsorum sententiâ, praeterirent saltem diem Saturni, ut à Synagogâ dissiderent. Idem facerent in partitione & designatione dierum eucharisticorum, siquidem tales instituerent per quatuor anni partes: ne vel minimâ specie Judaeorum neomenias revocare viderentur. XIII. An Ebionei, Cerinthiani, aliique Sabbatharii convinci possint de translatione Sabbathi, siquidem locus *Coloss.* 2. 16. 17. non accipiatur de Sabbatho hebdomadali Judaeorum in diem ultimum septimanae incidente. *Resp. Aff.* Restat enim argumentum ab exemplo & praxi Apostolicâ, qui alium diem solemniter coeperunt observare, & ita docuerunt Ecclesias 1. *Corinth.* 16. Quamvis fateamur fortius convictum iri Sabbatharios, siquidem certâ aliquâ & irrefragabili ratione cogi possent ad talem textus istius expositionem. Sed an hoc fieri possit, supra diximus. XIV. An qui sentiunt diem Dominicum esse liberae & merè humanae constitutionis, conformiter hypothesibus suis negare possint, diem illum esse mutandum. & eo nomine contendere cum Anabaptistis. *Resp. Neg.* Immo contra deberent urgere, ut non tantum Ecclesiae publicâ professione & protestatione hanc libertatem suam, sed & ipso facto assererent: ne vel minimam suspicionem in animis hominum relinquant de diei hujus secundum jus divinum perpetuitate. Quod si quis praetendat antiquitatem observationis jam inde ab Apostolorum temporibus, hoc non sufficit ad veritatem aut juris divini necessitatem, aut Ecclesiasticae observationis perpetuitatem. Antiqua sunt agapae, 1. *Corinth.* 11. cum *Judae vers.* 12. diaconissae. 1. *Timoth.* 5. immersio in Baptismo, *Actor.* 8. cum *Rom.* 6. osculum pacis, 2. *Cor.* 13. *vers.* 12. ordo & modus prophetandi, 1. *Cor.* 14. quae tamen mordicus retinenda, & observanda ab omnibus Ecclesiis non dicent illi, qui diem Dominicum humanae consuetudini atque instituto attribuunt. Ad haec non sunt tam recentia, Festum Paschae, natales Martyrum, Apocryphorum lectio in Ecclesiâ, Episcopatus humanus, [pag. 1256]

1256] signum Crucis, aliaque antiquae Ecclesiae instituta; Quae tamen nostri non retinuerunt; his ducti rationibus; Quod unius saeculi aut loci Ecclesiae (in Imperio scil. Romano: hoc enim est τὸ jactatum Oecumenicum & Catholicum) suâ constitutione aut consuetudine circa adiaphora (κατὰ συγχώρησιν loquar) aliis omnibus Ecclesiis usque ad finem mundi legem non figant: & quod periculum aut damnum majus emergens, quam bonum aedificationis exspectandum, revocare nos debeat ad primaevam simplicitatem Apostolicam. XV. An Christus toto vitae tempore secundum humanam naturam subjectus fuerit observationi Sabbathi, & an unquam illud profanârit, ut quidem calumniabantur Judaei, *Matth.* 12. *Luc.* 13. *Johann.* 5. *Resp. Pr. Aff.* ex. *Galat.* 4. 4. *Neg. post.* ex locis jam cit. ubi à crimine illo objecto se purgat. Quod autem quidam objiciunt ex *Matth.* 12. filium hominis esse dominum Sabbathi; intelligendum est secundum divinam naturam coll. cum *Johannis* 5. Estque in hâc phrasi, κοινωνία ἰδιωμάτων ut *Johann.* 3. 13. *Actor.* 20. 28. XVI. An ratio consecrati potius septimi, quam tertii aut alterius diei rectè assignetur, quia numerus septenarius perfectissimus. *Resp.* Sic quidem, ut Cabalistas omittam, philosophantur ex Patribus, Pontificiis, immo & nostris nonnulli; inter quos *Danaeus loc. citat.* & *Bayllius in Praxi pietatis.* Quin & *Calvinus in Cateches. in explicatione quarti Praecepti.* Nos putamus nullam rationem assignari posse aut debere praeter volutatem Dei. Adhaec speculationem illam de mysteriis numerorum sapere quid Cabalisticum & Platonicum. Nam quod *Danaeus* & *Patres* ab illo *citati*, praetendunt in Scripturis septenarium notare perfectionem, & rebus maximis ac pulcherrimis tribui, id excellentiam & mysterium hujus numeri prae aliis non evincit. Rationes sunt. 1. *Quia* synecdochicè numerus definitus ponitur pro indefinito, quomodo & denarius, *Apocal.* 2. 10. 2. *Quia* quod rebus pulcherrimis tribuitur hoc totum est per accidens, nec ullum facit mysterium: *tum*, quod & alii numeri rebus pulcherrimis tribuantur, ut monas, quaternarius, quinarius, senarius, octonarius, denarius, duodenarius, de quibus *Brougthonus in libro de Locis, Temporibus, & Personis sacris.* Binarium extollit *Syracides cap.* 42. 25. & 33. 15. de quo *Valesius sacrae Phil. c.* 76. & *A Lapide in Comment.* Confer & *Bongum de Mysteriis numerorum.* De *ternario* vide in supernaturalibus Sacram Scripturam, in naturalibus & artificialibus elegans *Poëma Ausonii;* in utrisque *Bongum de Mysteriis numerorum: tum* quod idem hic septenarius in Scripturâ aeque tribuatur rebus vilibus, imo & pessimis, *Luc.* 8. 2. & 11. 26. *Actor.* 19. 14. *Apocal.* 12. 3. & 17. 3. 7. ubi septem daemonia, septem capita draconis & bestiae. Adde septem nationes [pag. 1257] Canaan. 3. 1. *Quia* naturalis perfectio numeri numerantis seu abstractè secundum abstractionem Mathematicam considerati nullam consequentiam facit ad rei numeratae sacram & mysticam perfectionem: non magis quam perfectio circuli aut alterius figurae omnimodam aut naturalem mysticam perfectionem infert rerum illâ figurâ praeditarum. 4. Praeterquam quod senarius Mathematicè dicitur perfectus; & primus perfectorum, de quo *Augustinus de Civitate Dei lib.* 11. *cap.* 30. Quare ergo sextus dies non est consecratus? Sed de Numeri nullâ efficaciâ, sive ad operationem, sive ad mysticam significationem pluribus supra *disp. de Superstitione.* XVII. An quia rationibus à creatione mundi & liberatione Aegyptiacâ desumptis *Exod.* 20. 10. *Deuter.* 5. 15. suadetur observatio Sabbathi, inde solidè concludi possit, Sabbathum à Deo peculiariter institutum ad mysticam istorum

rum

rum significationem & commemorationem. *Resp.* Ita sentit *Maymonides more Nebuchim part.* 3. *cap.* 31. Adde *Joseph Album in libro Ikkarim*, *R. Isacum Arama*, *aliosque cit.* à *R. Menasse ben Israel Conciliat. in Exod. qu.* 37. Ex nostris nonnulli idem fere asserunt, qui & tertiam rationem addunt; ut sit *signum* salutaris foederis. Ego fateor me non satis videre demonstratam relationem finis ac destinati seu peculiaris medii, & signi seu sacramenti ac signati. Sabbatho tam Judaico quam nostro promiscuè omnia Dei & attributa, & opera, tam judicia quam beneficia, & promissiones & praecepta, cognoscenda, ac meditanda (ut constat ex *Psal.* 92.) ex quibus variae rationes desumi possunt, quibus ad Dei cultum & Sabbathi observationem commovemur. e. gr. Vos Israëlitae ne profanate Sabbathum, sed diligenter illud observate; Ratio gemina est, Deus vos in captivitatem Babylonicam detrusit, & inde rursum liberavit: quae ratio colligitur ex *Ezra.* 9. 7. 9. *Nehem.* 9. 30. 31. coll. cum *cap.* 10. 31. & *cap.* 13. 17. 18. immo etiam exsertè allusio fit ad Sabbathizationem, hoc est, desolationem terrae ipsorum. 2. *Paralip.* 36. 21. Sed quis hinc fabricet Sabbathum fuisse peculiare signum & typum destinatum à Deo ad recordationem & adumbrationem quietis terrae durante captivitate, & liberationis populi ex eâdem. Similiter motivae dusumptae fuerunt a judiciis & beneficiis divinis erga populum sub judicibus; ex quibus si quis Sabbathi signata, atque antitypa similiter accumulet, quis tandem finis esset? Si quis instet, peculiariter huic Praecepto has rationes adjungi, *Resp. Primo*, hoc negatur: quia ad quaevis alia Praecepta compelluntur Israëlitae, commemoratione liberationis ex Aegypto. *Judic.* 2. 1. & 6. 8. *Jerem.* 2. 6. *Mich.* 6. 4. 8. *Deinde* commemoratio creationis, omnium rationum, omnis Praecepti, omnis obedientiae, primum & generale motivum est; sicuti creatio est omnis obedientiae nostrae Deo debitae conditio sine quâ non, seu praesuppositum requisitum. [pag. 1258] Nisi enim Deus hominem creasset, ad obedientiam obligari, nec Deus eam ab illo petere, ut nec ipse eandem praestare potuisset: cum non entis nulla sit affectio. Quia enim Deus creavit nos, ideo tenemur ei tanquam authori & Domino omnium obedire, in quovis Praecepto tam secundae, quam primae tabulae. *Actor.* 17. 23. 24. *Deuter.* 32. 18. *Eccles.* 12. 1. *Malach.* 2. 10. *Jesa.* 45. 18. *Tertio*, Signum si diceretur prae omnibus aliis Praeceptis, non tamen sequeretur esse signum mysticum, & quidem typicum. Qui enim absque aliâ probatione hoc inde eliciunt, fallaciam committunt non causae. Signum dicitur, quia Dei cultum indicat in populo aliquo tanquam indicium, signum *διαγνωστικὸν*, signum significans, nota, *κριτήριον*, signum *διακριτικὸν*, signum dijudicans, distinctivum, gnorisma, ἔνδειξις. Quomodo eundem indicant, & synecdochicè notant in Scripturis juramentum, invocatio Dei, Benedictio, *Jesa.* 45. 23. & 65. 16. *Jerem.* 12. 16. Quae tamen nemo facit foederis divini sacramenta aut signa mystica, aut typos. Adde, quod caritas dicitur signum communionis nostrae cum Christo, *Johann.* 13. 35. & auditio verbi signum regenerationis. *Johann.* 10. 16. & 8. 47. & afflictio propter nomen Christi signum salutis, & sanctificationis spiritus, *Philipp.* 1. 28. 1. *Petr.* 4. 14. Et octo illa *Matth.* 8. sunt signa beatitudinis; & alia compluria in Scripturis, quae ex Scripturis tanquam signa produci solent à Theologis practicis in Semioticâ spirituali. *Instant.* 2. Atqui temporis partitio inter creationem & quietem huic Praecepto tantum convenit? *Resp.* 1. Sic est; & hinc sequitur rationem inde tanquam ab exemplo divino adferri pro proportionali temporis nostri

divisione.

divisione. Sed aliud est creatio, aliud tempus creationis. Creatio generaliter facit rationem obedientiae omnibus Dei praeceptis debitae, tempus creationis est specialiter exemplum Sabbathi hebdomadalis. XVIII. An quaelibet profanatio Sabbathi capitali supplicio punienda, juxta *Exod.* 31. 15. & 35. *vers.* 2. *Numer.* 15. 32. 33. 34. *Resp. Neg.* Quia Lex Forensis Mosaica quà talis, seu in specie & in formâ non obligat Respublicas Christianas, non magis quam Jus Romanum Anglos aut leges Anglicanae Imperium Germanicum. In genere & secundum analogiam saltem inde docentur Magistratus, debitis poenis ut quaevis delicta, sic & profanationem Sabbathi serio & prudenter coërcere. Hinc hodie poena est arbitraria *Menoch. lib.* 1. *arb. quaest.* 30. *juxta L. ult. C. de Feriis.* Atque haec moderatio & ἐπιείκεια, docetur *Nehem.* 13. *vers.* 15. 21. Et ex hâc determinatione de poenâ profanati Sabbathi, aliisque suppliciis in formâ & specie Lege Forensi Mosis, aut speciali oraculo Dei sancitis, puto patere quid statuendum sit de opinione *Piscatoris in Praefat. ad Commentar. in Leviticum, Maccovii* [pag. 1259] *in Collegio dispp.* quâ statuitur Magistratui Christiano servandas esse sanctiones Mosaicas in suppliciis capitalibus. XIX. Quae ratio solida adferri possit, cur exemplum Apostolorum in observatione primae diei hebdomadis Christianas omnes Ecclesias obliget, ut & in electione Ministrorum, in ordine Seniorum, Diaconorum, Doctorum, &c. & eorundem exemplum in Agapis, Osculo sancto, Diaconissis, immersione in Baptismo, mòdo Prophetandi, 1. *Corinth.* 14. non obliget? *Resp.* Nos putamus hanc esse differentiam, quod haec non quibusvis Ecclesiis, sed his aut illis sub Cruce, illo tempore, tali in Gente, & loco tali numero Auditorum conveniant: illa verò omnibus convenire possint. Confer *Politic. Ecclesiastic. titt. de Canonibus & de Ritibus.*

2. Sequuntur Problemata magis moralia, & casus conscientiae. Nolumus hic. repetere quae à *Perkinso in explicatione Decalogi, & in Casibus conscientiae, Balduino lib.* 2. *cap.* 13. & ab *Amesio Casuum conscientiae lib.* 4. *cap.* 33. & *Wilhelmo Teellingio Necessar. demonstrat. in Prolegom. & lib.* 4. *cap.* 4. & *lib.* 5. *cap.* 12. *ad quartum Decalogi Praeceptum, & tract. peculiari de sanctificatione Sabbathi*, dicta sunt. Tantum spicilegium hoc ad uberiorem declarationem subjicimus. Quaeritur ergo. I. An homines literati ordinariis studiis circa prophanos Authores aut scientias, & pragmatici Forenses suis negotiis curandis magis profanent Sabbathum, quam Agricolae, Mechanici, &c. *Resp. Aff.* Quia ipsorum operae mentem hominis à rerum divinarum meditatione longius abducunt: cum contra Mechanicae aliquid lectionis, saltem meditationis, auditionis, collationis, tacitae & solitariae precationis, sociae aut solitariae psalmodiae permittant. Rejicimus ergo laxam Theologiam *Toleti lib.* 4. *cap.* 24. *Navarri Manual. cap.* 13. *n.* 12. Cajetani ad 22. qu. 122. art. 4. quae statuit Advocato licitum esse *studere super lites, & quae studet scribere, & informare judices scripto.* Praeterea licitum esse *studere; legere publicè, disputare, & quidem propter pecuniam.* Rationem hanc addit: *quia ista sunt animi opera.* Paulo post sibi contradicens *pag.* 636. peccati & quidem gravis arguit Notarios qui scribunt, aut transcribunt, aut implent chartas, quas reliquis diebus in brevi notârunt. Confer quae supra ex *Rebuffo de privilegiis Studiosorum* enotavimus. II. An magis profanetur Sabbathum exercitiis & recreationibus, sive animi, sive corporis, imprimis saltationibus, lusibus aleae, aut aliis ludis quibuscunque sortis abusum implicantibus (de quibus alibi disquiritur, an sint licita), an verò ordinariis operibus

bus vocationis? *Resp. Aff. pr.* Quia ista sunt primo & per se ad vitam humanam & bonum publicum necessaria: illa verò non. Hinc tritum illud sub Augustini nomine libr. de 10. chordis: *melius esse lanam facere, quam saltare.* [pag. 1260] Audi & Chrysosthomum de Eleemosynis in 1. Cor. 16. serm. 22. *spirituali honore hunc diem venerari oportet, non convivando, non vinum profundendo, non ebrietati choreisque vacando, &c.* Similia habet *Ephrem Syrus in Homil. de Festis diebus. Gregor. Nyssenus de resurrectione Christi, Orat.* 3. Quod est contra praxin Pontificiorum & multorum ex nostris, qui videntur credere diem hunc esse diem lusus & carnalis ac corporalis recreationis, non exercitiorum pietatis. Imprimis militat contra doctrinam Pontificiam, quae hos lusus eximit ex numero operum servilium, & consequenter facit Sabbathicos. Audi *Toletum loc. cit.* qui vult exercitia communia tam potentioribus quam ignobilibus, dominis & famulis esse licita, ut iter facere, venari, saltare, uti instrumentis Musicis. Addit tamen: *cum venatio & iter ex officio fit, ex se non licet, ut dicit* Sylvest. *verb. venatio; & tamen consuetudo jam obtinet ista non esse illicita, & ita tenet* Navarrus loc. cit. *quamvis pecunia fiant. Licita etiam sunt exercitia artium quarundam: ut gladiandi, saltandi, pulsandi instrumenta, licet pecunia fiat.* Itaque quicunque Musicam vocalem aut instrumentalem, adhaec artes sagittandi, gladiandi, saltandi vulgò docent à Sabbathi observatione exempti sunt: quasi scilicet opera ipsorum non sint servilia & ordinariae vocationis. III. An Mercatus magis impediat sanctificationem Sabbathi, quam suere, arare, & alia mechanica. *Resp. Toletus loc. cit. Poster. affirmat,* quia sunt opera servilia quae ad famulatum pertinent, & quibus homo homini servit: qualia ille putat tantum esse prohibita. *Pr.* autem *negat;* immo contra *Jer.* 17. 21. 22. *Nehem.* 13. 16. 17. & 10. 31. quin ipsum contra *Jus Canonicum cap. de Festis* mercatum ab operibus vetitis eximit, eumque tum universalem, tum particularem, tum anniversarium, tum hebdomadalem licitum facit, modo ne consuetudo alicujus loci contrarium obtinuerit. Rationem hanc adfert; *Quia consuetudo obtinet, esse licitum.* Videtis nunc regulam credulitatis & pietatis Papisticae. IV. An tanquam opera necessitatis & licita sint omnia illa, quae Pontificis aut Episcopi licentia concedit, sive expressa, sive virtualis, cum scil. aliqua opera videt & dissimulat? *Resp.* Ita quidem, Pontificii conscientiarum Magistri determinant. Inter alios *Azorius part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 27. & Toletus loc. cit. & cap. 25. licere *pauperi, qui aliter non potest ali, nisi manuum labore diurno, laborare secretè sine scandalo, licere cuivis carnes vendere, occidere animalia, vendere necessaria illo die ad victum; operari aliqua, cum probabiliter quis pateretur damnum nisi illa opera fierent, & ratione hujus excusantur operarii qui vitrum fundunt, & qui navigant, & qui pastillos coquunt, & similes; in publicis solemnitatibus praeparare vias, & construere loca pro spectaculis, quando non possunt fiere nisi in ipso festo; tonsori unum tondere ob aliquam commoditatem, quia illi* [pag. 1261] *aliter non vacavit, hoc enim vel nullum est peccatum, aut ad summum veniale; Judicibus ruralibus uti judicio;* addunt *Rodriquez, Navarrus,* Victorellus in additionibus ad Toletum: *Sutores diebus festis possunt vendere calceos, praecipuè rusticis, qui aliis diebus ad urbem venire nequeunt, idque ob consuetudinem.* Plura istius farinae vide apud *Azorium loc. cit.* Et *Zuarezium de Religione tract.* 1. *lib.* 2. Haec scil. stricta sanctitates Ecclesiae Romanae, quam detexisse est refutasse. V. An licita sint judicia & strepitus actionum eò pertinentium, ut Notarii, Advocati, &c.

non

non tantum tanquam specialis misericordiae opera, aut in praesenti necessitatis casu; sed etiam cum ita consentiunt partes litigantes? *Resp. Aff. pr. Neg. poster.* Ut enim illud optimè convenit, sic hoc repugnat juri divino, *Exod.* 20. *vers.* 10. cum *Matth.* 12. *Luc.* 13. Ecclesiae Judaicae, ante Christi adventum, quamvis admodum corruptae praxin hâc in parte quodammodo indicat decretum Augusti apud Flavium Josephum antiqu. lib. 16. cap. 10. *Ne Judaei cogerentur ad praestanda vadimonia Sabbathis.* Convenit etiam sanctionibus juris Civilis L. 2. & 3. & 7. 10. C. de Feriis. *Ut in die Dominico emancipare ac manumittere liceat, reliquae causae vel lites quiescant.* Et L. 3. *Omnes judices, urbanaeque plebes & cunctarum artium officia venerabili die Solis quiescant.* Et L. 7. *Ut nec apud ipsos arbitros à judicibus flagitatos, vel sponte electos, ulla sit cognitio jurgiorum.* Et L. 12. *Ut* Dominicus dies *à cunctis exsecutionibus excusetur, nulla quenquam urgeat admonitio, nulla fide jussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio delitescat, sit ille dies à cognitionibus alienus, praeconis horrida vox sileat, respirent à controversiis litigantes.* Ibidem paulò post: *nihil eodem die sibi vindicet scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lachrymosa spectacula, &c.* Vide similia in *Jure Canonico tit. de Feriis.* Rationem hanc non malè allegat *Baptista Vivianus in Rational. lib.* 2. *tit.* 9. *cap.* 5. Quia feriae non sunt principaliter introductae in favorem partium litigantium, sed in honorem Dei & in publicam quietem, *c. licet de Feriis.* Casus autem misericordiae & necessitatis his versibus comprehendit *Glossa in verbo Pietas,* & citatur à *Viviano loc. cit.* & Azorio part. 2. lib. 2. cap. 27.

Hoc faciunt causas festis tractari diebus:
Pax, scelus admissum, manumissio, res peritura,
Terminus exspirans, mora testis abesse volentis.
Cumque potestatis patriae jus filius exit.

VI. An liceat exigere & praestare juramentum? *Resp.* Strictè id negant *Canonistae* & *Casuistae Pontificii,* & cum iis recentiores *Toletus* & *Azorius loc. cit.* idque secundum *c. omnes de Feriis:* ubi Glossa tamen excipit hos casus: [pag. 1262]

Pax, & fama, fides, reverentia, cautio damni.
Defectus veri, sibi poscunt magna caveri.

Quin immo *Speculator, Johannes Andreas, Panormitanus ad cap. cit.* (quos sequitur *Azorius*) juramentum die non feriato à testibus exigi, & examen ac testimonium ipso feriato die perfici posse concedunt: quod tamen inter ipsorum JCCtos improbat *Diodorus Tuldenus* J. C. Lovaniensis *ad tit. C. de Feriis*) & sic valere hanc testimonii dictionem, quia scil. retrahitur ad diem non feriatum, in quo delatum est jusjurandum. Non video tamen, cur nuda juramenti praestatio absque omni alio negotiorum, causarum saecularium, pragmatiae & fori contentiosi strepitu antecedente aut consequente non sit licita, etiam extra praecisae necessitatis casum. Idem judicium fiat de reconciliatione fraternâ dissidentium in se spectata (hoc est, quatenus pietatem in Deum & caritatem, benevolentiam, clementiam in proximum respicit); si modo ante absoluta fuerit, aut in alium diem rejiciatur operosa occasionum offensionis disquisitio, & super saecularibus negotiis transactio. Mirari subit Pontificiorum hâc in parte vertiginem aut Pharisaeo-Judaicae similem hypocrisin, quod cum tot tantosque camelos deglutiant, culicem hunc excolent: examen testium, laborem Advocatorum, immo & saltandi, gladiandi, &c. permittendo, actum autem

autem Religionis (qualem faciunt juramentum ad 22. *q.* 89. *a.* 4.) prohibendo. VII. An liceat serere, arare, metere, *Resp. Neg.* ex quarto Praecepto, coll. cum *Exod.* 34. 21. Contra Pontificii Casuistae operas rusticas concedunt, & ex nostris *Danaeus* (quem hodie nonnulli sequuntur) qui excipit Judaeis prohibitas fuisse, Christianis concessas, adductâ lege Constantini L. omnes C. de Feriis, ubi haec verba: *Ruri tamen positi agrorum culturae, liberè licenterque inserviant: quoniam frequenter evenit, ut non alio die aptius frumenta sulcis & vineae scrobibus commendentur, & ne occasione momenti pereat commoditas coelesti provisione concessa.* Sed non possum hic eximio Theologo accedere. *Primò*, quia lex haec nullâ ratione nititur, ut bene notat *constitutio Leonis* 54. per quam legem Constantini meritò castigari & aboleri vult, ex Jureconsultis, *Henricus Salmuthus* ad *Pancirollae novè reperta, tit.* 20. & ex Theologis, *Zepperus in Explanat. Legum Mosaicarum, lib.* 4. *cap.* 9. ubi tamen nimium fortè videtur tribuere Constitutionibus illis, quippe quorum in Jure Civili tanta non sit autoritas. Quidquid sit de autoritate apud JCCtos, certum est consulto magis conditam illam constitutionem Leonis quam Constantini. Nam. 1. substernitur huic fundamentum falsum, *frequenter scil. evenire; ut non alio die, &c.* 2. Lex extendit indultum ultra casum necessitatis, qui solus rationem facit leges. Universaliter enim concedit [pag. 1263] operis rusticis quamvis licentiam, quia aliquando operae illae sunt necessariae: cur non pari jure concedit promiscuè licentiam omnibus mechanicis, judicibus & pragmaticis, quia *frequenter evenit, ut non alio die, &c.* 3. Lex extendit hanc licentiam ad quasvis operas rusticorum, quales e. gr. cedere ligna, putare & plantare arbores, stercorare agros, occare, arare, fossas ducere, triturare, cribrare: quum tamen casus praecisae necessitatis in illis ita locum non habeat, ac in semente & messe. 4. Hinc sequeretur toto anno, saltem majore anni parte (vere, aestate, autumna) vix ullum fore Sabbathum agricolis: & divinam providentiam ac legislationem imprudenter spiritualia & temporalia temperasse. Venationis, capturae piscium & avium, curae apum, messes hordei, tritici, pisorum, fabarum, &c. curae sylvarum caeduarum, aggerum, fossarum, purgationes vinearum, vindemiae, cura lupi salictarii, cannabis, cespitum, partim alia aliis succedentia, partim simul euntia omnes anni tempestates occupant: exceptis tantum, immo vix mensibus hybernis. Si homines, quos una aliqua cura tangit, propterea dispensare queant; quidni alii in aliis, in curis quisque suis. *Secundò*, Quod *Daneus* dicit Judaeis hoc interdictum non Christianis, gratis dicitur. Aut enim est opus necessitatis praesentis, aut non est. Si illud, jam Judaeis fuit licitum, (ex *Matth.* 12. *Luc.* 6. & 13.) aeque ac Christianis, ne scil. occasiane momenti periret commoditas coelesti provisione concessa. Non minus enim (si non magis) attendere debeant frumento ac gregibus suis: Sin hoc, jam nec Christianis licet: ne toto anno metuentes tempestatem, in fidem, spem, pietatem & devotionem peccent. *Tertiò*, intelligendum autem hic esse casum necessitatis (quamvis in conclusione legis plus sit quam in praemissis), ut observavit Baldus: *Opera*, inquit, *tamen ruralia ex necessitate possunt explicari.* Quando autem sit talis necessitas, praehabito consilio Theologorum à Magistratu ritè determinari deberet; ut monent *Theologi practici* modo à nobis *cit. Quartò*, Musteum illud commentum, à nonnullis nuper in gratiam profanationis Sabbathi proditum, quod statuit Judaeis factam peculiarem promissionem, non fore pluviam in messe, *Levit.* 26. 4. 5. 1. *Samuel.* 12. 17. 18. *Amos.* 4. 7. Christianis

non

non factam; & consequenter illis arationem, sementem, messem interdictam, Christianis minime: id, inquam, nemini fiet verisimile, qui modo textus citatos inspexerit ac Commentatores antiquos ac recentiores consuluerit. Consectar. *Pessimus ille mos est in Papatu olim introductus, & hodie alicubi in Belgio forte nondum abolitus, saltem multis annis post stabilitam Ecclesiarum istarum reformationem servatus usque ad annum* 1619. *& ultra, quo ruri in messe mensis unius aut duorum feriae ab omni observatione Sabbathi & publico religionis* [pag. 1264] *exercitio conceduntur, tum Pastoribus, tum Auditoribus.* VIII. An liceat piscari, venari &c. *Resp. Aff. Casuistae Pontificii* à nobis *cit.* nec videtur abnuere *Danaeus. In tit. de Feriis Extravag. cap.* 1. conceditur captura halecum, modo partem dent pauperibus. Rationes adferuntur, quia certo anni tempore tantum capiuntur, & quia ad victum ea res pertinet. Nos contra thesin cum utrâque ratiunculâ improbamus. 1. Quia quidquid esset de capturâ halecum (de quâ fortè alibi), non valet tamen consequentia ad quamcunque aliam piscationem, nedum ad quamcunque venationem. 2. Sequeretur providentiam divinam malè dispensasse tempora, & inter necessitates animae ac corporis distribuisse: siquidem nulla aut paucula atque incerta admodum essent Sabbatha Piscatoribus & Venatoribus. 3. Etiamsi certo anni tempore capiantur haleces, non tamen cardo istius negotii vertitur in diebus Dominicis. Tantum halecum Deo benedicente possunt capere mensibus aut hebdomadibus aliquot, quantum suffecerit animo suâ sorte contento, 1. *Timoth.* 6. IX. An lautiora & diversi generis sercula prandio, item convivia sumptuosa & operosa, imprimis nuptialia, eidem prandio, aut etiam Coenae Dominicali conveniant? *Resp. Neg.* utrumque contra hypocrisin Judaicam, palati deliciis & cupediis sabbathizantem; etiam contra Christianos quosdam, nescio quo cacoëthe, Semi-Judaizantes, qui exemplo Samaji senis quotidie comedentes ad honorem Sabathi selectissima fercula Sabbatho reservant, & Sabbathum cum hodiernis Judaeis faciunt voluptatem. De quo vide *Buxdorfii Synagog. cap.* 11. Et *Hospinianum de Festis Judaeorum cap.* 3. & τὸ *recordare dies Sabbathi* cum R. Elhasare quem laudat *Menasse ben Israel in Conciliatore in Exodum qu.* 36. *R. Sel. Jarchi in Exodum* 20. 7. exponi: מזמיכו לשבת שאם נזמן לך הפצ יפה תהא hoc est, ut Doctores suos exponit R. Menasse, *Si medio hebdomadis exquisitiorem cibum paraverit, ut eum servet ad honorandum Sabbathum.* Supra indicavimus *R. David Kimchi, locum Jesaiae* 58. *vers.* 13. huc torquentem. Quo verecundior est *Don Abarbaneel in Commentar. ad loc. cit.* qui de oblectatione in bonis operibus exponit, & non de corporalibus deliciis. Atque hâc ratione miseri Judaei religiosius scilicet observant Sabbathum quam Christiani, ut quidem gloriatur *R. Menasse pag.* 155. Ratio prioris partis assertionis nostrae est, quia homines ut plurimum ineptos se reddunt ad exercitia, tum publica, tum privata, alacriter peragenda. Ratio posterioris est, quia matresfamilias, coqui, servi, ancillae, aliique à publicis sacris & meditatione rerum divinarum abducuntur, dum culinariis ita intenti sunt: (quae ratio etiam allegatur à *Zeppero Polit. Eccles. lib.* 1. *cap.* 15. *pag.* 184. & *Balduino cap.* 13. *cas.* 8.) Ne quid dicam de nonnullis, [pag. 1265] si non plerisque, invitatis, quibus devotio excutitur dum moliuntur, dum comuntur, dum dentes & ventrem parant. Hinc rectè Daneus prohibet *voluptatibus indulgere, popinis adesse, theatra frequentare, spectacula edere.* Et *Synodus Dordracena anno* 1574. *art.* 81. confirmationem matrimonii eo die mallet non fieri; & celebris

bris Synodus anno 1619. nomine omnium Ecclesiarum petiit ab illustr. ac praepotent DD. Ord. Belgii, ut prohiberentur *gravissimae profanationes per nundinas, encaenia, convivia communitatum, vigilum, viciniarum, nuptiarum; per exercitia armorum; per venationes, piscationes, aucupia, lusum pilae; per histrionicas comoediarum actiones; per tripudia, auctiones bonorum, compotationes.* In Canonibus Ecclesiasticis Ecclesiarum Hungaricarum anno 1642. Varadini editis, can. 59. statuitur. *Non esse permittendam nuptiarum celebrationem:* omnia imprimis huic otioso scil. diei in Papatu putantur convenire; obstetricantibus carni, mundo, & pravae consuetudini Casuistis eorum: ut videre est apud *Toletum* & *Azorium cap.* 27. & 28. & *Scholasticos ad* 22. *qu.* 122. X. An quia Sabbathum ex nostrâ sententiâ (contra ac Pontificii opinantur) non inchoatur à vesperâ praecedentis diei, aut etiam à mediâ nocte, rectè se praeparent ad Sabbathum, qui in multam noctem, aut usque ad auroram Sabbathi operibus, aut commessationibus, aut lucibus intenti sunt. ***Resp. Neg.*** *Quia* non ostendunt se recordari Sabbathi. 2. *Quia* vix possunt mane expergisci, & exercitiis pietatis vacare: quod tamen faciendum docent *Theologi ex Psal.* 92. 1. 2. 3. vide *Kuchlini disput. Catechetic. de Festis,* & *Perkinsi explicat. Decalogi* 3. *Quia* animum & corpus praegravant, & ineptum reddunt ad sanctificationem Sabbathi, per attentam verbi auditionem. Scripturae lectionem, rerum sacrarum meditationem, orationem, &c. XI. An noctem aut partem ejus, quae diem Dominicum sequitur, absque profanatione, operis & curis ordinariae vocationis, aut quibuscunque aliis ad τὰ βιωτικὰ pertinentibus, occupare liceat. ***Resp. Aff.*** siquidem rationes rei familiaris, aut καιρὸς, & occasiones, aut ipsa operatum natura hoc suadeat. Quod enim λογικῶς detrahit somno suo, illud nullam sapit Sabbathi profanationem; non magis, quam si partem noctium dierum Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris consequentium. Nox enim illa non est Sabbathum aut pars ejus; nec debitam praeparationem & dispositionem Sabbathicam impedit: est enim finitum cum illo die, juxta omnium sententiam, sive illi Sabbathum affirment esse νυχθήμερον, sive negent, sive Christiani sint, sive Judaei. Sed noctis antecedentis aliam esse rationem supra ostendimus; & recta ratio nullam admittit exceptionem; nisi in casu necessitatis, qui etiam in cursu ipsius diei Dominicae operas serviles concedit. Aut etiam in casu talis complexionis, quae ἀϋπνίαν & [pag. 1266] laborem aliquem fert absque ullâ impotentiâ inde contractâ ad exercitia Sabbathica. Sed hanc paucissimis aut fere nullis obtigisse arbitror. Mirabilis mihi ante annos complures audita narratio eruditi cujusdam Medici de viro literato, qui studiis & professioni publicae ritè vacabat, non obstante quod toto biennio totalem insomniam passus esset. Affirmabat ille virum illum sibi notum fuisse, & certum atque exploratum esse, quod retulisset. Sed hoc naturae miraculum fuit. Ut redeam ad noctem post Sabbathum, *Aben Ezra in Comment. ad Exod.* 16. meminit multorum (רבים), qui ex verbis *Exod* 16. *vers.* 25. colligebant, debere ab hominibus servari diem Sabbathi & noctem quae sequitur eum (דפא אחריו), non vero noctem quae praecessit aut praeteriit (שעבר): quod Moses *vers. cit.* dixerit היום כי שבת Qui & quales illi fuerint nescio, nec vacat nunc ulterius inquirere. Ipse vocat eos חסרי אמונה *deficientes,* aut *infirmos fide.* XII. An liceat vinitoriam exercere tempore autumni? ***Resp.*** *Janus Cornarius* Concionator, cum viveret Hamelburgicus in ***Theologiâ vitis viniferae,*** ab Abrahamo Schulteto anno 1614. Heidelbergae editâ ***lib.* 2. *cap.* 16.** post

post taxatas Sabbathi profanationes, & narratum morem illic loci in uvis vindemiandis, & è vineâ avehendis, in torculari exprimendis, &c. concedit quandam partem diei colligendis & condendis Dei donis tribui posse; modo prius auditae fuerint conciones, peractae preces, gratiarum actiones, aliaque pia opera, in quibus Sabbathi sanctificatio principaliter consistit. Ego censeo malum illud in viniferis regionibus per tot saeculorum decursum radicatum, non tam facile exstirpari posse: nolim tamen Theologorum Ecclesiasticam tolerantiam quasi lege aliquâ perpetuam esse, & sic verti paulatim in approbationem (uti proh dolor! in quamplurimis casibus olim in antiquâ Ecclesiâ, & postea multò magis in Papatu evenit); aut in aliquam quasi dispensationem de jure, de lege Dei. Israëlitis ex culturâ vinearum benedictio divina concessa erat: non tamen Sabbatha in tempus vindemiae incidentia privilegio, aut exemtione, aut dispensatione à Praecepto Dei (*non facies ullum opus*) magis gaudebant, quam quaevis alia in tempore messis, sementis, collectiones quorumvis fructuum incidentia. Norat Deus quid καιρὸς vindemiae requireret, cum vindemiae requireret, cum Sabbathum institueret. In illius sapientiâ tuto acquiescimus. Certè *Nehemiae* 13. cum *Jerem.* 17. (quae *Cornarius ibid.* & rectè adducit) torcularium calcatio, & onerum portatio exsertè prohibentur. XIII. An liceat diem transigere puro seu neutrali otio, quod ab exercitiis pietatis & à contrariâ seu positivâ profanatione per opera servilia & carnales recreationes liberum est. *Resp. Neg.* 1. *Quia* casus fingitur, qui non est, necesse potest. Homines nihil agendo malè agere discunt. Praecipuè cum in poenam [pag. 1267] non sanctificati Sabbathi, per justam Dei voluntatem sibi relicti & ab ordinariis curis ac laboribus vacui in praecipitium multorum peccatorum ruunt. Exempla eorum qui exercitiis pietatis, tum publicis, tum privatis, sive toto, sive magnâ aut majori parte diei illius se subducere solent, sunt in propatulo. Nullis enim diebus tam frequenter ac Dominicis lapsus eorum in ebrietatem, damnatae aleae furores, pugnas ac contentiones, exsecrationes & blasphemias, quin & in homicidia, denique in impuritates, earumque allicia choreas, audiri solent. 2. *Quia* ut peccato omissionis peccat, qui nihil agit, cum debeat agere; sic etiam peccat in quartum Praeceptum, qui diem hunc positivè non sanctificat ea agendo, quae Deus tunc agi vult. Sic non celebrat religiosum jejunium, qui tantum abstinet à cibo, & labore. Mihi semper de sanctificatione diei Dominicae stetit sententia, non consistere eam in abstinentiâ à labore, nec eam esse per se opus bonum, sed tantum propter aliud, & tanquam removens impedimentum, illius scil. operis boni, quod isti diei peculiariter appropriatum est. XIV. An vel minima cogitatio de rebus & negotiis hujus saeculi sit illicita, ac prophanet Sabbathum? *Resp. Neg.* cum *Teellingio in Necessar. Demonstrat. Prolegom.* & cum *Amesio in Medullâ:* ubi videtur innuere, esse qui contrarium sentiant. Qui autem illi sint literati, an idiotae, & an scriptis haec opinio à quoquam sit prodita, quibusque rationibus firmetur, hactenus mihi non constat, nec Autores citati indicant. Quicunque sint aut fuerint, si hoc velint, non debere quem aut studiosè aut otiosè citra ordinariae aut extraordinariae caritatis necessitatem, animo & cogitationibus in mundana, carnalia, ludicra evagari, multo minus in iis habitare; ut ita negligat proprium opus Sabbathicum; utique nemo pius refragabitur. Sed si strictè velint, nihil absolutè cogitandum, nisi quod directè & formaliter sit spirituale: non video quomodo quis calceos, collare, pallium aliaque induere, ex lance buccellas sumere, ignem

ignem struere, ad eum accedere, ostium domus suae claudere, per plateas & vias absque errore rectâ ad templum tendere, inde domum redire; adhaec pluvias, ventum, frigus, calorem sentire; insuper homines obvios aut praevios videre, iis de viâ aut priorem ingressum cedere, cano capiti assurgere, omnibus denique pro dignitate honorem habere queat. Ut jam non dicam de virtute hospitalitatis, secundum quam peregre advenientes (ad minimum in casu necessitatis) consanguineos, amicos, necessarios excipere tenetur. Haec omnia sine cogitationibus expediri non possunt.
XV. An omnia opera ex necessitate facta debeant esse misericordialia, nulla verò mercenaria? *Resp.* Daneus lib. 2. cap. 10. post. Neg. cum distinctione: *quatenus damnum*, inquit, *accipit* quis *potest*, *non* [pag. 1268] *quatenus operam praestat. Veluti Pharmacopola potest justum medicamenti à se adhibiti pretium exigere; non mercedem laboris, ut reliquis diebus. Advocatus potest chartae suae, in quâ consilium scripsit, simpliciter pretium accipere, non operae suae eo die. Quod si objicitur, quid edemus ea die? respondebo* ex Levit. 25. 20. *Benedictio mea erit super te & te alam, &c. Pontificii Scholastici* & *Casuistae* plerique ante hâc statuerunt opera quae jure fiunt in die festo, reddi illicita eo ipso, quod fiunt quaestus, mercedis, aut stipendii causa: cum quibus faciunt ex *nostris practicis* non pauci. Ex recentioribus *Cajetanus*, *Sotus*, *Navarrus* contrarium tenent; quorum sententiam *Azorius* judicat probabiliorem. Ego, ut verum fatear, cum in Pontificiis & nostris nonnullis practicis assertionem illam legi, nunquam potui illi assentiri. Verum quidem est, absolute & ex professo non esse lucro & sustentationi hujus vitae tum incumbendum, quia sex diebus hoc agitur; sed hoc nihil repugnat si fiat per occasionem & ex hypothesi casus jam incidentis: quem ut tibi nec desideranti nec quaerenti objicit Deus, ita & adjunctum ejus, debitam scil. mercedem. Militum, Medicorum, obstetricum, & similium stipendia illo die aeque procedunt, ac alio quocumque, quia illi pugnant, excubias agunt, fodiunt; isti aegrotos visitant; hae parturientibus opem ferunt. *Deinde* ipse *Danaeus* antea concessit operas rusticas, piscationem halecum &c. quod gratis non fit à famulis, nec ab heris. Breviter quam licitum est opus aliquod, quam licita vocatio, tam licita merces; quam illicitum opus tam illicita merces. Dum licitè fit ex vocatione cujusque & jure divino, merces debetur: atqui in illo casu necessitatis sic fit ut aliis diebus, nec ullus ibi est respectus sabbathi, cum necessitas non ferat legem; debetur itaque merces non minus, sed potius magis quam alio die, quia homo praeter impensum laborem privatur in totum aut in tantum exercitiis pietatis, atque illam vacationem necessitati proximi quasi impendit. *Denique*, concionatores pro concionibus aliisque ministeriis ecclesiasticis illius diei, & lectores, cantores, famuli, seu cursores diaconorum, ostiarii seu aeditui, campanarii seu clokatores, (uti vulgò appellant), & qui lumina concionibus matutinis aut vespertinis accendunt; ad haec medici, chirurgi, pharmacopoei, nautae, aurigae, bajuli, milites, vigiles & quicunque operas praestant communiter necessarias, aut specialiter ad ministeria ecclesiastica ordinatas justè mercedem accipiunt. In omnibus ergo operibus à sabbathi quiete exceptis (ecclesiasticis scil. & necessitatis tum ordinariae tum extraordinariae) valet generalis regula 1 Corinth. 9. 7. *Quis unquam militat propriis stipendiis? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem & de lacte ejus non manducat?* Hujus sententiae reperio etiam fuisse Practicorum πρακτικώτατον [pag. 1269] *Wilhelm. Teellingium in prolegom. ad Ne-*

ces-

cessar. Demonstrat. XVI. An & quomodo respondendum ad quaestionem ac casus de operibus quibusdam ob parvitatem materiae & modum agendi vilissimis, minutissimis, servilissimis, ex. gr. an liceat cloacas aut canales purgare, pavimenta verrere; praeterea, emere ficus, uvas pastas, necotianum, vinum adustum, sinapi, acetum, poma, ligulas, aciculas, ostrea, squillas, halecem, frustum casei, pisciculum, intestina &c. Adde nunc, an liceat cum amicis deambulare, thedis aut navigiis voluptuarias & recreatorias excursiones ac circuitiones instituere, cum iis ad amoenos hortos, ad Thessala tempe exspatiari, ibidemque se recreationibus, lusibus, exercitiis in se non illicitis oblectare? *Resp.* 1. Ad quasvis quaestiones nec semper, nec ita promtè respondendum; praesertim si juste praesumere possimus, quaesitores tales esse ἐμπαίκτας (2 *Petr.* 3. *vers.* 3.) aut ex eorum numero, quos canibus & porcis comparat servator *Matth.* 7. aut ex numero stultorum, de quibus *Proverb.* 26. 4. *Ne responde stulto secundum stultitiam.* Aut ex numero semper discentium, nunquam ad cognitionem veritatis pervenientium 2. *Timoth.* 3. *v.* 7. Cum enim facta sint infinita, ac propterea omnes tam expediti tam perspicaces non sint ad quoscunque casus secundum particulares circumstantias stante pede tam accuratè & prudenter determinandos, ut captiosas cavillationes & sannas sophisticorum ἐμπαίκτων effugere queant: praestat à responsione supersedere. Questiones μώρας fugere docet apostolus 2. *Tim.* 2. *v.* 23. *Tit.* 3. *v.* 9. quae contentionem pariunt. 2. *Nonnunquam* tamen respondendum, cum tales aut similes quaestiones ab ignorantibus aut infirmis, aut etiam à viris, quibus responsum negari non debet, proponuntur. Ex. gr. si proponantur illae quaestiones quas audivi aliquando Candidatis ministerii & vocatis ministris propositas fuisse, An si domus incendio corriperetur ex eâ liceret fugere? An liceret ambulare? An cum aliquo domi ipsius panem edere? An ministro praxin medicam inter suos ex necessitate & caritate exercenti, urinam eo die delatam inspicere? Quae ineptae & stolidae quaestiones tacitè videbantur culpare aliquos aut suspectos facere, quasi omnia illa absolutè illicita esse contenderent. Quod si ergo casus incidat, quo non risu, aut indignatione, aut rejectione, aut quaestione quaestioni oppositâ, sed seriâ & directâ responsione quaesitori occurrendum sit, distingues breviter: si nulla sit necessitas (quae gradibus variatur) non esse ab omnibus & singulis ista omnia supra enumerata, aut conjunctim, aut divisim agenda: nedum ut in diem Dominicum reserventur, cum ante aut post eum commodè, immo commodius ea agi possunt. Sin necessitas aliqua sit, idque sine praeviâ voluntariâ negligentiâ, jam casus hic talis est, ut in eum non cadat profanatio Sabbathi. Quin [pag. 1270] etiam positâ hominum culpandâ negligentiâ aut oblivione, nihilominus quaedam ex illis agenda essent, siquidem occasio & necessitas id exigeret. E. gr. si quis oblitus esset panem, aut frugalissima obsonia casei, halecis, frusti carnis, &c. emere, aut pridie non potuisset emere defectu nummorum. Plerisque obsoniis ad primam & secundam, ut & bellariis ac dulciariis ad tertiam mensam pertinentibus (quae *Scriptores de re coquinaria*, & *Platina libris decem de honestâ Voluptate*, obsoniis, condimentis complexi sunt) homo facile carere posset unico illo die, suaeque hoc negligentiae imputare: non esse ergo, quod tali in casu iis parandis atque emendis venditorum atque artificum Sabbathum interturbet. Quod si sint aegroti, puerperae, gravidae, &c. quibus ista emuntur: jam reducitur haec pragmatia ad opera misericordiae & necessitatis. Secus se res habet si fiant deliciantis animi

animi & voluptatis causa. De sinapi, sale, vino adusto, aceto, ligulis, aciculis, &c. posset talis casus incidere, ut non esset illicitum ea emere: sed nemo studio in diem illum ordinariò emtionem istorum re servare debet, aut promiscuè quovis die sive Dominico, sive alio emtionem & venditionem eorum pro re natâ, aut prout cuilibet in mentem venit, exercere. Qui huic cacoëthi assuescunt aut patrocinantur, ostendunt se ignorare vim τοῦ *memento diei Sabbathi*, &c. Quodsi excipiat quis, Unam hirundinem non facere ver, nec unius hominis unam actionem transeuntem in emendo e. gr. aceto, aut vino adusto, aut squillâ, aut succo limonum, aut saccaro, aut uvis passis &c. turbare Sabbathi sanctificationem. Sed regero, non esse quaestionem de uno individuo facto τοῦ δεῖνα (quod tamen pro suâ parte in tantum turbat.) Sed an cuivis Christiano conveniat illo die aeque ac alio res illas aliasque centenas, extra casum necessitatis, emere. Si quis ajat, jam intervertit totum Sabbathum venditorum & artificum: illi enim ad universum hoc vendendi munus pro omnibus urbis & agri subjecti incolis ilico se alligatos, & totum diem sibi perditum sentient: utut singuli emtores, ratione τοῦ δεῖνα vendentis piper, aut acetum, aut saccarum, aut uvas passas, aut lactucam, &c. sibi tantum partem, aut particulam diei intervertant. Sed si singulae familiae in aliquâ urbe degentes, cum rusticis in suburbio & agro ejusdem urbis omnem cibum, omnia obsonia, omnia condimenta, omnia bellaria, omnem potum & liquorem, omnia ad culinae, & foci calefactionem, ad domus purgationem, ad vestitum & ornatum corporis, sive necessaria sive utilia, illo die sibi comparare instituerent, viderent singuli, si non totum, saltem magnam diei partem exercitiis pietatis impendendam sibi subtractum iri. De ambulatorum curruque & navigio volantium, domi suae in triclinio aut foris in hortis convivantium & ludentium, saltantium, [pag. 1271] venantium delitiis, non est quod verba faciam. Si qui sint hâc in parte Judaizantes (de quo supra) iis meliorem mentem precamur; ut perditorum Judaeorum pseudo-sabbathizatione relictâ, semel Dominicum diem cum Christianis religiosè servent. Casus necessitatis hic exceptionem non facit: nisi fortè aestuantes hypochondrii vapores, aut morsus tarantulae aut aliquid aliud malum, promptam animi & corporis recreationem & exercitationem requirat, quae sine periculo in crastinum differri nequeat. XVII. An recreationes publicae chorearum, & similium lusuum (quorum supra meminimus) populo concedendae sint: ut populus tantò melius hâc concessâ libertate in Religione reformatâ stabiliatur, & à Papismo avertatur? *Resp.* Tale quid Sabbatbi profanationibus praetexit Francisc. White Episc. Eliensis in tract. Anglico de Sabbatho a. 1635. p. 266. ubi sic loquitur: *Hoc videtur mihi primum fuisse motivum principibus nostris, ut populo quasdam recreationes legibus nostris non prohibitas diebus festis concederent. Nam si secundum principia Puritanorum ab omni recreatione cos cohiberent: dies festus aeque ingratus ipsis adveniret ac dies operarius: Posset insuper animis populi praesentis Religionis fastidium ingenerare.* Sed nusquam Deus docuit, ut mundo & moribus πατροπαραδότοις in Papatu receptis nos conformando homines à mundo & Papatu abalienaremus. Audi Apostolum Rom. 12. vers. 2. *Ne conformamini*, &c. Et Augustinum de verbis Domini, Serm. 6. *Si quaeritis unde vineantur Pagani, unde illuminentur, unde ad salutem vocentur. Deserite omnes solennitates ipsorum, deserite nugas eorum; et si non consentiant veritati nostrae, saltem pudeat.* In tales carnales recreationes diebus Dominicis exercitas invehuntur ex Patribus *Clemens Alexan-*

an-

andrinus lib. 3. *Paedagogi cap.* 11. *sub finem. Augustinus de consensu Euangelic. lib.* 2. *cap.* 77. & *in Psalm.* 32. & *tract.* 3. *in Johannem. Cyrillus Alexandrinus in Johannem lib.* 8. *cap.* 5. Quin & ipsi Pontificii Doctores contra suos hic contestantur. Ferus in Exodi 32. *Sedit populus ut comederet, & biberet, surrexit autem ludere. Hic fuit cultus eorum vere Paganicus, qui tamen apud nos nunc solus observatur in Festis. Nihil enim aliud agimus in Festis nostris. Bellarminus Conc.* 6. *in Dominic.* 3. *Adventus, & in Conc.* 9. *de Dominicâ Quinquages.* apertè in easdem Sabbathicas recreationes declamat. Docuit etiam tristis experientia, & loquuntur acta & historiae Anglicanae, quantum religio & pietas reformata per edicta & scripta pro libertate seu licentiâ chorearum & similium recreationum, profecerit, & Papatus defecerit. Ad cumulum miseriae accedebat, quod edictorum illorum è Cathedrâ praelectio Ecclesiarum Pastoribus passim imponebatur: adeo ut Episcopo alicui papaturienti, aut κοσμικῷ, quandocunque liberet mandatum illud exequi, proclive esset Ministros ob [pag. 1272] Orthodoxiae aut pietatis zelum, aut quamcunque aliam ob causam sibi minus gratos objectâ tentatione praelectionis, in casu recusationis loco movere. XVIII. An actiones & spectacula comoediarum, concedenda sint? *Resp. Aff.* Balduinus lib 2. Casuum cap. 13. cal. 6. *Nihil obstat, quo minus die Dominico spectari possint, finitis sacris, praesertim Biblicae, quae sensibus animi fortius imprimuntur, quam quae per aures demittuntur.* Nos de Comoediis alibi ex professo agimus, in *Dispp. de Excelsis mundi.* Cum autem sint ex eorum numero, quae ad minimum sonant in malum: velimus saltem dies Dominicos ab iis immunes esse. Ecclesiae Belgicae diu multumque contra ejusmodi profanationes laborârunt: non sine fructu. In Biblicis comoediis ut plurimum majorem invenimus difficultatem, quam in aliis, quae saeculares historias & actiones repraesentant. De quo in *nostris Dispp.* modo *cit.* Ministri modo Christum crucifixum illo imprimis die suis ante oculos publicè privatimque ex fontibus Israëlis depingant; & necesse non erit ex pumice histrionum aquam vitae exspectare. Vide *Galat.* 3. *vers.* 2. cum 4. *vers.* 19. & 1. *Corinth.* 1. *vers.* 21—26.

3. Respondeamus nunc ad Problemata aliquot magis Philologica aut Historica; quorum I. An apud Extraneos fuerit aliqua Sabbathi hebdomadalis notitia, & unde? *Resp.* ad *primum, Aff.* illud *Clemens Alexandrinus Stromat.* 5. *pag.* 438. ex Hesiodo, Homero, Callimacho, quae eadem ex Clemente describit *Eusebius praepar. Euangel. lib.* 13. *cap.* 13. Ex recentioribus agnoscunt illud *Mercerus in Genes.* 2. *Daneus, Amesius,* qui videndi. Contra *Gomarus cap.* 4. *de Sabbatho, pag.* 42. 43. disputat hallucinatos in eo Clementem & Eusebium. Sed *Heraldus ad Tertullianum apolog. cap* 16. & post illum *Amesius disput. de Sabbatho,* imprimis *Rivetus dissert. de Origine Sabbathi cap.* 5. advocatis aliorum testimoniis, probat diem septimum Gentilibus fuisse sacrum. Adde & Mahumedistas Sabbathum hebdomadale servare die Veneris, quod in illum inciderit fuga Mahomedis ex Mechâ; unde hebdomadem & annum suum inde inchoant. Et est haec communis fere sententia non tantum Patrum, quos citat *Rivetus*, sed & Judaeorum, qui gloriantur septimum diem interipsos Gentiles celebrem fuisse. Vide praeter *Josephum* & *Philonem* ab *Heraldo* & *Amesio cit.* recentiorem Judaeum *R Isaac* Atiam à *Riveto cit.* & *R. Eliahu Vitalem* cit. à *Menasse ben Israel qu.* 35. *in Exod.* Ad *secundum Resp.* non videri hoc collegisse Gentiles ex lumine seu Theologiâ naturali, sed ex reliquiis doctrinae Patriarcharum

charum de manu in manum traditis, aut ex κακοζηλίᾳ Judaeorum, aut ex utrisque. Hinc tamen solidum argumentum pro Sabbathi institutione ante lapsum educi non potest, nisi probetur Gentilibus hunc diem sacrum fuisse, ante Legem latam, *Exod.* 20. Sed [pag. 1273] an hoc probari possit, penitius considerandum esset. Certè, quae modo allata, hoc non efficiunt. Notum est ex literatis Gentilibus saeculum ἄδηλον; & quod Scriptores, qui etiamnum extant, ultra bellum Trojanum vix assurgant. Ut hinc videamus quam difficile sit cum *Daneo* primi mundi antiquitates eruere II. An ex articulo praepositivo ה solidè probari possit in quarto Praecepto designari diem septimum à creatione. *Resp. Neg.* Ut in Graecis sic nec in Hebraicis ex articulo (cujus usus variat) demonstratio Theologica frabricanda est. Ex articulo Graeco ὁ *Bellarminus de Pontifice lib.* 3. *cap.* 1. probare conatur Antichristum fore personam singularem. Ei responsum est ab *Antagonistis*: qui videndi. Porro de vario usu articuli praepositivi apud Graecos memini fusè actum à Viro linguae Graecae callentissimo *Frid. Sylburgio*, *in Syntaxi Graeca*, quam Grammaticae suae Graecae Rameae subjunxit. Ne autem usum articuli Hebraei Grammaticè explicando, chartam impleam, remittimus Studiosos ad *Thesaurum Buxdorfii lib.* 2. *cap.* 5. III. An Abassini, qui dicuntur observare Sabbathum Judaeorum una cum die Dominico, sint haeretici Sabbatharii? *Resp.* Non arbitramur. Quia verò non satis certo explorata nobis est fides eorum, (nihil enim habemus, nisi relationes Pontificiorum, qui sunt adversarii eorum, & saepe infelices Historici) dicere non possumus, quo fine retineant Sabbathum. Interim, dum certiora nuntientur, malumus credere illos Sabbathum observare tantum ut circumcisionem, de quâ sententiam nostram diximus *Disput. de Articulis fundamentalibus in Coroll.* Illos autem putamus gravius errare, qui in tantâ luce Euangelii contendunt diem Dominicum non observandum, sed Sabbathum Judaicum, quales sunt non tantum obscuri quidem & ἀπαίδευτοι, sed etiam viri, ut puto, literati, Theophilus Braburn; sed qui palinodiam cecinit: & contra quem scripsit *Franciscus White* Episcopus Eliensis *in tract. de Sabbatho;* & *alter* dictus *Traskus*, cujus opinionem de Sabbatho & delectu ciborum Judaico refutavit *Lancelotus Andrews* Episcopus Wintoniensis *in Oratione habitâ in Camerâ stellatâ*: quae cum postumâ operum quorundam editione Londinensi prodiit anno 1629. IV. Quid de fluvio Sabbathico, de quo *Joseph lib.* 7. *de Bello Judaico cap.* 24. in Graecâ edit. cap. 13. Plinius lib. 31. cap. 2. *In Judaea rivus Sabbathis omnibus siccatur.* Et *Elias in Thisbi*, qui mysticas fabulas ex Judaismo suo addit. Et *Thalmudici à R. Menasse cit. Resp.* Esse fabulam Judaicam & Plinianam. Vertigines & contradictiones Autorum detexit egrigiè *Fullerus Miscellan. libr.* 1. *cap.* 9. Eandem fabulam merito explodit eruditissimus *Cunaeus libr.* 2. *de Republicâ Hebraeorum*, *cap.* 24. Eam tamen reponit nobis *R. Menasse ben Israel*: qui *quaestione* 36. *in Exodum* [pag. 1274] duo dicit esse testimonia Sabbathi à Deo sanctificati; *prius lumen Sabbathicum, cujus mentio fit in Talmude*, &c. R. Mose Gerundensis *vult, fluvium hunc esse* Gosan, *ad quem decem tribus captivae abductae sunt*, &c. *Alterum Sabbathi testimonium est, quod eo die Magi & praestigiatores (uti ipsi confitentur) nullo modo pravas & nefarias artes suas exercere possunt.* Nos de eodem fluvio in transitu quid diximus 1. *part. select. Dispp. pag.* 659. & *part.* 2. *tit. de conversione Jud.* Confer infra in fine hujus §. V. *An* Israëlitis sub V. T. magis aut minus prohibitum fuerit pugnare in hostem die Sabbathi, quam Christianis die Dominico?

nico? *Resp. Neg.* Quia si illis non magis prohibitum fuit sanare & servare hominem aut jumentum, *Matth.* 12. *Luc.* 13. quam Christianis: ergò nec pro vitâ & fortunis justè pugnare occasione, & necessitate ita ferente: Perperam ergo prohibitio pugnae ex 1. *Machab.* 2. *vers.* 34.—39. tanquam argumentum adfertur ad probandam rigidiorem Sabbathi observationem, ad quam Judaei supra Christianos putantur obligati fuisse. Factum enim particulare quorundam merae ignorantiae & superstitioni adscribendum: quod tamen *ibidem vers.* 40. 41. improbatur. Similiter judicandum est de facto Judaeorum apud *Flavium Josephum lib.* 14. *de bello Judaico cap.* 8. ubi ab omni offensione abstinebant, nec turres & fossas diebus Sabbathi à *Pompejo* exstructas diruebant. Quasi eruptio in hostes obsidentes, & demolitio turrium non pertineret ad necessariam defensionem. Serrarius in Commentar. ad lib. 1. Machab. cap. 2. pag. 423. negat fuisse in hoc facto *imprudentiam propriè dictam*, aut *vituperatione dignam inscientiam.* Rationem hanc adfert, *quia tunc omnibus ea opinio de custodiendo Sabbatho fuisse videtur.* Sed popularis error, aut communior imperitae plebis opinio, factum eorum non excusat. Lex divina & sapientes debuissent audiri: quales non defuisse, colligi potest, ex proelio inter Judaeos & Parthos die Sabbathi commisso (*Joseph. lib.* 18. *cap. ult.*); & ex sententiâ Anilaei Neerdatae (ibid.) quâ statuebat: *legi magis consentaneum esse vires ob necessitatem exercere, armaque corripere*, &c. Videtur ipse Josephus ab errore illo populari non alienus fuisse *lib.* 2. *cap.* 32. Maymonides in *Hallach a melachin cap.* 7. attribuit Judaeis, quod Paganorum (כותים) urbes cum Sabbathum est obsident, & proelium cum iis conserunt. Quod cum narratione Josephi, & testimonio Senecae apud *Augustin. lib.* 6. *de Civ. Dei, c.* 11. & Agatarchidis apud *Joseph. lib.* 12. *c.* 1. vix convenit: nisi tempora distinguas, cum quibus mutatis hominum mores & opiniones mutantur. VI. Quid judicandum de Abassinis; quos diem Saturni aeque ac Dominicum servare testatur Jesuita *Guodignius lib.* 1. *de reb. Abassin. c.* 24. *Scaliger lib.* 7. *de Emend. p.* 694. 696. *Resp.* Crassa ignorantia in his aliisque ipsorum moribus & ritibus excusari non potest. [pag. 1275] Remansit id fortè ex pravâ imitatione primorum apud ipsos Christianorum, qui ne offenderent Israëliticae Religionis consortes (quos illic non defuisse, vel ex *Act.* 8. *v.* 27. constare potest: ut historias & relationes Abassinorum nunc praetercam) in illâ primâ mutatione diem illum servârunt, donec cum aliis ritibus Judaicis paulatim memoria ejus evanesceret, & honestè sepeliretur. Dici etiam posset, eos illum servasse, non tantum propter Israëliticae Religionis indigenas & advenas illic commorantes: sed etiam ut aliis Ecclesiis Orientalibus se conformarent; apud quas diem illum servatum fuisse, proximè *sequenti quaest.* notabimus. Quidquid hic factum fuisset à majoribus in primâ ad Christianismum per Apostolos & Apostolicos viros conversione; postea tamen stabilito Christianismo, & Judaeis satis superque jam convictis ac totaliter rejectis, & ritibus Judaicis honestè sepultis, nec circumcisio, nec Sabbathum Judaicum amplius servari debuisset. Et si tunc nimia συγκατάβασις obtinuisset, jam saltem nulla Sabbathi memoria, aut conscientia superesse debebat. VII. An excusari possint, qui in antiquâ Ecclesiâ Sabbathum Judaicum diu post convictos Judaeos & templum eversum observârunt: hâc tamen sub distinctione, quod non ut Sabbathum Judaicum, sed ut Christiani Sabbathi παρασκευὴν, tum exclusione jejunii, tum sacris conventibus, & publicis Scripturae lectionibus illud celebrarent. *Resp. Neg.* Quidquid enim distinguatur, populo

populo jugum imponitur, quod Deus non imposuit. Moliti sunt nonnulli Romae hoc imitari sub Gregorio Magno; uti constat ex ejus epistolis citatis à *Baronio ad annum* 603. §. 17. Consilium Laodicenum huic superstitioni Canonem suum 29. opposuerat: sed nescio quam prudenter can. 16. decreverit: *Quod oportet in Sabbatho Euangelia cum aliis Scripturis legi.* Quare magis illo die publici conventus & exercitia publica, quam alio quovis? Nam talis παρασκευὴ incurrit in speciem symbolizationis cum Sabbatho Judaico: praesertim cum jejunia prohiberentur; quod festi & diei boni praxin sapit. Saltem hinc videmus, quo perverso zelo, immo quo dolo malo infarcta sint haec Judaizantia *Epistolae Ignatii ad Magnesianos.* Et quantum epistolis illis tam corruptis tribuendum sit: imprimis *Pseudo-Clementi,* qui exsertè Sabbathi festivitatem praescribit, *lib.* 7. *constitut. Apostolic. capp.* 24. 33. 36. 37. Vide de hoc disserentem *Usserium in Prolegom. ad Ignatii Epistolas cap.* 11. & 13. Et *Vedelium in Exercit. ad epist. Ignatii.* VIII. An Pontificii ab omni symbolizatione cum Judaismo immunes sint? *Resp. Neg.* Ut enim in aliis multis (de quibus *alibi* & *suis locis*) sic & hic quodammodo Judaizant in extensione feriationis diei Dominicae à vesperâ diei Saturni usque ad vesperam diei Dominicae, juxta decreta juris Canonici, *de consecrat. dist.* 3. *c.* [pag. 1276] *pronuntiandum*, & dist. 75. c. *Quod à Patribus.* Et *Extravag. de Feriis c.* 1. & 20. Praeterea in Vigiliis suis seu festorum παρασκεύαις, quae à vesperâ praecedente inchoantur: de quibus infra. Pariter in observatione *Sabbathi* (quem ita appellant) quatuor temporum: de quo *Durantes lib.* 6. *Rational. divinor. offic. tit. de Sabbatho.* Insuper in observatione *Sabbathi sancti* (sic appellant) *Paschae:* de quo idem *lib. cit.*, & *Christoph. Marcellus* Archiep. Corcyrensis in *Ceremoniali Romano lib.* 2. *c.* 57. *pag.* 229. 233. Quid multis haec specimina conquiro, cum Innocentius III. decreverit vivendum esse in Novo Testamento secundum legem Judaicam, prout illa in *Deuteronomio* proponitur: argumento scil. desumto ex Etymologiâ vocis *Deuteronomii.* Frustra *Bellarminus* Aethiopem hunc lavare annititur *lib.* 4. *de Pontif. cap.* 14. Inspiciatur modo locus, & mala fides ac detorsio Bellarmini apparebit. Sed his omissis omni exceptione major est convictio ex perpetuâ observatione Sabbathi hebdomadalis B. Mariae. Diem Sabbathi dicavit B. Virgini *Gregorius VII. in Concil. Romano anno* 1074. & *Urbanus II. in Concil. Claraemontano anno* 1096. Hinc hodie officium & missa in Sabbatho B. Virginis sunt praeceptiva, seu in Praecepto, non votiva, hoc est, merè voluntaria, quae ad libitum fiunt sine peccato: uti hoc probat *Gavantus in Thesauro sacrorum rituum tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 4. & *tom.* 2. *sect.* 8. *cap.* 6. Si quis nolit hujus Sabbathi mysteria ex Annalistis, vitis Pontificum, Actis Conciliorum, Marialibus operosè inquirere, is legat *Librum de Sabbathismo B. Virginis* latinè conscriptum ab *Augustino Wichmans* Praemonstratensi in Tongerlo, postea ibidem Abbate, viro per alterum quoddam superstitiosissimum & operosissimum scriptum tit. *Brabantia Mariana* in Belgii partibus satis celebri. Scriptum illud de Sabbatho Mariae Antwerpiae in 8. excusum apud Gul. de Tungris anno 1628. Idem in Belgicum idioma translatum dedit *Matth. Guilielmus Druenensis in eodem monasterio religiosus.* Exhibeo hic Lectori, qui fortè istarum rerum curiosus, exemplar libri non vidit, pauculas has gemmas. Ex Epistol. Frycii Puteani Philologi & Historici Lovaniensis: *Tibi primum in mentem venit sabbathismum Marianum celebrare. &c. Exulent igitur Deorum nomina; in laterculum dierum Mariae recepta est: cujus sanctissimi*

ritus

ritus originem & utilitatem à te discimus, cum jam omnia in sacrâ antiquitate eruta, explicata, illustrata viderentur. Tibi ista laus debetur. *Cap.*2. dicit, Judaicum sabbathum abrogatum esse, quod esset umbra futurorum; & in locum ejus successisse Sabbathum B. Virginis, &c. Vix enim esse, qui nesciat diem Sabbathi cujusque septimanae dedicatum esse sanctissimae matri Domini: illo enim die per universum Christianismum peculiari modo & more coli. Ibidem post rejectas Baronii, Durantis, Antonini, [pag. 1277] Genebrardi opiniones concludit ab Apostolorum temporibus institutum esse Sabbathum Mariae. *Cap.* 3. inquirit in causam hujus Sabbathismi; & rejectâ cum *Bellarmino lib.* 3. *de Eccles. milit. cap.* 17. opinione Antonini, Alensis, Durandi, Turrecremata, fidei Mariae, quae sola scil. perstitisset in cognitione Deitatis Christi, quam discipuli omnes amiserant, honorem hunc Sabbathismi adscribentium, propriam sententiam depromit, de verâ causâ, martyrio scil. Mariae, quod illo die passa est, adeò ut Commartyr fuerit Christi, secundum *Disputationem Zwarezii ad* 3. *tom.* 2 *qu.* 37. *art.* 4. *disp.* 21. *sect.* 4. *Cap.* 4. refert sanguinem Christi in Cruce effusum in Phialam à B. Mariâ collectum, nuper demum sub Clemente VIII. Romae inventum. *Cap.* 5. meminit Bullae cujusdam Sabbathinae. *Cap.* 6. Mariam facit supremam Cancellariam, quae literas merae gratiae & misericordiae expedit: Michaëlem secundum Cancellarium, qui literas justitiae: B. Petrum tertium, qui justitiae & gratiae. Atque haec de Pontificiâ symbolizatione cum Sabbatho Judaico. Ut jam non dicam, de absurdis modo memoratis in Canon. Apostol., & Constitutionibus Pseudo-Clementis, deque infarctis in Ignatium (siquidem is illarum epistolarum genuinus autor sit: de quo ego dubitare malim, quam certi quid statuere): quae illi tam diu praestare tenentur, quamdiu ὑποβολιμαῖα ejusmodi scripta tanquam sancta, & antiqua, venditant, nobisque obtrudunt, quoties hypothesi ipsorum inservire videtur. Unum tamen praeterire nolo, de Rogerio Bacone inter Doctores ipsorum celebratissimo. Hic circa annum 1280. Minorita Oxoniensis, Judaeorum more die Saturni feriandum censuit, quod segne ac tardum Saturni sidus (unde hic dies denominatur) non sit felix ac idoneum rebus agendis. Ita refert *Vossius lib.* 2. *de Idololatriâ cap.* 34. non indicato libro *Baconi.* Fortè in *Compendio studii Theologiae.* Sed haec superstitionibus Astrologicis adscribenda; quibus deditum fuisse Rogerium negari nequit. Legantur modo quae ex ipsius *Compendio studii Theologiae citantur* à duobus doctissimis Principibus Mirandulanis *Johanne Pico*, & *Johanne Francisco Pico:* illo *lib.* 1. *contra Astrologos, pag.* 284. Isto *lib.* 2. *de Praenot. cap.* 5. & *lib.* 7. *cap.* 2. imprimis *cap.* 7. *libri ipsius de Prognosticis ex siderum cursu, de regiminibus coelestium, de Necromanticis imaginibus*, &c. *à Gesnero in Bibliothecâ* enumerati parum boni polliceri videntur. Purgat eum à nefariâ magiâ *Seldenos Syntagm.* 1. *de Diis Syris, cap.* 2. *pag.* 32. & *Gabriel Naudeus in Apologiâ Gallicâ doctorum Virorum*, qui injustè *de Magiâ* suspecti fuerunt, *cap.* 17. Directam magiam si intelligant, posset in medio relinqui; sed ab indirectâ seu superstitione (uti Casuistae Pontificii appellant), purgari non potest. Et hoc non obscurè fatetur *Delrio* [pag. 1278] *lib.* 1. *Disquis. cap.* 3. *qu.* 1. Nec video hactenus Johannis Francisci Pici, qui libros Baconi legerat, accusationem à quoquam deletam. Videt lector, quomodo Praxi Apostolicae Ecclesiae, si quae fuit, in abstinentiâ à labore propter scandalum Judaeorum, nondum satis convictorum, de mutatione Sabbathi in diem Dominicum, (uti etiam factum in abstinentiâ à suffocato,

 &

& sanguine, *Actor.* 15.) abusi sint posteri, primo Sabbathi feriam continuantes & jejunium interdicentes: quod nescio propter quos haereticos factum volunt. De quo videndi *Vedelius* & *Usserius loc. cit.* Postea feriatione interdictâ in Concil. Laodiceno, synaxes tamen & publica Religionis exercitia praecepta sunt. Saeculis aliquot post jejunium in Ecclesiâ Romanâ indictum, exceptis Sabbathis quadragesimae, *Concil. Roman. sub Gregorio VII.* Denique, ne quid deesset, abstinentiam à carnibus aliud Concilium Romanum imposuit. De quo *Cap. Quia dies. dist.* 5. *de consecr.* Restarent adhuc alia nonnulla, ad Philologiam & antiquitates sacras pertinentia, sed ne modum excedamus, & ab aliis eruditissimis Viris satis superque de his disquisitum fuit, abrumpo, commendatâ lectoribus collatione sequentium Autorum. 1. *De Sabbatho* δευτέρῳ πρώτῳ *Luc.* 6. *Beza, Drusii*, &c. *in Notis ad locum cit. Constant. l'Empereur in Notis ad Benjamini Tudelensis itinerar. pag.* 223. *Hospiniani de Ori gine festorum, fol.* 8. *Scaligeri de Emendatione temporum, lib.* 6. *p.* 557. *Azorii in Theologiâ morali tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 1. *qu.* 9. *Joh. Lightfootii* Theologi Oxoniensis, qui studiis suis Thalmudicis Philologiam & Historiam sacram nuperrimè insigniter illustravit, editâ Anglicè *Harmoniâ Euangelistar. in fol.* & Latinè *Horis Hebraicis & Thalmud.* impensis in Euangelium Matthaei, in 4.; ibi ad 12. *cap.* 2. *De crastino* Sabbathi, *Levit.* 23. *Hospiniani lib. cit. fol.* 19. & *Willeti in Commentar. ad. Levitic.* 23. 3. *De Itinere* Sabbathi, *Actor.* 1. praeter notas & commentar. ad locum, *Seldeni lib.* 3. *de Jure naturali & gentium, cap.* 9. *Christophori Cartwrighti in notis ad Exod.* 16. *Martin. in Onom.* 4. *De differentiâ* inter Sabbath & Sabbathon, *Hospiniani fol.* 14. & *Fuller. lib.* 2. *c.* 10. & de nomine Sabbathi, fusè *Martin. in Onom.* 5. *De Sabbathico* fluvio, qui quibusdam idem cum fluvio *Gozan*, autores seu fabulatores Judaeos indicat *R. Menasse ben Israel sup. cit.* Conferendi imprimis ex nostris *Buxdorf. in Lexico Chald. Rabbin. in Rad.*, סבח & *Const. l'Empereur in notis ad Benjamini Tudelensis itinerar. p.* 206—210. *Math. Martinius in Onom.* Adde *Esdrae Apocr. lib.* 4. *c.* 13. *v.* 40—48. Aliud naturae miraculum in Palaestinâ quamvis huic affine, refert *Fl. Josephus lib.* 7. *bell. Jud. cap* 13. de fluvio sex diebus à fontibus deficiente. Aliud item in Siciliâ, quod refert *Geographus Nubiensis part.* 2. *climate* 4. *pag.* 173. de fonte qui fluit tempore precum, & extra illud [pag. 1279] arescit: qui ideo dicitur fons temporum. *Constant. l'Empereur in notis ad Benjaminum* studet verisimilem hanc narrationem praestare, explicando tempus publicae orationis Muhammedistarum, tanquam mensuram fluxus temporis: sed locum autoris inspicienti vix fiet verisimilis haec interpretatio. Praeterquam quod Geographum illum fuisse Christianum, non improbabiliter evincunt *Gabriel Sionita* & *Johannes Hesionita in Praefat.* ad suam ex Arabico translationem. Fabulosum fluvium Sabbathicum ex *Josepho lib.* 7. *cap.* 24. dictionariis suis Geographicis inseruerunt *Ortelius* & *Philippus Ferrarius.* Prior tamen hunc à *Josepho* & *Plinio* in Syriâ collocatum ab altero fabuloso fluvio Sabbathico circa fines Aethiopiae ex lapidibus & arenâ constante (juxta *libellulum Eldadi Danii*), aut in Mediâ, (juxta *Seder olam*) exsertè distinguit, quem *R. Mose ben Nachman* eundem esse dicit cum *fluvio Gozan.* Sed hunc esse circa Mediam ex 2. *Reg.* 17. & 1. *Paralip.* 5. colligitur. Eundem Benjamin Tudelensis *Gozen*, *Constantinus Porphyrogeneta in Thematibus Imperii Orientalis Goezanum* appellat, & in minori Armeniâ collocat. Fabulas Judaicas refutant praeter *Fullerum* supra indicatum, *Galatin. de Arcanis Cathol. verit. libr.* 11. *cap.* 9.

Fagius

Fagius in notis ad targum Deuter. 31. *Fr. Junius in notis marginalibus ad locum Apocryphum Ezrae modo cit.* 6. *De Sabbath Judaici* & septimi diei, tum observatione, tum sycophanticâ derisione apud Gentiles, videantur *Cunaeus de Republ. Hebraeor. loco supra cit. pag.* 334. *Jacobus Gothofredus ad libr. Tertulliani ad nationes cap.* 13. *Raderus in illud Martialis.* Et *Jejunia Sabbathariorum. Heraldus ad apolog. Tertull. cap.* 16. *Gomarus in tract. de Sabbatho*, imprimis *Seldenus lib.* 3. *de Jure naturali & Gentium, cap.* 15—20.

4. Festa divina à Sabbatho distincta, sunt vel ordinaria seu stato tempore recurrentia, vel extraordinaria. Istius generis fuit festum dedicationis Templi, 1. *Reg.* 8. 68. & instaurationis, *Ezrae* 3. Illa sunt vel latè, vel strictè & propriè dicta. Latè dicta sunt vel *laeta sed non feriata* planè, ut Neomeniae, anni Sabbathici, Jubilaea: vel *non laeta*, quamvis feriata, ut dies expiationis. Festa strictè & propriè dicta sunt, *primario solennia*, Pascha, Pentecostes, Tabernaculorum; *Secundario & minus solenne* est unicum, scil. *Tubarum*, seu *clangoris*. Quae de Festis illis quaeri possent, quia magnam partem ad Philologiam & Antiquitates sacras pertinent, Thesium nostrarum brevitas non capit. Videndi sunt Autores, qui ex professo talia explicant, quorum aliquos *priori parte hujus Disp.* indicavimus.

5. Opposita Festorum, sunt *in defectu*, tum ἀταξία, & confusio, intermissio, aut mutatio Festorum, 1. *Reg. cap.* 12. &c. tum Festorum profanatio, *Jesa.* 1. 13. *Malach.* 2. 3. In Excessu, *Pseudo-festa*, seu tempora [pag. 1280] *pseudo-sacra.* Quae sunt I. Gentilium Antiquorum: inter quae celebrata imprimis Romanorum & Graecorum. De numero, formâ, & circumstantiis eorum consulendi Philologi & Antiquarii. *Romanarum* quidem (si quis compendio studeat) *Rosinus* & *Dempsterus*, ubi & alii *Autores citantur. Graecorum* verò *Castellanus tractat. peculiari de Festis Graecorum*, & *Meursius in Graeciâ Feriatâ*, & in *Eleusiniis: Utrorumque*, *Hospinianus tract. de Festis.* Ad imitationem Gentilium celebratum fuit festum, *Exod.* 32. 5. & dies Bahalim *Hoseae* 2. 13. II. Gentilium intermediae aetatis & recentiorum. De Festis Gentilibus intermediae aetatis in Europa, & Moribus Gentium ante reformationem multa colligi possunt passim ex Authoribus, qui ritus, & religiones eorum descripsere. Inter quos *Johannes Aubanus Teutonicus, de Moribus Gentium*, & *Polydorus Virgilius de Inventoribus rerum.* De hodiernorum Gentilium in Japoniâ, Chinâ, Americâ, seu novo orbe Festis consulendi Historici eorum; ex quibus quaedam collegit *Hospinianus lib.* 3. Confer *part.* 2. *select. Dispp. tit. de Gentilismo*; ubi plures *Autores* indicantur. III. Festa Judaeorum recensent ipsorum *Seder Gnolam* & *Calendarium à Munstero* editum, *pag.* 148. 149., & *Computus a Genebrardo* latinè versus, & *Comment. in Psalmos* praefixus; Idem *Computus cum versione &* doctissimis *Scholiis* editus *à Scaligero de Emendat. Temporum lib.* 7. Ubi dividit Festa illorum in legalia & politica. *Legalia* vocat, quae instituta sunt speciali mandato Legis. Quae tamen quatenus post abrogatam legem ceremonialem aut olim aut hodie à Judaeis observantur propriè dicenda sunt ἄνομα, & apostatica. Praeterquam quod modum celebrationis eorum non ex antiquo legis praescripto peragant, sed ex stolidâ suâ superstitione, de quâ *Buxdorfii Synagoga Judaica cap.* 12. 15. 16. 19. 20. 21. *Politica* vocat quae consensu Ecclesiae inducta & recepta: Eaque vel ex lege, vel ex eventu. *Ex lege* sunt quatuor, i. e. βαϊωφόρος, septima σκηνοπηγίας: de quâ *Johann.* 7. 37. 2. Octava tabernaculorum. 3. Festivitas legis. De cujus Ritibus

Bux-

Buxdorfius cap. 22. 4. Jejunium Tamuz, de quo *Zachar.* 8. 19. *Ex eventu* sunt, partim *ante Ezram* quatuor. 1. Jejunium Godaliae, *Zachar.* 8. 19. 2. Jejunium Tebeth. *Ibid.* 3. Phurim. *Ester.* 9. & 2. *Machab.* 15. 4. Jejunium ab *Zachar.* 8. 19. Partim tempore *Ezrae*, & post 1. Encaenia Machabaei. 2. Festivitas Iiar. 3. Festivitas Adar. Quae utraque abrogata. 4. Xylophoria itidem abrogata; de quo festo fusè disserit *Samuel Petitus lib.* 4. *variar. lection. cap.* 8. Praeter jejunia seu dies angariarum (quos vocant) quatuor jam memoratos, numerantur in computo illo adhuc 21. anniversarii, quibus non estur nec bibitur usque ad vesperam. Sunt ergo stata & anniversaria Judaeorum jejunia, 25. IV. Samaritarum [pag. 1281] festa legalia eadem esse cum Judaicis, colligi potest ex *Computo* à *Scaligero* edito, & *Scholiis* ejusdem *Scaligeri lib.* 7. Pascha suum celebrassè eos post aequinoctium vernum, testis *Socrates histor. Eccles. lib.* 5 *cap.* 22. Festum tabernaculorum à septimo mense in octavum transtulerat Jeroboam, 1. *Reg.* 12. Quo tempore autem ea nunc celebrent, & an ac quaenam sint praeterea ipsis festa conceptiva ac politica ex iis, quae hactenus de rebus eorum prodita sunt, non liquet. Itaque cum Scaligero exspectabimus, donec aliquis, qui res eorum familiarius exploratas habeat, ea nobis exposuerit. Hoc saltem colligere licet ex statu Religionis eorum à Judaicâ tam longe recedentis, eos minime observare testa Judaica post divisionem decem tribuum introducta. Cum haec a. 1638. ita scripsissem, postea paulo plura de hodiernis Samaritis mihi innotuerunt, quae in 2. *part. select. dispp. in Appendice ad tit. de Judaismo* impartii. V. Saracenorum seu Muhammedistarum festa, seu dies solennes hebdomadales sunt dies Veneris; quo die ad preces in templa sua convocantur, & attentius orant; caeterum non feriantur, juxta statutum Muhammedis, *Azoar.* 72. Habent etiam festum annuum, Pascha scil., quod triduo solenniter celebrant. Religiosi ipsorum festivitates & ludos quosdam agunt, vel propter vota populi ipsis commissa, vel propter victoriam, vel propter praedecessorum memoriam. De quibus consulendi *Scriptores rerum Turcicarum;* &, si quis compendio studeat, *Hospinianus lib.* 3. *cap.* 1.

DISPUTATIO DUODECIMA.

DE LEGE ET EUANGELIO[1].

Praesuppono justam descriptionem Legis & Euangelii ex locorum communium scriptoribus alibi indicatis; unde studiosi nostri petant; nominatim de Euangelio ex Gomari locis communibus, & disputationibus: de Lege ex Apollonii peculiari tract. nuper edito. Repetitâ ergo solummodo vocum variâ acceptione, quod unicè instituto nostro inservit, aliquot quaestiones sublegam, & ad evidentiorem ac faciliorem hujus tam necessariae materiae intelligentiam, in gratiam incipientium, σὺν Θεῷ *determinabo.*

§ **1.** Vox *legis* (Hebr. תורה) notat.

I. Omnem doctrinam salutarem divinitus revelatam sive in V. sive in N. T.; & sic etiam Euangelium; omnemque praesuppositam doctrinam de Deo, ejusque creatione & providentiâ complectitur. Hinc *Rom.* 3. *v.* 27. Euangelium vocatur *Lex fidei*, oppositè ad *Legem operum*.

II. Totam doctrinam salutarem revelatam & traditatam ante adventum Christi, secundum veterem dispensationis modum; quae praeter praesupposita dogmata de Deo, complectitur legem triplicem, & Euangelium sub formâ ἐπαγγελίας. Et in hâc significatione accipi putamus *Psalm.* 1. *v.* 2. & 19. *v.* 8. 9. & passim *Psal.* 119. & *Jesa.* 2. *v.* 3. Huc referri potest metonymica acceptio *Joh.* 10. 34. & 16. *v.* 25. 1 *Cor.* 14. *v.* 13. ubi scripturam seu canonem V. T. notat.

III. Per metonymiam synecdochicam Pentateuchum Mosis, distinctum à Prophetis tum prioribus tum posterioribus, & ab hagiographis. *Luc.* 24. *v.* 44. *Rom.* 3. *v.* 21. *Act.* 13. 15.

IV. Compendium seu summam legis moralis in decalogo propositam *Actor* 7. *v.* 53. *Galat.* 3. *v.* 19. *Luc.* 10. *v.* 26.

V. Legem moralem praeceptorum cum addita sanctione praemiorum & poenarum quocunque in statu, & quocunque revelationis modo hominibus propositam; prout ab Euangelio & à gratia Dei intus illuminante ac regenerante distinguitur, seu distinctè ac separatim consideratur *Rom.* 7. *v.* 12. & 8. *v.* 3. 1 *Timoth.* 1. *v.* 8. qualis acceptio in hac materia theologis frequens est. [pag. 18]

VI. Legem moralem supernaturaliter revelatam, & scriptam, prout ea naturali legi ut non scriptae opponitur *Rom.* 2. *v.* 12. 14.

VII. Legem scriptam cum & in rigore suo, separatim ab omni Euangelii temperamento, & ab omni gratia ac spiritu Dei cum terribili illo sanctionum, comminationum, aliorumque motivorum, adjunctorum, & circumstantiarum satellitio sub

V. T.

---

[1]) *Resp.* Arnoldo Bertrant Amstelo-Bat. 23. *Febr.* 1656.

V. T. populo Israelitico propositam, repetitam, atque inculcatam, quâ tanquam intolerabili jugo conscientiae ligabantur atque onerabantur: ut tantò fortius ex seipsis & omni operum fiducia expulsi ad Christum per virgam duri alicujus Paedagogi compellantur. Non erat autem haec lex alia quod ad essentiam à lege sub N. T. proposita; sed tantum quod ad modum & circumstantias dispensationis ac propositionis. Et haec acceptio non infrequens est Apostolo. *Rom.* 6. *v.* 14. *Galat.* 5. *v.* 18. *Galat.* 3. *v.* 24. & 4. *v.* 24. *Rom.* 4. *v.* 15. & 7. *v.* 5. 2 *Cor.* 3. *v.* 7.

Vox *Euangelii* significat:

I. Omnem doctrinam salutarem à Deo revelatam, prout ea tempore novi Testamenti praedicata fuit ab Apostolis, quae doctrinam de Deo unà cum Lege & Euangelio continet; breviter omnem doctrinam canone V. & N. T. comprehensam.

II. Laetum nuntium & doctrinam continentem foedus novum, seu promissiones novi foederis, sive ante Christi adventum, sive post eundem praedicata fuerit; prout & quousque à doctrinâ legis distinguitur. 1. *Cor.* 9. *v.* 14. *Rom.* 1. *v.* 1.

III. Historiam Christi: qui vocis usus est ecclesiasticus, desumtus ut videtur ex *Marci.* 1. *v.* 1. Hinc tituli adscripti *Euangelium secundum Matthaeum*, aut *Marcum*, &c. Qui an Canonici & authentici sint; atque adeo tanquam pars textus sacri θεοπνεύστου ecclesiae praelegendi & pro concione explicandi, alibi disquisivimus in *dispp. de scripturâ.*

IV. Libros Novi Testamenti: qui usus etiam ecclesiasticus est, praesertim in Ecclesia Romana receptus.

V. Pericopas illas seu psegmata ex quatuor Euangelistis desumta, quae peculiari epitheto dominicalia vocant, quod per dominicas quasque distributa, redeunte in orbem acto labore seu mavis otio, ecclesiis proponi solent. Quae ab *Epistolis*, hoc est psegmatis textuum partim ex N. partim ex V. T. selectis distinguuntur. De concionibus ad euangelia dominicalia agimus *lib.* 2. *politicae eccles. tract.* 2.

VI. Doctrinam novi foederis, prout ea peculiariter sub N. Test. dispensatur; & ab ἐπαγγελίᾳ sub umbris & figuris in V. T. dispensari solitâ distinguitur *Luc.* 1. *v.* 69. 70. & 2. *v.* 10. 11. Et hoc theologis nonnullis vocatur *Euangelium missionis*, distinctè ab *Euangelio promissionis*; & in scriptura [pag. 19] κατ᾽ ἐξοχὴν *Euangelium Christi* Rom. 1. v. 9. *Euangelium regni Dei*, & *regni* Marc. 1. v. 14. *Matth.* 4. *v.* 23. & metonymicè à subjecta materia *novum foedus* 2 Cor. 3. v. 6.

Voces *foederis*, *testamenti*, συνθήκης, διαθήκης, hic non explicabo; quod de foederibus & testamentis propriè sic dictis, in praesenti non instituerim disquirere; sed tantum de tabulis seu de instrumentis foederis, lege scil. & Euangelio Interim praecogniti loco hic repeti velim divisionem foederis ad statum hominis spiritualem, aeternamque salutem pertinentis in *vetus, & novum*: quorum illud *naturae & creationis*, istud *gratiae & redemtionis* seu res conciliationis dici potest? *Illud* sine sponsore & mediatore, ex parte hominis obedientiae ipsius propriae innixum, constabat promissionibus tantum conditionatis? *Istud* unicae sponsoris obedientiae innixum habet etiam promissiones absolutas, *Jerem.* 31. *v.* 34. & 32. *v.* 39. 40. Porro novum foedus seu gratiae ratione dispensationis veteris & novae, distingui solet in vetus, & novum. Quae duo foedera non differunt quod ad substantiam, sed tantum quod ad circumstantiam, seu quod ad modum dispensationis, promulgationis, & propositionis. Illic enim sub umbris & figuris, futura missio sponsoris, ejusque exolutio, non

sine

sine durâ tamen & rigidâ repetitione Legis ad convictionem, non promiscuè quibusvis nationibus, sed patriarchalibus primum familiis, deinde populo Israëlitico foedus hoc propositum fuit: sed hic longè alio & meliori modo: de quo 2 *Corinth.* 3. *Hebr.* 7. & 8. *Luc.* 10.

Dicitur autem *foedus vetus*, 1. *Quia* prius fuit. 2. *Quia* jam inde à lapsu Adami, Oeconomica talis promulgatio, & secundum illud Dei cum populo suo communio obtinuit. 3. *Quia* antiquatum fuit per mortem Christi, novâ dispensatione illi succedente. Et triplice hoc respectu *novum* ex opposito dicitur novum κατ' ἐξοχὴν. Quamvis autem haec dichotomia foederis novi sit trita & satis perspicua, nihil vetat tamen ad totum plenissimè exhauriendum, dividere foedus gratiae, quod ad modum dispensandi in *vetus*, *novum*, medium, participationis scil. extremorum. *Illud* fuit jam inde à lapsu, usque ad Christi nativitatem, Johannis Baptistae & Christi ministerium: *Istud*, jam inde à morte Christi, resurrectione, ascensione, & missione Spir. s. Ubi tamen progressus, incrementum, consummatio, plenitudo dispensationis extensivè observanda. *Hoc* fuit à nativitate Christi & deinceps usque ad mortem ejus. In quo etiam successiva variatio & incrementum observandum. Magis enim oeconomica & antiqua dispensatio in inchoatione ministerii Johannis & Christi antiquata, & nova dispensatio magis promota, aut saltem omnia ad eam magis praeparata ac disposita fuerunt, quam in nativitate aut in adolescentia Christi. [pag. 20]

Consectar. 1. Hinc constat quâ cum limitatione accipiendum sit, quod vulgò dicitur, de abrogatâ Lege Ceremoniali ac dispensatione veteri, & de inchoata novo Testamento in adventu Christi.

Consectar. 2. Hinc facile responderi potest ad quaestionem. An Johann. Baptistae ministerium fuerit Propheticum an verò Apostolicum seu Euangelicum, & referendum sit ad vetus, an ad novum Testamentum; an partim ad illud, partim ad istud. Vide *Matth.* 11. *v.* 11. Confer *part.* 2. *polit. ecclesiast. lib.* 2.

§. **2**. Praemittemus quaestiones aliquot principales, ex quibus determinatio reliquarum dependet. Sit ergo:

I. *Quaest. An Euangelium tempore V. T. revelatum & cognitum fuerit fidelibus? Resp.* Nos *Aff.* ducti his argumentis I. *Argum.* Quia *Luc.* 24. *v.* 25. 27. 44. *Actor.* 10. *v.* 43. & 13. *v.* 27. 29. 32. *Rom.* 1. *v.* 1. dicitur Euangelium de Christo traditum scriptum & cognitum fuisse Prophetis V. T. & Paulus *Actor.* 26. *v.* 22. ait se Euangelium praedicando, nihil praedicasse extra Mosen & Prophetas. II. *Argum.* Quia Euangelii doctrina per omnes partes passim in libris N. T. probatur ex scriptis V. T. In uno *Matth.* 28. loca (ni fallor) allegantur. In epistolâ ad Hebraeos ex professo umbrae praefigurantes V. T. à Mose descriptae applicantur Christo. In aliis libris historicis & didacticis N. T. non pauca loca adducuntur. Quae si extra scopum & sensum Spiritus sancti detorqueri & Christo applicari quis dicat; jam blasphemis Judaeis causam tradit & scripturae N. T. autoritatem prostituit. Contra ostendunt commentatores N. T., & *Fr. Junius in parallelis*, *Spanhemius in dubiis Euangelicis*, loca illa rectè allegari atque applicari. III. *Argum.* Quia post lapsum nulla religio, nulla fides salutaris sine Christo, & sine Euangelio, in quo Christus revelatur. *Joh.* 14. *v.* 6. *Actor.* 4. *v.* 12. *Eph.* 2. *v.* 12. 13. Si ergo sacris ipsis obtigit etiam Euangelium & fides Christi ex Euangelio, quod est medium necessarium ad salutem *Actor.* 15. *v.* 11. IV. *Argum.* Quia sub V. T. pii communione foede-

foederis gratiae, Christi, fidei, salutis nobis pares fuerunt *Galat.* 3. *v.* 6. 7. 8. *Hebr.* 11. *v.* 2. 2. *Cor.* 4. *v.* 13. *Actor.* 15. *v.* 11. Haec autem in solo Euangelio revelata & promissa sunt; ergo habuerunt & fuit tunc temporis Euangelium. Sed objicitur.

1. *Object.* Atqui complures, si non plerique textus V. T. si legantur, per se de Christi persona, officio, utroque statu vix videntur accipi posse, si literalem sensum, qui solus est demonstrativus, respiciamus: nisi N. T. autoritas & explicatio accederet. *Resp.* 1. Manet saltem, certam & evidentem esse locorum V. T. explicationem, apud omnes qui Christiano nomine comprehendi volunt & autoritatem librorum N. T. admittunt: quales sunt Sociniani & Remonstrantes. Quod ad Judaeos, aliosque à fide [pag. 21] extraneos, cum illis agendum methodo hactenus tritâ & receptâ (de quâ in 1. *part. select. dispp. tit. de Adventu Messiae, & de Judaismo*); ad quam etiam Sociniani & Remonstrantes ob affectatum & assumtum titulum Christianismi tenentur. *Resp.* 2. Si concisè, nec tam evidenter atque ubertim, ac in libris N. T. ibi scripta sunt; hunc tamen genuinum esse sensum ex ordinariis non tantum doctoribus (*Malach.* 2. *v.* 7) sed imprimis etiam in casu dubitationis ex vivâ voce & extraordinario prophetarum ministerio fideles habere potuerant: cujus assistentia post excessum Apostolorum deest Ecclesiae N. T. compensata scil. per extensionem, & evidentiorem canonis, per accessum librorum N. T. consummationem: sicuti contractius & minus evidens canonis V. T. lumen, per facem prophetarum & vivae vocis oracula, aequalis scripturâ autoritatis, compensatum fuit.

2. *Object.* Non constat formulam fidei Christianae notam aut receptam fuisse Patriarchis & Ecclesiis Patriarchalibus: unde enim hoc ex primis capitibus Geneseos historiam ecclesiae jam inde à lapsu usque ad Abrahamum continentibus, probari posset. *Resp.* de formula & fide patriarcharum indefinitè ibi, collatis textibus N. T., (*Hebr.* 11. *Johann.* 8. &c.) satis historia nos edocet: sed ipsa fides eorum, seu catechesios aut confessionis formula in specie & definitè ac per partes non explicatur: hoc enim propriè non est historici. Unde colligimus, non satis cautè & accuratè à nonnullis videri praesupponi aut statui, fidem ac cognitionem salutarem Patriarcharum Adami, Sethi, Enoch, &c. paulatim ex parvis & obscuris initiis progressam successive crevisse & extensam esse, prout res credendae, de quibus tacent priora capita Geneseos, paulatim sequentibus capitibus, ut etiam sequentibus libris, modo illae modo istae per occasionem fuerunt detectae & revelatae. Quod si quis articulos fidei & euangelii ut & cognitionem Patriarcharum cum historiâ eorum compendio primis capp. Geneseos perstricta pari passu ire & reciprocè converti velit, quasi scil. nihil sciverint aut crediderint, aut nulla γνωστὰ & πιστευτὰ ipsis proposita fuerint, quam quae historia illic enumerat & indigitat: jam idem de cognitione Legis moralis esset affirmandum. Quod absurdissimum est. Quis enim ex historia antediluvianâ à *Genes.* 4. usque 9. theses principalis cum hypothesibus & consectariis suis ad decalogum pertinentes demonstrare queat? Et tamen nefas esset dicere, tales assertiones Setho, Enocho, Noacho, eorumque discipulis & ecclesiis ignotas aut non receptas fuisse.

3. *Object.* Saltem non potest probari fidem Euangelii seu in Christum mandatam fuisse in V. T. Si quis dicat mandatam esse, proferatur locus. Si ferè Remonstrantes in scripto Belgico contra Excerpta DD. Professorum [pag. 22] Leidensium. *Resp.* Viden-

Videntur duo postulare, ut in libris V. T. talia praecepta; & quidem directè, exsertè, & in formâ propositâ designetur: fere ut Anabaptistae, qui postulant à nobis ostendi illam enuntiationem imperativam: *Baptiza* aut *baptizate infantes*. Sed hoc nihil opus. Perinde enim est, sive ex V. sive ex N. T. quid probetur. Et si aliqua alterutrius prae altera esset ὑπεροχὴ, illa secundum Socianos eorumque asseclas competeret libris N. T. Deinde non est necesse ut exsertè, directè, & totidem verbis assertio theologica in V. aut N. T. contineatur. Sufficit solidis argumentis scripturariis eam probari. Nos hoc argumento probamus: Quodcunque à Deo revelatum est, & quidem tanquam necessarium ad salutem, hoc est necessariò credendum; quia Deus est prima veritas. Sed Euangelii promissiones sunt sub V. T. populo Dei revelatae tanquam ad salutem creditu necessariae. Ergò. Minor quatuor classibus argumentorum probata fuit.

II. *Quaest. An* ἐπιείκεια *seu aequitas, aut potius justitia Euangelii, quae illic patefit & offertur* Rom 1. v. 16. 17. *tollat praecepta Legis sive in totum, sive in tantum: ita ut iis non obligentur, qui gratiam Euangelii fide amplectuntur, eâque fruuntur. Resp. Neg.* Quia tantum tollit & quidem universaliter atque in totum respectum illum & quasi formale illud Legis tunc propositae, juxta sanctionem veteris foederis. *Hoc fac & vives*, Levitic. 18. v. 4. cum *Galat.* 3. hoc est jus vitae ejusque possessionem acquires, & consequenter hac solâ conditione plenam ac consummatam fruitionem consequeris: & si non feceris, eris maledictus, *Deut.* 27. *v. ult.* cum *Galat.* 3. Probatur nostra determinatio, ex *Rom.* 3. *v.* 31.

Consectar. Non satis propriè & accuratè explicatur haec relaxatio & indulgentia divina circa exactionem legis propter Christum mediatorem, tabulis Euangelii promulgata & credentibus omnibus oblata & collata; quando dicitur cum moderatione aliquâ & mitigatione Euangelica Legis obedientiam nunc proponi ac postulari: cum potius dicendum sit, eam in totum & totaliter, quod ad illum respectum, illud connexum conditionale, illum finem & usum, & sub illo quasi formali, secundum formulam veteris foederis, per & propter Christum sublatam esse; ut nemo fidelium, eâ amplius obligetur: non vero temperatam, aut imminutam: uti colligimus ex *Rom.* 6. *v.* 14. cum *Rom.* 8. *v.* 3. 4. Contra, non est dicendum ullum temperamentum, ullam moderationem, ullam vel minimam legis mutationem, aut irritationem, aut revocationem, aut imminutionem, aut dispensationem, aut abolitionem, ullamve quod ad materiale alicujus praecepti, quatenus ad convictionem de peccato & ad directionem gratitudinis nostrae erga Deum ordinatur, libertatem aut exemtionem per Euangelium allatam esse. [pag. 23] Breviter fidelis non sunt sub lege, nec tenentur ad ejus observationem, sub formâ medii & conditionis acquirendi per eam jus vitae aeternae: sed tenentur ad ejus observationem sub formâ gratitudinis, medii, viae, conditionis adeundi & actu capiendi vitam aeternam, eâque fruendi, quam Christus perfectâ obedientiâ & sanctitate nobis promeruit. *Opera enim nostra non praecedunt justificandum, sed sequuntur justificatum;* uti habet pervulgatum illud dictum Augustini. Hic conferri possunt *dispp.* nostrorum de Justificatione & de meritis operum.

Consectar. 2. Propter Antinomos Legis usum tollentes; & Pontificios, Socinianos, eorumque asseclas Legem cum Euangelio confundentes, & illam isti sive in totum sive ex parte substituentes, accuratè haec distinctio observanda, & in terminis loquen-

quendum; nec amplificationibus & picturis rhetoricis nimium hic indulgendum; quibus veritas non rarò obscuratur, praesertim apud rudiores.

Consectar. 3. Hâc orthodoxâ doctrinâ non tollitur necessitas bonorum operum; necessitas, inquam tum praecepti tum medii. Vide candidam professionem nostrae *cateches. quaest.* 87. Satis enim praecautum est, si ex *Hebr.* 12. *v.* 14. necessitas imponatur, *sine* sanctitate *nemo videbit Deum.* Et ex 1 *Cor.* 6. μὴ πλανᾶσθε nec scortatores, &c. *regnum Dei possidebunt.* Sub poenâ privationis visionis Dei, & damnationis aeternae bona opera praescripta maximam nobis necessitatem imponunt. Qui enim perdit animam, omnia perdit. *Matth.* 10.

III. *Quaest. An Euangelium strictissimè acceptum, hoc est secundum illum modum, quo nunc dispensatur sub N. T., Legis moralis praecepta minuat, aut augeat, aut quâcunque ratione immutet: ita ut quod ad substantiam, aut quod ad aliqua praecepta, tam perfectè, integrè, strictè, rigidè non esset proponenda, urgenda, & à nobis obligatio ejus accipienda. Resp. Neg.* Ex. *Rom.* 3. *v.* 29. 30. Et sequetur, alium fuisse Legem moralem ante Christum, quam tempore Christi, aut sub N. T. Hoc enim corrumperet libertatem Christianam, & erroribus Antinomorum, similiumque haereticorum quodammodo velificaretur. Vide *Catechesin quaest.* 115. & Confer 3. *part. select. dispp. de tit. de praecisitate.*

IV. *Quaest. An Euangelium strictè & propriè dictum, imprimis missionis seu impletionis, ut in N. T. à Christo & Apostolis dispensatum est, differat formâ & essentiâ à Lege; an verò tantum gradu perfectionis, ut nihil aliud sit, quam Lex magis perfecta ac consummata, tum quod ad praecepta, tum quod ad promissiones. Resp.* Ita quidem statuunt Sociniani, & ὁμόψηφοι eorum hac in parte, plus minusve, quales Remonstrantes, Pontificii, &c. Nos cum nostris absolutè *Neg.* & dicimus hâc ratione totam essentiam & rationem [pag. 24] Euangelii & salutis per Christum, & novum foedus gratiae planè everti ac tolli. Ut hoc quidem solidè à nostris mox sequenti problemate citandis probatum est: quorum probationes hic nolumus repetere, sed praesupponimus; quin immo asserimus Euangelium formaliter & directè nihil praecipere, aut ulla habere praecepta sive antiquâ Lege praecepta, sive novae (ut ipsi vocant) Legi addita, sed tantum promissiones (de quo in sequenti quaestione); nedum ut tantum aut saltem principaliter praecepta contineret.

V. *Quaest. An Euangelium strictè, aut etiam strictissimè dictum (hoc est, prout in N. T. revelatum est & dispensatur) habeat praecepta nova, aut quaedam praecepta adjecta, quae Lex sive in V. sive in N. T. strictè & prôpriè dicta non habet. Resp.* Pontificii magna ex parte & Sociniani in totum confundunt Euangelium, cum Lege, & in eam transformant. Hinc illi praecepta & consilia Euangelica distinguunt, & utrorumque catalogos texunt: ut compendio videre est prolegom. *Cornel. à Lapide ad commentar. suos in Euangelistas. Isti* variis praeceptis detracta, aliis addita à Christo auctarii loco, & toti decalogo addita praecepta de abnegatione sui ipsius, & sublatione crucis; vulgò sonant *praecepta Christi, praecepta euangelica, novam legem Christi, Christum novum legislatorem.* Huic Theologiae suae cum Pontificiis, aliisque sectariis imprimis praesidium quaerunt in quinto capito Matthaei; ubi legem moralem à Christo correctam, aut interpolatam, aut saltem ampliatam & novis praeceptis auctam statuunt. Horum errorem satis superque à nostris refutatum hic praesupponimus. Videantur inter alios *Polyander in concertatione; Carolus de Maets,* cum

vive-

viveret, collega noster conjunctiss. *in dispp. de Personâ & officio Christi; Altingius in Theol. Elencticâ Heidelberg. & Groning.; Isaacus Junius in Antapologia Remonstrantibus* opposita cap. 12. & 13.

Nonnulli ex antiquis, & recentioribus orthodoxis scriptoribus tum dogmaticis tum practicis subinde innuere videntur Euangelium non quidem habere praecepta, sive antiqua lege praescripta, sive novae legi addita, excepto uno quod est praeceptum de fide in Christum, aut exceptis duobus (ut nonnulli loqui videntur) fidei & resipiscentiae. Sed illi intelligendi sunt aut laxè tunc, aut impropriè & metonymicè loqui; ita ut sensus sit, Euangelium strictè acceptum seu promissionem Euangelii de Christo sponsore ac servatore nostro, seu de salute per Christum esse objectum fidei; quam fidem Lex primo decalogi praecepto praescribit; atque adeo Euangelium tantum occasionem esse materiam fidei salutaris, non autem formaliter praeceptum divinae fidei, & quidem in Christum seu Euangelium, (nulla enim alia fides divina ex hypothesi lapsus & substituti novi foederis salutaris est) credendo: quamvis conditionem fidei promissionibus suis [pag. 25] conditionatis includat, non excludat: Quod evidentius patebit ex solutione objectionum.

Forte quis quaerat *unde constet, dicta illa nostrorum, imprimis eorum qui post detectum Socinismum scripserunt, & cautius atque accuratius opposite ad adversariorum strophas & occulta dedecoris praesumuntur locuti esse, sub illa distinctione, & non aliter accipienda esse.* Ei respondeo, constare id ex his quatuor. 1. *Ex* eorundem autorum dictis, quae absolutè negant additis probationibus, Euangelium habere praecepta. Atqui hae universales negationes cum aliis eorundem phrasibus & dictis, de quibus hic quaeritur, collatae à contradictione liberari non possunt sine nostra distinctione, & explicatione modo indicatâ. 2. *Ex* eo quod alioquin adversarios Pontificios, Socinianos, Remonstrantes, in terminis, solide, & perspicue non refutarent: quod tamen unicè intendunt. 3. *Ex* definitionibus Euangelii & Legis, quas ex universalibus sine exceptione conflatas ibidem alibi in locis communibus, aliisve scriptis suis proponunt. Quas revocari aut contradictione ab illis tolli, non est praesumendum. 4. *Ex* eo, quod catechesis nostra *quaest.* 22. specificum fidei justificantis objectum facit promissiones Euangelii: & consequenter directum proprium, & unum Euangelii objectum facit promissiones; non praecepta aut prohibitiones. Jam vero cogitandum non est aliquem nostrorum studio à doctrinâ catechesios hâc in parte voluisse recedere. 5. *Ex* eo quod iidem illi autores in explicatione decalogi cum *catechesi nostrâ qu.* 94. fidem primo decalogi praecepto mandatam esse, exsertè in scriptis suis docent; aut si qui ex illis decalogum ex professo scriptis suis explicatum non dederint, saltem in communem orthodoxorum sensum hâc in parte nunquam incurrunt.

Sed quia ἀκρίβειαν non tantum quod ad summam rei, sed etiam quod ad phrases & modos loquendi in hâc quaestione stricte observari, inter tot strophas sectariorum, necesse est: age ad majorem evidentiam, objectiones, si quae adferri possent, diluamus.

I. *Object.* Actus seu virtus fidei praecipitur Euangelio, & non lege: ergo Euangelium habet praecepta. *Resp. Neg.* antecedens: ob has rationes. 1. *Ratio.* Quia primo decalogi praecepto praecipitur; non minus quam spe, caritas, patientia, &c. uti explicat nostra catechesis, & communiter interpretes decalogici. 2. *Ratio.* Quia omnis

Digitized by Google

omnis virtus & omne bonum opus lege praecipitur; atqui fides est virtus, &c. Ergo. Prob. Minor: quia apud omnes in confesso est, fidem esse virtutem theologicam; & quidem ex tribus capitalibus primam. 1 *Corinth.* 13. *v. ult.* Confer 2 *Petr.* 1. 3. *Rat. Quia* omnes actus cultus divini, omniaque officia hominis erga Deum, lege praescribuntur. Atqui fides est actus cultus divini, & quidem talis [pag. 26] qui sit radix, principium, fons, vita omnium aliorum actuum; sine quibus illi non sunt, nec esse possunt. *Hebr.* 11. per totum, & signatè v. 6. coll. cum *Rom.* 14. *v.* 23. 4. *Rat.* Quia essentiale concomitans seu consecutivum fidei, fiducia scil., lege praecipitur. Ergo & ipsa fides.

Instantia 1. Atqui exserte non dicit lex, credendum in Christum Mediatorem. *Resp.* Si per legem intelligis summam legis, quam decalogum vocamus, concedimus illic exserte non praecipi, ut nec sexcenta alia, quae tamen eò per analogiam reducuntur, aut tanquam causae ad effecta & vice versa, aut tanquam particularia sub generalibus subsumuntur, eoque continentur. Nota est methodus explicandi decalogum.

Instant. 2. Si fides lege praeciperetur, tum etiam omnes fidei articuli eadem lege praeciperentur. Sed posterius est falsum: quia quod praecipitur illud proponitur & explicatur. Atqui articuli fidei de salute per Christum non proponuntur lege, sed Euangelio. Ergo. *Resp.* consequentia *Neg.* Quia aliud est fides, aliud objectum fidei, promissiones scil. Euangelii, quae sunt veritates divinitus revelatae, & consequenter fide divina credendae. Fides praecipitur lege; objectum fidei h. e. promissiones novi foederis revelantur & proponuntur in Euangelio; non in lege: uti *qu.* 19. *&* 22. *cateches.* nostrae hoc explicatur.

II. *Object.* Euangelium promittit sub conditione: conditio autem illa est fides, quam postulat: ergo eandem praecipit. *Resp.* Propriè, directe, & formaliter praeceptum legis dicit non nudam propositionem, aut explicationem, aut additionem conditionis; sed officii praescriptionem. Jam vero Euangelium stricte dictum, ut à lege distinguitur, directe & per se non praescribit nobis officium nostrum, aut quid nos facere debeamus, dicendo, *hoc fac*, aut *crede*, aut *confide;* non magis quam, *spera in dominum*, *exspecta Dominum*, *gaude in Domino*, *dilige Dominum*, *cognosce dominum*, *apprehende vitam aeternam, invoca dominum*, *consolare*, *persevera usque ad finem*, *certa praeclarum certamen*, &c. Sed refert, nuntiat, significat nobis, quid Christus pro nobis fecerit, quidque Deus in Christo promittat, quid facere velit, & facturus sit.

Instantia 1. Atqui cum fidei conditio in Euangelicis promissionibus includitur ac praesupponitur, sequitur eam postulari & praecipi Euangelio. Quod enim nobis Euangelio revelatur, tanquam necessaria conditio, sine quâ promissiones Euangelicae nobis non erunt tales, ad illud praestandum, hoc est ad actu credendum vi Euangelii obligamur: & si Euangelium nos obligat, ergo & praecipit. *Resp.* consequentia *Neg.* Haec enim ejus ratio est quâ nititur: Quodcunque Deus revelat & significat, illud eo ipso & iisdem verbis mandat. Hoc universaliter verum esse negamus. Neque enim idem sunt voluntas signi, & mandati: quia omnis mandati est etiam signi; sed [pag. 27] non vice versa. Sic multa Deus significat & revelat futura, quae tamen eo ipso non mandat ut faciamus. Sic e. gr. Petri lapsum, Judae proditionem revelavit; nec tamen mandavit. Rursum multa peccata aut mendacia hominum refert in verbo suo, quae tamen nobis non praescribit facienda aut credenda;

denda; sed tantum tenemur credere Deo per Prophetas aut Apostolos peccata aut mendacia illa historicè referenti ac revelanti. De quo confer 1. *part. select. dispp. tit. de autoritate scripturae.*

Instantia 2. Conditio fidei, à quâ omnes promissiones suspenduntur, significata & revelata in Euangelio per necessariam consequentiam praestanda intelligitur, & consequenter ibidem unà postulatur ac praescribitur, seu mandatur. *Resp.* 1. Concedimus ab eodem novi foederis autore postulari, mandari, praescribi omnibus illis quibus Euangelium revelatur, tanquam actum & officium hominibus à parte sua praestitu necessarium: sed negamus formaliter illud praecipi Euangelio, quà tali; verum lege, quam unà cum Euangelio, immo & ante Euangelium ordinè naturae & temporis iisdem revelat ac proponit. Unde talis syllogismus practicus formatur: *Quidquid Deus, qui est prima veritas revelans, promittit, hoc fide divinâ recipere teneris.* Haec est vox legis. *Sed remissionem peccatorum & salutem per Christum omnibus credentibus Deus revelat ac promittit.* Haec est vox Euangelii. *Ergo remissionem*, &c. *breviter promissiones illas Euangelio revelatas fide divinâ recipere teneris.* Haec est vox & conclusio legis. Sicuti Christi obedientia pro nobis praestita Euangelio revelatur: à lege tamen praestatio ejusdem illi fuit praescripta, & ex vi legis (*Levitic.* 18.) *Hoc fac & vives*, posito quod jam vadimonium pro nobis obiisset, eam praestare debebat, & praestitit. Hinc dicitur justificatio legis in nobis impleta *Rom.* 8. *v.* 3. 4. Quae tamen alio respectu, quod ad nos scil., est & vocatur Euangelica. *Resp.* 2. Videtur praesupponi, omnes promissiones Euangelii esse conditionatas & à fidei conditione suspensas: quod nos negamus. Sunt enim primae & principales ejus promissiones absolutae, unde conditionatae resultant & dependent. ex. gr. Dabo ex misericordia sponsorem in carnem & in mortem pro mundi vita. Et, dabo singulis redemptis fidem, per quam Christo & omnium ejus beneficiorum participes fiant. Et, dabo omnibus credentibus perseverantiam fidei. In his promissionibus fundantur, atque ex iis resultant istae conditionales: si credideris habebis communionem cum Christo, remissionem peccatorum, &c. Et, si perseveraveris, recipies coronam vitae.

Instantia 3. Quod Lege morali ante lapsum, vi ejusdem Legis (quae quod ad substantiam eadem erat cum Lege morali post lapsum) non fuit praescriptum; illud non praescribitur Lege. Sed fides in Christum mediatorem [pag. 28] ante lapsum non fuit praescripta. Ergo, &c. *Resp.* Concedo actu tunc non fuisse hoc objectum speciale fidei; seu extensionem fidei ad tale credendum, ad talem veritatem, ad talem articulum, ad particulare hoc objectum, non fuisse tunc requisitam aut praescriptam; ita ut fides divina in eam tunc tendere non debuerit. Sed fidei divinae virtus & actus tunc generaliter praescriptus fuit: & si Deus hanc partem objecti fidei seu hanc particularem veritatem tunc revelasset Adamo, ex hypothesi revelationis, debuisset ac potuisset fide suâ in eam tendere, & ad eam se extendere: immo actu ad eam, sub hypothesi scil. se extendisset. Confer quaestionem inter nostros & Pelagianos agitari solitam, an Adamus habuerit potentiam credendi in Christum. Nihil enim in mente, & voluntate per imaginem Dei elevatis aderat, quod impedisset. Uti inter alios hoc perspicuè explicat praeceptor noster *Gomarus tom.* 1. *operum ad Matth.* 23. *v.* 27. Et potest illustrari ex fide Prophetarum, Apostolorum, aliorumque θεοπνεύστων ex. gr Simeonis *Luc.* 2. qui ante hoc vel illud objectum revela-

velatum de miraculo hic & nunc edendo, aut de quibusdam rebus futuris, deque particulari aliquâ re faciendâ aut omittendâ (e. gr. 2. *Sam*. 7. *v*. 13. *Actor*. 8 *v*. 26. 29, & 16. *v*. 6.) non tenebantur fide sua in illud objectum actu ferri, illud recipere, eique assensum suum applicare; sed posita revelatione jam absolutè tenebantur; sicuti antea tantum hypotheticè & generaliter tenebantur, si scil. Deus tale quid peculiariter ipsis revelaret, aut, quodcunque Deus mihi revelare voluerit, illud fide divinâ paratus sum recipere, & recipiam sine ullâ exceptione. Cum particulare illud credendum, revelatum esset Zachariae *Luc*. 1. tenebatur credere, antea non tenebatur. Idem dicendum est de particulari illa veritâte, de aedificatione templi per Salomonem, non per Davidem 2 *Sam*. 7. Conferri etiam potest distinctio fidei in implicitam & explicitam sano sensu accepta: uti rectè eam explicat *Amesius in Medullâ lib*. 1. *cap*. 3.

III. *Object*. Resipiscentia Euangelio praecipitur: Ergo Euangelium habet praecepta. *Resp*. 1. Si laxè accipias vocem Euangelii pro totâ doctrina salutari, aut strictius pro doctrina salutis, uti peculiari modo ea dispensata fuit per Apostolos sub N. T., conceditur: sed de tali Euangelio hic non quaeritur. Sin strictè accipias pro illa parte doctrinae salutaris, quae specie & definitione apud theologos nostros à lege distingui solet: absolutè *Neg*. & dicimus ad primum decalogi praeceptum eam referendam; non minus quam abnegationem nostri ipsius, sublationem crucis, & patientiam, contra Socinianos, Remonstrantes, aliosque sectarios eò referendas ab orthodoxis contenditur. Et si qui alicubi de resipiscentia paulò aliter loqui videantur, facile conciliari possunt, ac debent, per vocis scil. *Euangelii* distinctionem. [pag. 29] *Resp*. 2. Resipiscentia, uti à catechesi nostra *qu*. 89. 90. & communiter ab orthodoxis explicatur, in se continet actus illos & affectus novae creaturae (2 *Cor*. 7. *v*. 10. 11. *Jesa*. 1. *v*. 16. 17.) vitae emendatione se exserentes. Atqui si omnes illi mandantur Euangelio, & non lege; quid tum relinquetur legi? Addo, hac ratione etiam caritatem erga Deum & proximum à lege ad Euangelium transferendam: quandoquidem illi qui admittere videntur, fidem & resipiscentiam Euangelio praescribi, & non lege, iidem, inquam, illi etiam caritatem, per quam fides viva & justificans efficax est, conditioni fidei, quam lex postulat & praescribit (uti concedere videntur) includi, immo & resipiscentiae, admittere coguntur. Nos non videmus, quomodo accuratè & tutò causa, contra sectarios usque ad finem defendi queat; siquidem tantum illis concedatur.

IV. *Object*. Contra quod committuntur peccata, illud prohibet peccata, & oppositas virtutes praecipit. Sed contra Euangelium committuntur peccata. Ergo. Minor videtur affirmari à variis Theologis practicis. Quin & liturgia nostra in formula, de benedictione matrimonii videtur praecepta de mutuis officiis conjugatorum Euangelio tribuere? *Resp*. aut Euangelii vocem laxe accipiunt: aut si stricte, jam Euangelium non faciunt normam quorumvis bonorum operum in particulari, seu legem praeceptorum (alioquin nulla Lex remaneret ab Euangelio distincta, sed tota esset supervacanea,) sed faciunt aut objectum virtutis praeceptae, aut excitatorium, & *motivum* seu rationem moventem; & sic practici communiter in materia de praxi resipiscentiae & emendationis, distincte adhibent *motiva Euangelica*, & *motiva legalia*. Vocem autem *contra* non tantum normam & legem praescribentem respicere, sed & objectum seu materiam in quâ aut circa quam bonum opus lege praeceptum exer-

exercetur, aut peccatum lege vetitum committitur, constat ex quamplurimis scripturae & theologorum phrasibus, quibus enuntiant, peccatum committi contra Deum, Christum, proximum, parentes, Magistratus, inferiores, superiores, patriam, ecclesiam, conscientiam, beneficia Dei, judicia & castigationes ejusdem, &c. quae omnia tamen nemo dicet esse legem moralem in scriptura traditam, nedum ut dicat esse Euangelium.

V. *Object.* Sacramenta N. T. à Christo instituta non Lege sed Euangelio praescribuntur. Ergo Euangelium habet praecepta. *Resp. Neg.* antecedens. Observatio omnium actuum & signorum ad cultum Dei institutum pertinentium, quaecunque Deo visum fuerit revelare, praescribitur secundo decalogi praecepto. Quod autem sub N. Test. talia signa foederis sint, & non alia; discimus ex scriptis N Test. seu ex Euangelio post Christi adventum praedicato. Si enim sacramenta V. T. omnesque umbrae dici possunt cum [pag. 30] theologis nonnullis, & convenienter catechesi nostrae quaest. 19. Euangelium seu verbum euangelii (visibile scil. verbum): quidni baptismus & coena dicantur Euangelium seu verbum Euangelii, visibile scil.; quod juxta cum Euangelii verbo audibili proponit & exponit nobis eximias & divinas illas promissiones, de salute per Christum. Videatur *cateches. quaest.* 67. Tali ergo syllogismo concluditur: *Omnia signa & sigilla gratiae & foederis Dei à Deo data & praescripta sunt observanda.* Haec est vox Legis, secundo praecepto contenta. *Sed Baptismus & Coena sunt signa*, &c. *in N. T.* Haec subsumtio est vox Euangelii in N. T. praedicati. *Ergo, sunt observanda.* Haec est conclusio Legis.

VI. *Object.* Euangelium ostendit, arguit, damnat peccatum: Ergo prohibet peccata, & oppositas virtutes praescribit. *Resp. Neg.* antecedens. 1. *Quia* hoc facit Lex *Rom.* 3. *v.* 20. & 7. *v.* 7. Atqui Lex non est Euangelium, nec vice versa. 2. *Quia*, Euangelium peccata mea in particulari nec directè nec indirectè conscientiae meae detegit. 3. *Quia*, ne quidem in generali statum peccati directè detegit; sed tantum per consequentiam ex revelatione & promissione necessariae reconciliationis per Christum colligitur.

VII. *Object.* Saltem infidelitatem Euangelio oppositam redarguit; ergo fides mandatur Euangelio. *Resp.* antecedens *Neg.* sub distinctionibus modo allatis.

VIII. *Object.* Sequitur ergo, nostros à doctrina Euangelii excludere bona opera. *Resp.* Si intelligas Euangelio non praecipi, & sic à promissionibus excludi praecepta, hoc est, rationem & essentiam promissionem non consistere formaliter in praeceptis, nec vice versa; hoc est, rationem formalem & definitionem Legis non esse rationem formalem & definitionem Euangelii, concedo. Sicuti fides quod ad essentiam suam excludit spem, aut caritatem, aut aliud quodcunque bonum opus; & anima hominis viventis excludit corpus; non tamen unum excludit alterum quod ad existentiam seu coexsistentiam, quasi scil. vera fides separata esset ab operibus *Jacob.* 2. aut in homine vivente corpus ab animâ.

DE LEGE ET EUANGELIO.

PARS SECUNDA [1]).

§. 1. VI. *Quaest. An solum Euangelium habeat promissiones? Resp. Neg.* Nam etiam lex non tantum praecepta, & comminationes habet, sed & promissiones tum tempo-

[1]) *Resp.* Michaele Eversdyck, M. F. Delph-Bat. 15 *Mart.* 1656.

temporales tum aeternas. De posterioribus infra quaeretur. Esse promissiones legales constat ex *Levit.* 26. *Deuter.* 28. coll. [pag. 31] cum *Levit.* 18. *v.* 4. Probatur etiam ex definitione promissionis. Generaliter promissio quaelibet sive Dei sive hominis est revelatio veritatis alicujus de beneficio sive sponte sive ex pacto illis oblato aut conferendo quibus fit promissio. Specialiter promissio divina est externa declaratio & denuntiatio bonorum nobis hominibus dandorum.

VII. *Quaest. An promissiones temporales quibusdam non salvandis praestitae (Ismaeli* Genes. 17. v. 20) *sint legis, an Euangelii? Resp.* Legis. Et referri possunt ad temperamentum illud quod Deus ad bonum universi, & propter ecclesiam quae est in hoc mundo, circa irritationem veteris foederis adhibere voluit. De quo doctè *Amesius lib.* 1. *Medullae cap.* 7.

VIII. *Quaest. An promissiones temporales electis & fidelibus praestitae sint Euangelii. Resp. Aff.* Quia absolutè necessariae tanquam praesupposita spiritualibus Euangelii promissionibus includuntur: in specie vero & absolutè non necessariae ad vitam gratiae, sed tantum ad bene esse hic aut nunc, sunt tanquam appendices & auctaria promissionum spiritualium.

IX. *Quaest. An eae sint absolutae, an vero conditionales. Resp.*

1. *Concl.* Indefinitè & disjunctim si considerentur sunt absolutae, Aut hoc beneficium temporale, aut aliud aliquod sive temporale sive spirituale promittit & dat Deus cuique credenti: ita ut omnibus ad bene esse, in ordine ad cursum gratiae, & coronam vitae aeternae nemo credentium careat 2. *Petr.* 1. *v.* 3. 1. *Tim.* 4. *v.* 8. *Hebr.* 13. *v.* 5. 6. Nunquam enim in hâc vitâ benedictiones spirituales sine aliquibus benedictionibus temporalibus esse possunt; & consequenter nec promissiones illarum, sine compromissionibus istarum.

2. *Concl.* Quaedam speciales benedictiones & donationes absolutè & tanquam medium seu mavis praesuppositum sine quo non, sunt necessariae ex. gr. in adultis per fidem actualem adjunctâ caritate ornatam salvandis, donum productionis vitae, & praeservationis à totali πχραφροσύνῃ, donec actualiter conversi fuerint. Ejus ergo doni promissio in manu sponsoris, cui salvandus ille datus fuit, facta est absoluta. Confer 2. *part. select. dispp. tit. de statu electorum ante conversionem.*

3. *Concl.* Reliquae promissiones temporales definitè consideratae, quae ad vitam gratiae praecisè & absolutè necessariae non praesupponuntur, sunt conditionatae.

X. *Quaest. An omnes promissiones spirituales Euangelio contentae sint absolutae? Resp.* Absolutum aut conditionatum dicitur vel respectu rei promissae, vel respectu ipsius promissionis, seu respectu Dei promittentis.

1. *Concl.* Si consideretur promissio ratione rei promissae, dicimus quandam rem promissam esse absolutam, à nulla conditione aut re antecedente suspensam, quandam esse conditionatam. Sic nova creatura fides, resipiscentia, [pag. 32] seu spiritus fidei & resipiscentiae, quae Deus in novo foedere promittit, à nulla re antecedente aut conditione in nobis implenda tanquam à causa aut praeparatoria dispositione, aut nudo antecedente habente infallibilem cum salute connexionem dependent; quia prima sunt quae Deus per gratiam primam seu praevenientem in nobis operatur & imprimit; ubi habemus nos purè passivè. Confer *disp.* nostram de regeneratione. Sed secundi seu eliciti actus fidei & resipiscentiae, qui primùm ab homine vivificato eliciuntur, quos Deus etiam promittit in novo foedere (praemovente scil.

scil. excitante, & praedeterminante gratia secunda) in nobis per nos, & à nobis producendos, sunt conditiones & dispositiva actuum sequentium, tum quod ad essentiam eorum, tum quod ad quantitatem discretam, tum quod ad quantitatem virtutis, seu quod ad gradus & incrementum. Huc facit illud *Matth.* 13. Habenti dabitur, & *Phil.* 2. *v.* 12. 13. Confer *catechesin qu.* 116.

II. *Concl.* Si consideretur promissio divina, quaedam est absoluta, quaedam limitata seu restricta. *Absoluta* est vel absoluta ab antecedente seu priori promissione divinâ sive de nobis sive in nobis implendâ: vel absoluta ab omni addita restrictione & modificatione, quod ad rem promissam. *Prioris generis* absoluta promissio est, vel de nobis implenda, ut, de missione mediatoris, de impetratione salutis per ipsum: vel in nobis implenda, idque aut sine nobis aut cum nobis. *Illius* exemplum est promissio de applicatione salutis, hoc est de dando spiritu novo, corde carneo, seu de effusione spiritus regenerantis, & infusione fidei: *istius* exemplum est promissio de continuatione & perseverantia fidei. *Posterioris generis* absoluta promissio est, quae non restringitur per additam formulam, si Deus velit, aut si sit salutare, aut si sit ad gloriam Dei. Et sic Deus promittit omnia ad salutem praecisè seu absolutè necessaria. *Limitata* seu restricta per ipsum promissio est, quum Deus aliquid promittit cum clausula salutari. Sic istas aut istas species rerum temporalium, easque tanta mensura aut tamdiu promittit, sub clausula salutari. Pariter promittit gratiam salutarem quod ad gradum, & modum hunc aut illum, sub eâdem restrictione & conditione. Huc refer promissiones de praeservatione à tentatione, à lapsu, & peccato tali aut tanto. Nam quamdiu sumus in via,& ad terminum nondum pervenimus, aliqua quidem temporalia indefinitè & aliqua spiritualia (essentia scil. & permanentia gratiae ad salutem necessariae) nobis absolutè necessaria sunt, eaque Deus promittit, & etiam confert 2 *Petr.* 1. *v.* 2. 3. Et nos ut promissiones illas fide recipimus, sic ex fide à Deo petimus, certi de exauditione. Sed definitè haec aut illa temporalia; aut tanta mensura, ut nobis non sunt praecisè necessaria; sic nec haec aut illa spiritualia charismata, aut hic gradus gratiae salutaris. Sic libertas à tentatione 2 *Corinth.* 12. Apostolo [pag. 33] concessa & collata non fuit; quamvis eam peteret. Non enim erat ex eorum donorum numero, quae absolutè & praecisè ad salutem sunt necessaria.

Consectar. 1. Hinc constat quid statuendum de Remonstrantium responsione ad argumentum pro perseverantiâ sanctorum. Nostri inter alia in *collatione Hagiensi* argumentum hoc adferebant pro perseverantia: Quod ex fide à Deo petimus, illud certò nobis dabit: Donum perseverantiae, &c. Ergo. Illi indirectè opponebant, aut potius componebant, argumentum simile. Quod Perfectistarum haeresis pro perfectione in hâc vita adferre possent, hoc modo: Quod ex fide à Deo petimus, illud nobis certò dabit. Sed ex fide perfectionem à Deo petimus. *Resp.* Est longè dispar ratio perseverantiae, & perfectionis in hâc vitâ. Illa est praecisè & absolutè ad salutem necessaria: ista non est; alioquin nemo salvaretur. Illam ex fide petimus absolutè, sicuti absolutè eam credimus: istam pariter non petimus absolutè, uti nec absolutè & certò credimus eam nobis conferendam in hâc vitâ; sed demum in morte, seu in liberatione à corpae mortis *Rom.* 7.

Consectar. 2. Absurdè etiam objiciunt nobis tanquam absurdum, quod media externa (verbum, preces) in aliorum salutem impendamus, nec tamen certi simus,

an sint salvandi & electi; atque adeo media illa frustra adhibeamus. Sed praesupponunt falsum, quasi Deus de hujus aut istius salute absolutam promissionem mihi dederit, eamque ego absolutè tenear credere, & ex tali fide salutem ejus à Deo petere, eique nomine Dei eandem denuntiare. Videatur 2 *Tim.* 2. *v.* 25. Et interpretes catechesios nostrae *quaest.* 84. 85.

III. *Concl.* Respectu Dei promittentis, nulla est conditio, quae novi foederis cum omnibus promissionibus dationem & promulgationem praecedat; ita ut ille ab aliqua causa, aut conditione, aut antecedente sine quod non, quod sit extra Deum, dependeat; aut quod ordine naturae, aut in signo rationis prius & superius sit. Sed sola misericordia ejus est misericordiae causa, ut cum Augustino loquar. Et, *quis prior dedit ei*, &c. Rom. 11. v. 25. *Sic Deus dilexit*, &c. Joh. 3. 16. Hoc ergo respectu, ut Dei voluntas omnis absoluta est, hoc est, Deus est absolutè, liberè; independenter, illimitatè volens; sic & promissio omnis & libera novi foederis gratia, secundum liberum voluntatis aeternae beneplacitum. 2 *Timoth.* 1. *v.* 9. *Tit.* 3. *v.* 4. 5. *Ephes.* 1. *v.*5.6.

II. Sed contra hanc determinationem nostram objici posset:

I. *Object.* Omnes promissiones cum aeterna salute necessariam connexionem habentes sunt conditionales: ut, si credis, remissa sunt peccata; si fueris fidelis ad mortem, habebis coronam vitae. Idque probatur ex [pag. 34] omnibus illis textibus, ubi fidei & perseverantiae conditionem implentibus promittitur vita; non implentibus certissimum exitium denuntiatur. *Resp.* 1. Conditio nulla est factae ejusmodi gratuitae promissionis ex parte Dei promittentis, seu actus promittendi 1 *Joh.* 4. *v.* 10. 2 *Tim.* 1. *v.* 9. *Tit.* 3. *v.* 3. 4. 5. sed tantum ex parte rei promissae, quae à conditione illa necessario ex ordinatione divina dependet, & ad eam sequitur. 2. Quin ipsa conditio, quae respectu nostri & ex hypothesi consequendae rei promissae requiritur, cadit sub absolutam promissionem divinam: Deus enim in novo foedere promittit absolutè se facturum, ut hoc postulatum à parte nostra, certo faciamus, hanc requisitam conditionem impleamus. Vide *Jer.* 31. & 32. cum *Hebr.* 10. *v.* 16. *Joh.* 6. *v.* 37. 44. 45.

II. *Object.* Absurdum est foederis conditionem à nostra parte implendam promissionibus alterius partis, hoc est, Dei includi, immo à Deo utriusque partis conditiones impleri; & consequenter nos non teneri ad fidem, &c. Sed ad salutem adduci sicuti stipites aut caudices, &c. Sic fere Remonstrantes in *apologia*, aliisque libellorum quisquiliis, & *Tilenus in notis ad canones Synodi Dordrac.*, & in libello Gallicè ac Belgicè edito, quem nos vernaculo sermone ex professo refutavimus. *Resp.* 1. Quod Deus exsertè nobis revelat, nulli absurdum videri debet. 2. Deus promittendo & operando in nobis τὸ velle & perficere, & impletionem operis fidei, *Philipp.* 2. *v.* 13. & *Hebr.* 13. *v.* 21. & inclinationem cordis nostri *Psalm.* 119. *v.* 36., non tollit nostram operationem, inclinationem, motionem, & determinationem sub praemotione, tractione, & praedeterminatione Dei: sed stabiliterque includit tanquam conditionem à nobis ipsis, quamvis non ex nobis, voluntariò seu liberè praestandam. Ita ut nos simus actionum istarum causa propria, particularis, principalis (non tamen prima), & principium formale; Deus autem sit principium effectivum, & causa prima atque universalis, in regno scil. gratiae *Canticor.* 1. *v.* 4. *Phil.* 2. *v.* 12. 13. *Jer.* 32. *v.* 39. 40. De quo pluribus agimus contra *Tilenum* in *scripto Belgico*, & in *dissertatione epistolicâ de Termino vitae.*

§. 2.

§. 2. XI. *Quaest. An Euangelii promissiones sint universales? Resp.*

1. *Concl.* Si universales dicas extensivè ratione objecti cui. *Neg.* Omnibus enim & singulis hominibus non sunt factae promissiones, nec omnibus externè revelatae aut propositae.

2. *Concl.* Sin per universales intelligas abstractas à subjectis individuis, *Neg.* omnes esse universales.

XII. *Quaest. An Euangelium habeat comminationes? Resp.* Si propriè & strictè dictum, ut disparatè Legi opponitur, intelligis, *Neg.* Quia nil continet nisi promissiones foederis gratiae; & hinc proprio nomine ante Christum [pag. 35] φανερωθέντα vocabatur ἐπαγγελία; post revelatum dicebatur laetum nuntium *(Euangelium):* atqui nec promissio, nec laetum nuntium dicit aut habet comminationem.

Sed objiciat quis 1. *Object.* Atqui consequens seu effectum Euangelii est incredulorum condemnatio, 1 *Joh.* 3. *v.* 18. 19. 36. 2 *Cor.* 2. *v.* 16. & 4. *v.* 3. 4. Si ergo habet, aut post se trahit condemnationem, habet etiam comminationes. *Resp.* condemnatio non est effectum Euangelii, nec finis operis, nisi plane per accidens, & objectivè; quatenus scil. increduli Euangelium non recipiunt: sed est finis operantis, & intendentis Dei, qui juste punire statuit & punit contemtores Euangelii; idque secundum comminationem legis, quae maledictum pronuntiat transgressorem vel unius praecepti legalis. Atqui transgreditur, qui ex praescripto primi praecepti fide in Deum non tendit, ejusque ullam revelationem & veritatem (qualis inter alias est Euangelica) non recipit.

2. *Object. Rom.* 2. *v.* 16. Dicitur Deus judicaturus secundum Euangelium. *Resp.* Non quod Euangelium sit Lex, secundum quam omnia peccata, etiam Gentilium, quibus Euangelium nunquam revelatum, judicanda sint: sed quod revelet & quidem sub formâ laetae promissionis, Christi gloriosae exaltationis postremum actum, scil. judicium universale. Vide notas Belgicas, aliosque commentatores ad locum cit., & confer *Catechesin quaest.* 52. quae sub formâ consolatoriae promissionis huuc articulum accipiendum docet.

XIII. *Quaest. An Euangelium habeat etiam promissiones temporales? Resp. Aff.* ex *Genes.* 15. *v.* 1. & 17. *v.* 2. *Jerem.* 32. *v.* 29. 40. Quas promissiones etiam extendi ad temporalia ad esse non tantum, sed etiam ad bene esse hujus vitae, quatenus rebus spiritualibus inserviunt, colligimus ex effectu seu impletione istarum promissionum in fidelibus, 2 *Petr.* 1. *v.* 3. *Deinde* probatur ex *Matth.* 5. *v.* 4. atqui beatitudo post lapsum nulla, nisi Euangelica, quae propriè salus est & per redemptionem Christi, quaeque non Lege sed Euangelio revelatur, & credentibus promittitur *Rom.* 1. *v* 16. & 8. *v.* 3. 3. *Denique* probatur, quia per Christum mediatorem dominium & jus temporalium (in foro poli scil. seu interiori conscientiae) restituitur, & in possessionem eorum, unde excideramus per peccatum, denuò mittimur 1 *Cor.* 3. *v. ult.* 1 *Timoth.* 4. *v.* 3 4. *Tit.* 1. *v.* 15. Atqui omnia beneficia per Christum mediatorem quà talem obtenta & obtinenda, non Lege sed Euangelio promittuntur.

XIV. *Quaest. An Euangelium naturaliter notum sit, aut esse possit. Resp. Neg.* Quia non continet materiam juris divini naturalis, cujus cognitio homini cum creatione indita, cujusque principia aliqua residua post lapsum, [pag. 36] in tenebris adhuc lucent ac scintillant: sed continet materiam novi facti post lapsum denuo revelati, hoc est, laetam historiam, relationem, & nuntium novi foederis, quod Deus

per

per liberam suam misericordiam constituit, & liberè revelat, quibus vult. M 11. *vers*. 27.

Consectar. 1. Hinc elucidatur quaestio, de necessitate ad salutem Euangelii p dicati 1 *Cor*. 1. *v*. 21. & fidei Euangelii *Joh*. 3. *v*. 16. *Hebr*. 11. *v*. 6. contra quorum, & recentiorum Pelagianismum. De *Zwinglio*, quod Pontificii & alii exprobant ad hanc rem non facit. Ipse quidem veram fidem & Euangelii revel nem ac cognitionem quibusdam eximiis viris inter Gentiles attribuit; quod et haut obscurè facit *Melanthon in commentar. ad Daniel*. 6.: sicuti inter Gent sparsas fuisse familias, aut personas quasdam non Gentiles, sed vera Dei cogniti & fide praeditas ex exemplo Melchizedeki *Genes*. 14. Eunuchi *Actor*. 8. &c. indubi est. An autem designati à *Zwinglio & Melanthone* tales fuerint, non liquet, imn de quibusdam contrarium liquet: Ita ut quaestio hic sit, de errore in historia n autem in theologia & fide. Conferatur Rivetus in Psalm. 19. & si cui ita visu *disp*. nostra de *theologia*.

Consectar. 2. Quod patres ex Gentilibus contra Gentiles pro defensione fidei Chri stianae plurima allegarunt, sic accipiendum non est, quasi illis Gentilibus scripto ribus natura notum fuerit Euangelium, aut patres hoc de illis crediderint; sed tantum ad hominem (ita loquar) illa Gentilibus objecerint, aut contra eorum objectiones exceperint. Confer *dispp. nostras de theologia, de Trinitate, de Atheismo*.

XV. *An prophetae & Doctores sub V. T. debeant praecones Euangelii, an vero Legis? Resp*. Si Euangelium accipias pro nuntio & promissione salutis per Christum Aff.: & sic coincidit haec quaestio cum illa, An in V. T. praedicatus & cognitus fuerit Christus, & an salvandi tunc fuerint Christiani. Et si legem accipias pro dispensatione Euangelii, cum praemissa & adjuncta dispensatione Legis eo modo, uti tum in infantili aetate ecclesiae, fieri debebat; itidem *Aff*.

XVI. *Quaest. An Apostoli, Euangelistae, & Doctores sub N. T. debeant dici praecones seu interpretes Legis, an vero Euangelii: Resp*. Si per praeconium Legis aut Euangelii intelligas peculiarem illum modum seu dispensationem & contemperationem utriusque sub V. T. *Neg*. Neque enim ἐπαγγελίαν & quidem sub umbris, cum tali temperamento legis & veteris foederis, seu modo legem seu vetus foedus repetendi praedicare debent, sed Euangelium de Christo jam manifestato in carne, & quidem retecta facie sine velo & umbris 2 *Corinth*. 3. *v*. 18. Sin intelligas per legis praedicationem, nudam literam legis separatim ab Euangelio & oppositè ad illud, *Neg*. 2. *Cor*. 3. [pag. 37] Sed si intelligas per legem, ipsa praecepta legis moralis, dicimus eos non minus praeceptorum legis interpretes & praecones esse ac promissionum Euangelii; quia Lex non minus est verbum Dei, ac Euangelium. Atqui verbi ministri sub N. T. omnia Dei eloquia, omne ejus consilium docere tenentur 1 *Petr*. 4. *v*. 11. *Actor*. 20. *v*. 27. Jam vero sub doctrinâ salutari continentur praecepta fidei, spei, caritatis, patientiae, resipiscentiae, novae obedientiae, gratitudinis, &c. Rursum si per Euangelium synecdochicè intelligas omnem doctrinam salutarem, non tantum Euangelium, sed & Legem, utriusque praesupposita ac prolegomena, rectè & phrasi scripturae dicuntur praecones Euangelii. *Denique* si oppositè ad legis praedicationem, & exclusivè, praeconium Euangelii intelligis, perperam & juxta haeresin antinomorum dicuntur praecones solius euangelii; & male licti essent tales praecones, & maledicta fides praeconio illi adhibita. Uti colligimus

gimus ex *Hebr.* 12. *v.* 14. & Epistola *Jacobi*, reliquis Catholicis, uti vulgò vocan-
ur, & omnibus textibus librorum N. T., qui materiam non Euangelii, sed Legis ontinent.

XVII. *Quaest. An Legis moralis cognitio & praedicatio ad salutem sit necessaria m in V. tum in N. T. Resp. Aff.* contra antinomos & semi-antinomos tum anti-nos tum recentes; qui omnes, si ca tior ipsis non sit mens, quam lingua, cum picuri de grege porcis in theoria & praxi conspirare videntur. Qui & quales sint ntinomi, tum antiqui tum recentiores, discent studiosi ex summa controversiar. ostri antehac collegae *D. Joh. Hoornbeeck lib.* 10. *pag.* 690. &c. *Melanthon in consiliis suis p.* 2. *p.* 36. Antinomos sui temporis vocat atheos, Cyclopes & Cynicos. Videant ergo Doctores, qui legem integram praedicare & pro re nata applicare negligunt; & videant auditores, qui audire non sustinent, quin contra fideles praecones dicterio *legalium concionatorum* diffamare satagunt (quasi sc. unà Euangelium non praedicarent) cum quibus faciant sive prudentes sive imprudentes, & quanto discrimini conscientias suas exponant. Deus autor & vindex legis suae non minus ac Euangelii, non irridetur. Sed quaero ex illis antinomis, an quinque libri Mosis, scripta Prophetarum, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Euangelistae, Epistolae Apostolicae, decalogus juxta ordinem doctrinae catecheticae non sint coram populo explicanda. Si annuis: jam quaero, an minister tunc semper agat interpretem Euangelii, & non Legis; praesertim cum Exodum, Deuteron. Proverbia, Ecclesiasten, pleraque capita Jeremiae, & Ezechielis, *Matth.* 5. & 7. & 23. &c. interpretatur. Quid dices de tot scriptoribus in decalogum? An scripta eorum dicentur commentaria in Euangelium, non vero in legem, & ipsi dum hoc agunt, dicentur doctores Euangelici & promissionum, non legis & hortationum, correptionum, comminationum? [pag. 38]

XVIII. *Quaest. An Lex & Euangelium totam doctrinam salutarem scripturis contentam exhauriant. Resp. Neg.* Cum dist. si scil. propriè & strictè accipias, *Legem* pro doctrina praeceptorum cum promissionibus & minis; & *Euangelium* pro doctrina promissionum novi foederis. Sunt enim praesupposita utriusque dogmata & quidem fundamentalia, de Deo ejusque attributis, personis, operibus, internis, & externis creationis ac providentiae. Praeterea dogmata Euangelio praesupposita, de lapsu Adami, peccato originali, statu peccati & miseriae.

Consectar. 1. Hinc patet quomodo intelligendi sint autores nostri, cum contra Pontificios scripturae perfectionem probant ex eo, quia docet legem & Euangelium: ergo omnia ad salutem necessaria. Latè enim accipiunt voces illas, ita ut necessariò praesupposita ad Legem & Euangelium non excludant sed includant.

XIX. *Quaest. An dici possit, praecepta Legis & promissiones Euangelii coincidere? Resp. Neg.* Si formaliter accipias: nam promissio & praeceptum specie distinguuntur. Sed *Aff.* Si considerentur materialiter seu quod ad materiam, Praestationem enim seu praxim fidei, spei, & caritatis quam lex praescribit, & nos à Deo petimus, Euangelium promittit *Psalm.* 119. *v.* 4. 5. coll. cum *Philipp.* 2. *v.* 13. *Jerem.* 31. & 32. *Hebr.* 10. Hâc tamen cum differentia, quod lex praescribit perfectam partibus & gradibus in hac vita; sed Euangelium eandem non promittit. Ita ut applicari huc possit illud 2 *Cor.* 12. Sufficit tibi gratia mea.

XX. *Quaest. An Euangelium promittendo impletionem praeceptorum (non tamen per-*

perfectam), dici possit implere Legem, aut ad ejus impletionem conferre & concurrere? *Resp.* Tanquam instrumentum morale, pro parte sua, *Aff.* idque dupliciter: *Primo* per modum motivi: De quo supra. *Deinde* per modum objecti partialis, quatenus Euangelium partem suppediat τῶν πιστευτῶν, in quae ut & in alia omnia πιστευτὰ verbo Dei revelata fides ex praescripto legis ferri debet. Haut aliter ac visibile coloratum, & lux concurrunt ad actualem visionem.

Consectar. ἀκυρολόγως dicitur Euangelium instrumentaliter concurrere ad resipiscentiam & novam obedientiam sub forma praecepti seu legis praeceptorum: cum propriè concurrat sub forma praeceptibilis, seu rei cadentis sub praeceptum: continet enim credibilia πιστευτὰ, seu veritates de rebus in novo foedere promissis.

XXI. *Quaest. An lex eadem fuerit antelapsum, quae post lapsum tam sub V. quam sub N. T. Resp Aff.* Si legem in se consideres. Sed si usum ejus respicias, *Neg.* Is enim est diversus: quia ante lapsum non habebat usum convictionis de peccato; quem post lapsum habet. [pag. 39]

XXII. *Quaest. An lex ante lapsum & post, habeat promissiones vitae aeternae? Resp. Aff.* Et hoc satis superque probarunt Antagonistae Socinianorum, & scriptores de foederibus; inter alios ac supra alios *D. Cloppenburgius* in suis *dispp.*

XXIII. *Quaest. An promissiones Legis & Euangelii conveniant, seu sint eaedem? Resp.* Si promissam vitam aeternam respicias. *Aff.* Sin medium & conditionem sub quâ promittitur, & jus ejus acquiritur. *Neg.* Nam in lege, & veteri foedere promittitur sub conditione propriae obedientiae: In Euangelio & novo foedere, sub conditione obedientiae Christi. *Denique* si Euangelii promissiones absolutas (de quibus supra) quae sint principales & fundamentales consideres, ex quibus promissiones conditionales educuntur, & formantur, in immensum differunt: quia in lege & veteri foedere tales nullae sunt.

XXIV. *Quaest. An ergo vitam aeternam, quam Lex & Euangelium pariter promittunt, fideles accipiunt vi utriusque promissionis, seu secundum utramque promissionem legalem scil. & Euangelicam. Resp.* Secundum Euangelicam: Nova enim foederatio, est unica ratio quâ, per quam, sub quâ confertur & acquiritur salus, unio nostra cum Deo, beatitudo; seu est unicum atque adaequatum fundamentum, quo posito ponitur, quo ablato aufertur salus.

Sed objicitur. 1. *Object.* Atqui opera à fidelibus secundum legem praestita habent relationem ad vitam aeternam, lege promissam. *Resp.* Habere relationem ad vitam, quae lege promittitur, concedo: ad vitam quatenus, aut sub illo formali, quâ lege promittitur? *Nego.* Vel sic, si vitam lege promissam materialiter, abstractè, in se, & objectivè consideres, concedo; sin formaliter & subjectivè, ut est in lege, atque ibi promittitur, *Nego.*

2. *Object.* Lex dicitur usum suum habere ac praeparare, ante actualem receptionem reconciliationis & justificationis per fidem in Christum seu in promissiones Euangelii: ergo videtur promissio legis, quae cum praeceptis ejus connexa est, formaliter ita considerata instrumentum & medium esse salutis, & manuductio ad vitam aeternam. *Resp.* Si de instrumento & medio proximo seu formali principio externo intelligis, *Nego:* sic enim tribueretur legi, quod est solius Euangelii *Rom.* 1. *v.* 16. Sin de instrumento remoto, seu mavis propinquo aliquo antecedente, aut de principio seu causa sine quâ non, quatenus scil. pro parte suâ non confert justitiam

&

& vitam (hoc enim solum facit Euangelium, in genere instrumenti moralis seu per modum instrumenti, principii, & medii externi), sed antecedenter tantum removet impedimentum, fiduciam scil. in obedientia propria, & convincendo de peccatis compellit ad salutarem in seipso, hoc est, in propriis viribus & meritis desperationem; *Concedo.* [pag. 40]

3. *Object.* Atqui operibus fidelium, quae sequuntur justificatum, beatitudo adscribitur *Psal.* 1. & 119. &c. *Matth.* 8. *Jacobi* 1. &c. Illa autem praestantur secundum legem. *Resp.* Hoc signativè intelligendum. Sunt enim signa & argumenta indubitata praesentis status gratiae, & futurae gloriae.

4. *Object.* Atqui bona opera secundum legem praestita, non tantum signum & argumentum sunt futurae beatitudinis in coelo, sed etiam via, medium, & quodammodo (uti varii praestantiss. theologi cum adversariis disputantes concedunt) causa: ergo sequitur legem operum, etiam esse instrumentum proximum & principium formale beatitudinis. *Resp. Neg.* consequentia. Quia quemcunque locum & ordinem opera hic obtinere dicantur, totum tamen illud est ex gratiâ & per gratiam Christi solo Euangelio contentam & revelatam, non lege.

XXV. *Quaest. An lex moralis eadem sit sub V. & N. T., an vero aut hic aut illic extensior & strictior fuerit. Resp.* Sunt qui statuunt non tam extensam & strictam tunc fuisse in multis legem moralem, ac in N. T.: ita ut aliqua tunc licita, nunc sint illicita. Sic Sociniani & Anabaptistae. Sunt qui illis accedunt, sed in unâ tantum controversia de polygamia. In quaestionibus de bello, simile quid velle videtur *Grotius in tract. de jure pacis & belli;* sed fluctuans aut dubiam suam theologiam occultans. Sunt ab altera parte, qui volunt, non tam strictè ad legis divinae observationem sub N. T. nos obligari, ac Israelitas sub V. T.; atque adeo aliqua nunc nobis licita, esse, quae tunc non erant, idque per libertatem N. T. Qui sane error Sociniano & Anabaptistico longè deterior & pietatis studio nocentior est. Nos contra dicimus, extensivè & secundum quantitatem discretam non plura aut pauciora esse praecepta legis in N. T. quam in V. & vice versa. Intensivè verò & quod ad gradum, vehementiam, ac perfectionem gradualem, non minus nos nunc obligari ad gratitudinem & amorem Dei ex toto corde, ex omnibus viribus; quam fideles Vet. Test.; immo si comparatio instituenda, nos nunc multo magis teneri, & novo vinculo arctius obstringi, propter novum, quod accessit, motivum, hoc est, libertatem N. T. & talem intuitum gratiae Dei 2 *Cor.* 3. *v. ult.* coll. cum *Luc.* 10. *v.* 23. 24. & *Matth.* 11. *v.* 11.

Consectar. 1. Unde constat, non rectè excipere Pontificios, & tepidos quosdam, in quaestione de imaginibus, de idololatria indirecta, de sabbathi ordinarii aut extraordinarii, quale est jejunium, sanctificatione illi populo tunc temporis rigidè illa omnia fuisse mandata; sed nos sub tempore N. T. ab illo rigore liberatos esse.

Consectar. 2. Nec rectè excipere illos, qui in quaestione de foenore, de [pag. 41] suo cuique tribuendo, etiam Deo aut ecclesiae, quod Deo aut ecclesiae ad promotionem cultus divini, & ad alendos pauperes in ecclesia peculiariter datum est; excipere solent, hoc tenuisse quidem sub V. T. sed non itidem sub N. T. Ergone divini & naturalis juris praeceptum de suo cuique tribuendo, ceremoniale & consequenter abrogatum est, & quidem signatè in praestantissimo hoc subjecto? Credant hoc theologi sine bibliis, Jurisconsulti sine codice, philosophi sine ratione.

Objiciat

Objiciat quis 1. *Object.* Atqui non licebat tunc in usum parilem convertere Deo consecrata; in Nov. Test. licet. *Resp. Neg.* antecedens. In casu necessitatis licebat aeque ac nunc; immo & in usum plane alienum; David panes propositionis comedit; quod Christus defendit *Matth.* 12. Judaei thesauros templi pro salute Reipubl. expenderunt 1 *Reg.* 14. 2 *Paral.* 12. Vide ibi *comment. Martyris & Lavateri.* Haec ἐν παρόδῳ. Alibi de usu redituum ecclesiae ex professo egimus, *part.* 1. *polit. eccles. lib.* 4. *tract.* 2.

2. *Object.* Sub N. T. tam rigidè sabbathum, observandum non est, ut non liceret ignem accedere; quod *Exod.* 16. prohibitum; nec morte nunc puniendi, qui in sabbatho ligna colligunt? *Resp.* Quod ad prius, *Neg.* absolutè cujusvis ignis accensionem fuisse prohibitam. Vide *Bezam in legis triplicis explicatione.* Quod ad posterius erat illa sanctio poenae peculiaris, & forensis Mosaica: nos autem hic agimus de ipsis praeceptis legis moralis. Vide de observatione sabbathi in 3. *part. select. dispp. tit. de sabbatho.*

XXVI. *Quaest. An lex ceremonialis, & moralis naturâ notae sint, an tantum ex supernaturali Dei revelatione? Resp.* 1. *Neg. pr. & aff. poster.* de lege ceremoniali. *Quia* est cultus post lapsum denuò institutus: atqui cognitio talis cultus cum creatione imaginis Dei non fuit impressa aut revelata; consequenter scintillae ad talem cultum cognoscendi nullae post lapsum relictae sunt. *Adde*, quod ceremoniae sint Euangelium typicum & adumbratum. Atqui Euangelium non est naturâ notum. Ergo. 2. *Aff. pr. cum dist.* de lege morali; quae cum creatione imaginis divinae fuit indita, & cujus rudera, vestigia, principia post lapsum in homine remansere: quae propterea lex naturae, communes notiones, & synteresis dicitur. Vide comment. ad *Rom.* 2. *v.* 14. 15. Sed haec notitia naturalis est imperfecta, quod hominis corrupta ratio ex primis principiis & axiomatis conclusiones rectè non deducat; & consequenter in superficiali, generali, mutilâ, carnali spiritualis legis cognitione haereat, nec ad fundum ejus penetret; uti imprimis elucet ex decimo praecepto; cujus contentum nulli Gentiles, nulli Pharisaicè Judaizantes, nulli extranei à fide unquam assecuti sunt; ne quidem Christiano nomine gaudentes, & Scripturae revelationem admittentes, [pag. 42] assequuntur; si majorem eorum partem consideres. Vide Commentatores nostros ad *Rom.* 7. *v.* 7. & ad 10. Decalogi praecept.

Consect. 1. Hinc constat discrimen adaequatum, aut etiam principale Legis & Euangelii non esse, quod ex naturâ nota sit, Euangelium non sit.

Consectar. 2 Minus rectè, accuratè, cautè, in hoc statuitur discrimen Legis & Euangelii, quod illius cognitio & praedicatio, immo & applicatio ad conscientiam propriam aut alienam in detectione, convictione, & sensu peccatorum perquam facilis & cuivis obvia sit; hujus contra difficilis. Sed de hoc sequenti quaestione.

XXVII. *Quaest. An facilis sit cognitio & praedicatio legis; consequenter vulgares sint & nullius, saltem non tanti momenti sint conciones, lectiones, dissertationes, quamvis elaboratae, & penetrantes usque ad divisionem animae & spiritus*, &c. (Hebr. 4. *v.* 12. 12.) *Resp.* Facile dicitur, quod sit minori cum resistentiâ, & consequenter minori cum labore Hinc synonymum τοῦ *facilis* apud latinos est *nullo negotio.* Ego variis rationibus & experientiâ jam inde ab initio ministerii edoctus, statuo esse admodum difficile legem funditus intelligere, & aliis praedicare.

I. *Quia*, tota doctrina salutaris praedicatu difficilis est: ergo & singulae ejus partes

partes Euangelium, Lex, & dogmata utrique praesupposita. Ita ut & collectivè & distributivè ei applicari debeat illud Apostoli. *Quis ad haec idoneus?*

II. *Quia* solida legis cognitio, praedicatio, & traditio tum publica tum privata non vulgarem requirit apparatum, assiduam scil. & profundam meditationem, vastam lectionem, judicii perspicaciam, memoriae felicitatem, linguam eruditorum, multam experientiam, cornucopiam librorum, qui leges, mores, casus, consilia continent, crebram cum piè eruditis & expertis collationem; &, quod omnium basis est, trium librorum perpetuam lectionem & relectionem, bibliorum scil., propriae conscientiae, & ecclesiae suae. Haec omnia tam facilia esse, & ubivis obvia, nemo dicet, qui modo terminos illos intelligit.

III. *Quia* ea sunt latifundia studii ac theologiae legalis (ita loquar), ut ad desperationem adigerentur, qui thesaurum hunc gesturi sunt in vasis testaceis, nisi speciali auxilio fulcirentur ab illo, qui dixit 2 Cor. 12. *Gratia mea tibi sufficit, virtus mea in infirmitate*, &c. Quae sint latifundia ejus, colliges ex Bibliothecâ nostrâ; & 3. *part. select. dispp. tit.* de Theologiâ practicâ. Nos ὡς ἐν τύπῳ delineamus ejus longitudinem & latitudinem in Theologiâ textuali, in theologiâ exemplari seu historica, in didactica, in elenctica, in practica.

Textualis habet explicationem capitum, tmematum, commatum Scripturae, [pag. 43] quae legem continent. Atqui tales textus in V. T. quamplurimos, in N. T. libris non paucos esse nemo ignorare potest, qui biblia evolvit.

Historica seu exemplaris sacra, complures paginas occupat. Vide mihi Prophetas (quos vocant) priores, cum Ester, Ezra, Nehemia, Ruth, Paralipomenis: ut nihil dicam de parte pentateuchi bonâ parte, & maximâ Euangelistarum.

Didactica tot habet titulos & subtitulos de bonis operibus cum oppositis vitiis in generali & in particulari, ut ferè infinitum sit, quod pertransiri nequit.

Elenctica, versatur circa errores: qui in legis explicatione & vindicatione magno numero occurrunt: uti ex Scriptoribus haereseon, Moralistis, Casuistis, Interpretibus Decalogicis perspici potest. Considera modo e. gr. vastissimas controversias de superstitione, magiâ, idololatriâ, de amore proximi, de majoritate & obedientiâ ad 5. praec., deque bello ad 6. de conjugio, ad 7. de justitia & jure ad 8. & sic per singula praecepta.

Practica Theologia legis per hortationes & correptiones, per motiva, auxilia, media, remedia & praeservativa, gnorismata & notas, in infinitum poene procurrit: adeo ut Theologus elephanto rectè comparetur, qui in hoc mari perpetuò natare debet, in quo tamen agnus (h. e. idiota verè pius) ambulare potest. Circumspice mihi tot titulos librorum practicorum, *praxes resipiscentiae, praxes conscientiae, Emendationes vitae, Duces peccatorum, Duces pietatis, stimulos virtutum, Destructoria vitiorum, militias & milites Christianos aut spirituales, scholas tentationum, medicinas & medicos spirituales, anatomias conscientiae, tranquillitates animi, ubi de passionibus animae, aurea opera contritionis, institutiones spirituales, artes serviendi Deo, Mysteria propriae deceptionis, Ambulationes cum Deo, Praeservativa peccatorum, Excercitia pietatis, Praxes pietatis, Vigilias Christianas:* &c. Atqui hi tractatus generales. Quid dicam de particularibus, qui de singulis virtutibus aut vitiis editi. e. gr. *de amore Dei, de timore Dei, de zelo, de securitate, de regimine linguae, de abusu nominis divini, de praxi Sabbathi, de humilitate & superbiä, de mansuetudine & irâ,*

de

de ebrietate, de avaritiâ, de contentatione, de mendacio, &c. qui tractatus hic enumerari nequeunt, alibi forte bonam partem indicandi. Conciones quae latino, imprimis vernaculo sermone, superiori & hoc currente saeculo editae sunt, ac etiamnum quotidie eduntur à reformatis Theologis, de hoc aut illo particulari affectu, virtute, vitio, eorumque causis, effectibus, oppositis, numerum excedunt: Ego omnes legere nec potui nec volui: de illis tamen, quas ex multis subinde percurri, fateri cogor, quod vix ulla ex iis fuerit, quae peculiarem [pag. 44] aliquam inventionem aut conceptum non suppeditârit: Nec praetereundi tractatus peculiaribus statibus hominum accommodati, quales *Politica Christ.*, *Oeconomica Christ.*, *Adolescens Academicus*, *Vidua Christiana*, *Agricola Christianus*, *Mercator Christianus*, *Nautica Christiana*, *Miles Christianus*, *Princeps Christianus*, *Daniel seu Aulicus*, *Nobilitas Christiana*, &c. *De officio ministrorum*, deque tribus partibus politiae ecclesiasticae, quae titulos & subtitulos non paucos complectuntur, tantum in publicis praelectionibus & privatis collegiis indicium fecimus; ut non putem aliquem ex auditoribus nostris facile dicturum, legis studium & cognitionem, etiam quod ad hanc partem, tam facilè transiliri posse.

IV. *Quia* admodum difficile est, & praetendenti longè difficilius legis usus practicos, in individuo & immediatè conscientiis tum nostris tum alienis applicare. Quam difficultatem experimur in omnibus, usque ad minimos conscientiae casus, usque ad primo primos cogitationum ac cupiditatum motus, usque ad speciem mali, & attentionem ad omne scandalum (*Actor.* 24. coll. cum 1 *Cor.* 8. & 10.) propriae nostrae conscientiae applicandis, norunt illi; qui conscientiae propriae inquisitionem & ejusdem cum minimis jota ac apicibus legis divinae comparationem, *Matth.* 5. usque ad terminum τοῦ necessarii *& caetera, delicta quis intelligit. Psal.* 19. sibi incumbere, & lugubrem suum hac in parte defectum fatentur. Studiosi nostri legant *Dan. Dijck mysterium propriae deceptionis, & Robert Boltoni discursum de Beatitudine;* aut dum nondum hoc vacat, *disp.* nostram de simplicitate & hypocrisi. Partem illam legalis Theologi, quae spectat officium ministri, legant in *Wilh. Teellingii* Necessariâ demonstratione: unde facile colligent nec cognitu, nec praedicatu, nedum factu, illam tam facilem dici posse. Atque haec difficultas in applicandâ lege ad conscientiam propriam; quam etiam eruditissimi & laboriosissimi Theologi, siquidem verè conversi sint, in se satis experiuntur. Quod ad conscientias aliorum, magna cum resistentiâ, id est, difficulter legem sanctam & immaculatam iis applicari, constat ex his quinque potissimum: quorum

Primum est infinita farrago sophismatum, exceptionum, detorsionum, retorsionum, reconventionum, replicationum, triplicationum, quae legalibus in foro conscientiae determinationibus, adhortationibus, correptionibus opponi solent. Haec profunda Satanae, hae cordis humani deceptiones, haec occulta dedecoris, sine magna cerebri & cordis afflictione (2 *Cor.* 11. *v.* 29.) detegi & superari nequeunt.

Secundum sunt odia, insectationes, cavillationes, calumniae, vexationes, infidiae, etiam persecutiones (ubi potentia adest), quibus fideles ministri ob legis applicationem ad conscientias auditorum obnoxii sunt. Qui ex [pag. 45] concionatoribus hoc nunquam experti sunt, meritò seipsos neglecti officii (*Ezech.* 2. & 3. 2 *Tim.* 3. & 4.) suspectos habeant.

Tertium sunt odiosae & laboriosae contentiones, non rarò acres increpationes & con-

contestationes, furiosae bilis ebullitiones, minae verberum aut processuum injuriae, (si non ipsa verbera aut intentatae actiones injuriarum) in quas miseri ministri incidunt; cum gregi suo invigilant, & κατ' οἶκον (*Actor*. 20.) privatis visitationibus atque alloquiis oves suas lapsas erigere, lapsuras praemonere, exorbitantes corripere, vacillantes confirmare, securas & nictantes excitare satagunt.

Quartum sunt correptiones, & post eas oblocutiones, susurri, sinistra judicia, in quae ob casuum determinationem, dubiorum solutionem, legis ad facta applicationem, ad propositas quaestiones responsionem, ministri incidunt; quotiescunque hominibus velificari nolunt, sed ἀκρίβειαν juris divini sectantur. Nonnunquam haec inscripta στηλιτευτικὰ & declamationes Catilinarias, aut in libellos famosos erumpunt.

Quintum sunt censurae Ecclesiasticae; in quarum inchoatione & executione magnam resistentiam & à seipsis ac suis, & à subjectis censurae ministri patiuntur. Hinc etiam est quod propter applicationes legis ad conscientias auditorum, perpetuò disciplina sacra, quam magister ecclesiae praescripsit, tantam contradictionem passa sit in magna parte Germaniae; ubi invitis Theologis tantum non exulare videtur: adhaec in Belgio nostro nominatim Leidae & Ultrajecti (vide Histor. Belgicam *Petri Borr*): & nuper in Angliâ per Sectatores Erasti, in quorum partes apertè concessit *Joh. Seldenus:* uti videre est in tractat. de Synedriis. Omnes autem illae difficultates occasione legis inundant. Ita ut dictum illud, quod fertur, magni Lutheri, non possit non hac in parte deprehendi verissimum: *Omnis fidelis minister est vir contentionum*: quod idem docent exempla Jeremiae, Amos, Eliae, Michae, ipsius Christi. Adde ex historia Ecclesiastica, *Athanasii*, *Basilii*, *Chrysostomi*, *Calvini*, &c. qui propter legis praedicationem passi sunt plurimas contradictiones. Causas hujus mali facile est invenire, si consideremus auditores nostros alios esse neutrales in religione; alios crassos aut formales hypocritas, qui religionem profitentur, sed propter aliud quid; alios verè conversos, sed adhuc infantes & carnales, 1 *Cor*. 3.; alios viros & perfectos, sed qui adhuc carnis reliquias circumferunt, & subinde à peccato cum pio Asa (2 *Paral*. 16.) ita captivari & abripi possunt, ut legis praedicatori succenseant, immo & in illum quasi hostiliter insurgant. Considera modo *Rom*. 8. *v*. 7. cum *Rom*. 7. *v*. 8. usque ad finem, & *Galat*. 5. *v*. 17. Qui hic magnam resistentiam carnis adversus legem, & consequenter laborem, studium, eruditionem, artem, & difficultatem in concione legis ejusque viva & sensibili [pag. 46] applicatione ad facta & ad conscientiam invenire nequit, noe is τυφλός ἐστι μυωπάζων. 2. *Petr*. 1., aut ex animi morbo loquitur, si quis sine limitatione effutiat, facilem esse praedicationem legis.

XXVIII. *Quaest. An facilior sit praedicatio Euangelii, an vero legis? Resp.* Ad comparationem ritè instituendam praecognoscendae duae distinctiones. Quarum *prior*, legis praedicatio est vel accurata, theologica, spiritualis, juxta ἀκρίβειαν verbi divini, quae penetrat usque ad omnes actiones humanas, internas & externas, usque ad minimos casus conscientiae, & nullum verbum legis solvit: vel superficiaria, rudis, generalis, externa potissimum, & ultra civilem honestatem vix assurgens. *Altera* distinctio est: Auditores, quibus praedicatur, sunt vel extranei à fide, iique aut Barbari, aut civilitate legum & politiae exculti: vel sunt Christiani, libros V. & N. Test. & fidem Christianam amplexi. His praemissis sic determinamus.

1. *Conclus*. Praedicatio legis superficiaria, generalis, & manca apud extraneos

à

à fide, non planè Barbaros, sed aliquo ordine Politico excultos facilior est; quam praedicatio Euangelii. Ratio est, quia habent circa se aliquas leges civilis, & intra se principium internum secundarium legis praedicatae, synteresin scil. & rectam rationem (vide *Rom.* 2.): Euangelium autem non habet ullum principium praeter verbum Dei. Non tamen hoc semper obtinet, ut docet nos exemplum Felicis *Actor.* 24.25.

II. *Concl.* Praedicatio legis integra secundum Scripturas, imprimis primi, secundi & decimi praecepti, apud infideles, quamvis ordine civili & legibus excultos, non videtur facilior esse quam Euangelii. Ne quidem Hermodorum, Socratem, Senecam, & similes legis praecones ferre potuerunt. Sed de eo amplius disquiratur.

III. *Concl.* Praedicatio legis superficiaria apud Barbaros Cyclopum instar viventes, quam facilis sit docet experientia: saltem praedicatio ejusdem integra facilior non est quam Euangelii. Huic enim, quia eam nec curant, nec capiunt, nec intelligunt, forte transmitterent, nec ei admodum resisterent: illi vero strenuè resisterent, quia sentirent corruptionem suam tangi.

IV. *Concl.* Praedicatio & applicatio legis secundum Scripturas, absolutè difficilior est apud Christianos auditores, quam praedicatio Euangelii. Hoc solidis argumentis & experientiâ universali evinci potest. Quod sequenti parte pluribus, quia nunc abrumpendum, deducemus. [pag. 47]

DE LEGE ET EUANGELIO.

PARS TERTIA. [1])

Part. 2. *hujus Disp. quaest.* 25. *ad propositam quaestionem comparativam*, An facilior sit praedicatio Euangelii, quam Legis, *per quatuor conclusiones distinctè respondimus: sed quia tunc temporis & chartae angustia non sinebat quartam & postremam conclusionem debitis rationibus munire; in praesenti*, I. *Quod tunc promisimus, praestaere conabimur.* II. *Problemata aliquot praeterita subjicimus.*

§ **1.** Sic ergo formetur quaestio, *An reformatis Concionatoribus in Ecclesiis suis reformatis facilior sit accurata ex Scripturis praedicatio Legis, quam Euangelii: an vero contrà?* Nos *pr. Neg. poster. Aff.* Antequam ad probationem accedimus, praecognita haec praemittimus.

I. Praedicatio Legis & Euangelii fit tripliciter. 1. *Vel* ad textus Scripturae, extra quos doctrinae seu theses Theologicae, cum usibus & applicationibus suis proponendae, non evagantur 2. *Vel* ad textus Scripturae semel aut saepe praelectos; ex quibus non tantum educuntur doctrinae illic contentae, sed etiam ad eosdem aliae doctrinae cohaerentes adducuntur, donec systema alicujus loci communis, aut materiae, aut justi tractatus absolvatur. Haec methodus praedicandi usitata est in concionibus seu lectionibus nostris Catecheticis; imprimis pluribus Theologis Anglis jam

---

[1]) *Resp.* Jacobo Beugholt, Amstelodam. 22. *Junii* 1658.

jam ab annis aliquot frequentata: uti apparet ex tot tractatibus nunc publicè editis qui antea pro concione propositi erant. 3. *Vel* sine certo textu praelecto: qualis methodus elucet in variis homiliis antiquorum Patrum, ut de livore, eleemosynâ, ebrietate, mortalitate, lapsis, pace, &c.

II. Praedicatio Legis & Euangelii constat textus propositi explicatione, thesium seu doctrinarum illic contentarum pertractatione, usuum indicatione & applicatione.

III. Praedicatio Legis & Euangelii est vel mutila, cursoria, magis generalis atque abstracta: vel integra, accurata, magis specialis atque intimè applicata. His ita praemissis, probamus accuratam praedicationem Legis in nostris Ecclesiis esse longè difficiliorem accuratâ praedicatione Euangelii: idque ex parte praeparationis Praedicatorum, & ex parte receptionis Auditorum: docente id communi experientiâ. [pag. 48]

Sit ergo I. *Rat.* Illud est difficilius, ad cujus dogmatizationem diffusior eruditio, major apparatus, laboriosior praeparatio, floridior & gratior eloquentia ac δεινότης in Praedicatore requiritur. Sed ad dogmatizationem legis diffusior, &c. requiritur, quam ad dogmatizationem Euangelii. Antecedens probatur. 1. *Quia* si integrum Scripturae corpus consideres, plures in eo sunt textus, plura capita, plura tmemata, plura commata ad Legem, quam ad Euangelium pertinentia. 2. *Quia* explicatio Legis per plures titulos & subtitulos diffunditur, quam explicatio Euangelii: quod ex inspectione & collatione tabellarum seu titulorum, seu catalogorum virtutum & vitiorum per totum Decalogum, ut & totius Politicae Ecclesiasticae, quae ad Legem reducitur; cum tabella seu titulis, seu capitibus Euangelii ad oculum patebit. 3. *Quia* plures vocum ac terminorum explicationes & distinctiones illic, quam hic occurrunt. 4. *Quia* thetica seu thematica explicatio singulorum titulorum seu locorum legalium operosior est, quam locorum Euangelii. *Illi* enim magnam partem ad Theologiam non tantum supernaturalem, sed etiam ad naturalem pertinent, seu ad Ethicam, Oeconomicam, Politicam; ideoque non tantum ex principio Scripturae, sed etiam ex rectâ ratione & lumine naturali deducuntur ac confirmantur: *Isti* vero omnes ex solâ Scripturâ deduci & confirmari debent. *Illi* magnum & multiplicem apparatum spiritualis pathologicae, therapeuticae, diaeteticae, hoc est, stimulorum seu motivorum, prophylacticorum, mediorum & remediorum, cum, intercurrentibus amplificationibus per similia, dissimilia, opposita, ex Scripturis, ut etiam consilia, dicta, facta ex Historiâ antiquâ & nova requirunt: *isti* non ita. 5. *Quia* controversae quaestiones & dubia, Auditoribus nostris circa praedicationem Legalium plura oboriuntur, aut ab iis frequentibus moventur, quin & plures errores populares, plures particulares opiniones à communi Ministrorum suorum & Theologorum consensu recedentes foventur ac tenentur: quam circa praedicationem dogmatum Euangelii. Usus enim elenctici & reprehensivi errorum contra Euangelium, Papistarum scil., Socinianorum, Remonstrantium, Anabaptistarum, qui in multis Ecclesiis Belgicis (non in omnibus) tempestivè refutari debent in ipso cursu Academico, & in Ministerii tyrocinio accuratè formari, imprimis & in numerato haberi possunt: sed elenchi errorum circa praedicationem dogmatum legalium, & decisiones casuum quasi infinitorum, non tam facilè numerantur, concipiuntur, imprimuntur depromuntur. Confer quae suprâ *part.* 2. *qu.* 26. & 27. de difficultate praedicationis legalis absolutè & comparatè disseruimus. 6. *Quia* infinitae exceptiones, replicae, du-

duplicae, triplicae in mentibus Auditorum circulantur; saepe in liberas voces, in elenchos, immo & in indigna dicteria, si non satyras, cantilenas, libellos famosos erumpunt [pag. 49] contra accuratam legis praedicationem. Quod de Euangelicâ praedicatione non ita dici potest. Jam verò non est cujusvis, nec tam facilè ejusmodi tela praevidere & praevenire, ea avertere, sive prudenter declinando, sive tempestivè exstinguendo; ut minus noceant. Hic improbus labor nunquam exhaustus est, semper redit actus in orbem. Adeò ut subinde ingenium fortissimorum Dei athletarum fatiget, animumque eorum deprimat, si non frangat. 7. *Quia* Theologi orthodoxi jam inde à primâ reformatione, plura & uberiora nobis suppeditârunt adminicula ad explicationem & vindicationem Euangelii, contra omnes objectiones & exeptiones errantium; quam ad explicationem & vindicationem legis contra errores tum sectarios, tum populares, & contra quaevis dubia, quae a carne nostrâ suggeri solent aut possunt. 8. *Quia* exercitatior eloquentia, & orationis δεινότης, atque honesta exornatio in elocutione legalium requiritur, quam in elocutione dogmatum Euangelii. Haec enim ut plurimum ornari negant, contenta stylo Scripturae & simplicibus terminis doceri. Adeò ut dictionis ac phrasis variatio & πολυποικιλία, hic locum non ita inveniat: quod de illis mysteriis supernaturaliter revelatis vera dicere, quasi periculosum sit. Sed longè aliter se res habet, in plerisque aut saltem in quamplurimis locis legalibus. 9. *Quia* docet hoc communis experientia eorum, qui conantur verè θεολογεῖν. Postillophagi enim, & qui fortè 20. aut 25. locos communes, & totidem aut paulò plures conciones, saepè ab aliis formatas aut praeformatas memoriâ tenent, de his rebus judicare nequeunt.

II. *Rat.* Illud est praedicatu difficilius. cujus specialis applicatio ad conscientias auditorum est difficilior. Sed legis specialis applicatio, &c. est difficilior applicatione speciali Euangelii, &c. Ergo. Minor probatur. 1. *Quia* major prudentia & cautela in praedicatione legalium requiritur, quam in praedicatione Euangelii. Hic enim plerumque simpliciter & in terminis loqui expedit: illic in detectione & propositione factorum Ecclesiae tuae, & comparatione eorundem cum legis ἀκριβείᾳ personarum & circumstantiarum ratio habenda; ut quamvis insistentes immutabili illi normae, omnia tamen omnibus fiamus, 1 *Cor.* 9. *v.* 22. Atqui hoc opus, hic labor. 2. *Quia*, si majorem partem auditorum nostrorum respiciamus, speciales illae applicationes legalium ad conscientias quorumvis auditorum secundum status, studia, facta cujusque singularia (quae verè est anima prophetiae seu concionis), ut ingratior est speciali applicatione Euangelii; sic etiam Praedicatori difficilior. Admodum enim illi ad justam praeparationem studendum est in triplici libro Scripturae scil., Ecclesiae suae & propriae conscientiae. Arduum imprimis est prius seipsum nosse, seipsum docere, seipsum abnegare, proprium cor vincere, odium, livorem, metum, ἀνθρωπαρεσκείαν procul habere, [pag. 50] & nomine Dei ad cor cujusque loqui. Hoc non capiunt illi, si qui, uti olim sophistae in gymnasmatis Graecorum, & ut hodie adolescentuli in Scholis, chreias suas postillisticas in ordinem recurrentes, declamant: interim nec seipsos, nec oves sibi commissas satis nôrunt; ideoque ex duplici hoc libro parum praedicare valent. Et tamen speculativè ac peremtoriè rerum istarum ἄπειροι judicare audent, praedicationem legis esse facilem, & τοῦ τυχόντος; consequenter piissimos quosque & in spiritualibus exercitatissimos ex populo nimis patienter & stolidè eruditas ac solidas non minus, quam patheticas applicationes textuum

textuum legalium mirari & sectari. Quod scil. hoc tam facilè sit praestare, ac manum vertere: contra verò difficillimum & erudito praedicatore dignum textum Euangelicum explicare & applicare. Sed si novitio Catecheticâ aut locorum communium cognitione probè imbuto, & in controversiis hodiernis mediocriter versato optio daretur, an pro concione Deuteronomium, aut libros *Josuae* & *Judicum*, aut *libros Samuelis* & *Regum*, aut *Proverbia*, aut *capp.* 12. 13. 14. 15. ad *Roman.* aut *capp.* 5. 6. ad *Ephesios*, aut Epistol. *Jacobi*, *Petri*, *Johannis*. *Judae* (quibus legalia potissimum continentur) absque commentationibus aut postillis aliorum, explicare mallet: an verò capp. priora epistolae ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios (quibus Euangelica majorem partem continentur): non dubito, quin si facilitatem & compendium temporis in accuratis concionibus formandis spectaret, posteriora eligeret. Idem exspectarem à Candidatis ministerii illic loci, ubi pridiè textus illis praefigi solet, ad quem postridie, aut horis aliquot post coram Synodo aut Classe concionem habituri sunt.

III. *Rat.* Illud est praedicatu difficilius, cujus dogmatizatio, imprimis & specialis applicatio difficilius & majori cum resistentiâ recipitur. Atque legis traditio & applicatio difficilius, &c. recipitur, quam Euangelii. Ergo. Antecedens probatur. 1. *Quia* lex ex hypothesi lapsus per se arguit de peccato, & condemnat: unde ministerium mortis dicitur, Euangelium non. 2. *Quia* lex tanquam externa norma & quasi limes ac linea circumvallationis circumscribit, coarctat, cohibet, & coërcet hominem, omnesque facultates, affectus, & actus humanos; usque ad motus primò primos. Haec ἀκρίβεια homini in totum aut magnâ ex parte adhuc carnali (1 *Cor.* 3. *v.* 1. 2.) tam molesta est, ut quasi per ἀντιπερίστασιν in se corruptionem suam acuat, in vetitum nitatur, & tantò magis peccata progignat, juxta *Rom.* 7. *v* 8. 3 *Quia* communis experientia docet, multorum tacitis murmurationibus aliorum apertis oblocutionibus, cavillationibus, detractionibus, acerbis contumeliis, hostilibus contentionibus, immo & potentum persecutionibus excipi serias & patheticas applicationes legales, à Concionatoribus [pag. 51] publicè privatimve factas; magis quam Euangelicas. Vide exempla singularia Jeremiae, Amos, Eliae, Michae, (2 *Reg.* 22.) Johann. Baptistae; adhaec Chrysostomi, Calvini, &c. quin & benedicti Servatoris nostri, omniumque fidelium Ministrorum, qui ipsius vestigiis insistunt. Quotidiè experiuntur Ministri & Seniores, cum vel suo vel publico Ecclesiae nomine aliquos ex auditoribus officii monere aut corripere occipiunt, alloquia sua non tam promptè & faciliter recipi, quam cum aegrotantibus, aliâve ratione afflictis suavissimas consolationes ex Euangelio subministrant. Hinc etiam sit ut plerique ad correptiones & convictiones legales, imprimis potentiorum, aut insolentium non tam facile currant, antequam mittantur: aut si πνεύματι ζέοντες, seipsos hic superent, id sine reactione aut luctâ aliquâ non fiat. Quo ipso omnes hujus rei difficultatem haut obscurè fatentur, saltem fateri coguntur. 4. *Quia* in Ecclesiis Protestanticis & nostris nunc in Angliâ, Scotiâ, Belgio, Hungariâ, Transylvaniâ, Sueciâ, Daniâ, Germaniâ, &c. tam frequentibus, & tantâ libertate gaudentibus, aliter fieri vix potest: quandoquidem de illis in genere negari nequit illud Servatoris Matth. 22. *Multi vocati*, *pauci electi*. Breviter inter auditores earum *aliqui* sunt crassè ignorantes & caudices, qui nullâ rerum sacrarum cognitione aut praxi afficiuntur: *aliqui* crassi hypocritae qui cum sint hostes Religionis, aut alioquin profani irrisores, externâ auditione, communione, hominibus malunt placere, aut maligno animo suo obsecundare, quam Deo: *aliqui* in

in negotio Religionis adhuc dubitantii, aut neutrales, aut desultorii Ecebolii: ***aliqui*** formales seu subtiles hypocritae, qui *μόρφωσιν* habent εὐσεβείας, vi ejusdem abnegatâ: *aliqui* ἀπωσάμενοι bonam conscientiam apostatant, & circa fidem naufragantur: *aliqui* soli-ipsi, sibi sapientes, scismatici se separant, aut separationem affectant: *aliqui* infantes in Christo, magnam partem adhuc carnales: *aliqui* intervalla lapsus aut relapsus patiuntur: *aliqui* tepescunt in cursu pietatis. *Aliqui* peculiari & priori muneri, ordini, statui, vitae generi in hoc mundo ita adhaerent; ut quod ad hanc partem, in τύπον illum διδαχῆς nondum toti tradi velint aut possint: *Aliqui*, quamvis non imparati essent, in τύπον illum se tradendos dare, tamen suasione & sophisticâ quorundam laxorum Casuistarum suggestione, adhuc ampliant: *Alii* quamvis comparatè ad alios fideles, perfecti ac viri dici possint (uti Asa 2. *Paral.* 15.) habent tamen adhuc luctam carnis; ita ut quamvis delectentur lege Dei secundum interiorem hominem, nihilominus sentiant aliam legem in membris suis. In tot generum auditoribus cum rigida & exacta praedicatio legis pertingit usque ad interiores conscientiae fibras, quid mirum si traditio & receptio ejus sit difficilis, supra Euangelii: quippe quod nihil mali nuntiet, atque adeò à variis hypocritis & carnalibus [pag. 52] non illibenter audiatur; saltem praedicatio ejus sine murmuratione, contentione, oppugnatione transmittatur. Raro privatis publicisve exceptionibus, expostulationibus, comminationibus obnoxiae sunt applicationes Euangelicae: legales contrà frequenter. Quis enim illarum interpretationem & examen sibi non sumit? Quis non praesumit, sibi & rebus suis, aut autoritati suae & honori suo per illas in aliquo praejudicatum esse? Etiam ignorantissimus aliquando hic contendit esse Magister, & mitissimus sit proeliator: qui aliàs de Euangelicis fortè non bene perceptis, facilè pronuntiaret: *Superant meum captum: non sunt mei fori: aliis haec curanda relinquo.*

§. 2. Subjicimus nunc aliquot problemata.

I. *Probl. An Euangelio excellentia tribui possit supra legem? Resp.* Si per Euangelium ratio dispensationis novi foederis post Christum, & per legem ratio dispensationis ejusdem foederis ante Christum intelligatur, Aff. ex *Matth.* 13. *v.* 16. Sin verò strictè hae voces accipiantur (uti nos in totâ hâc Disp. sumimus), itidem Aff. ex *Hebr.* 7. 2. *Cor.* 3 *v.* 6. 7. 8. ubi à Commentatoribus ἐξοχὴ illa explicatur. Quae hac cum distinctione accipienda, ut comparatio imparium in objecto Legis & Euangelii quaeratur, hoc est, in foedere operum, in foedere gratiae; non verò in ipsâ doctrinâ Legis & Euangelii, formaliter consideratâ; quae utraque divina est, & divina sui cujusque divini foederis tabula, seu instrumentum. De omni enim doctrinâ divinâ, sive Legis, sive Euangelii, tenenda sunt elogia illa *Psal.* 19. & 119., quod *pura, perfecta, illuminans oculos, laetificans cor, pariter justificata*, &c. & 2. Tim. 3. 16. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος, &c.

II. *Probl. Quo respectu objectum Euangelii, (foedus scil. gratiae) sit excellentius, quippe magis manifestans gratiam divinam, quam objectum legis (foedus scil. operum). Resp.* Respectu multiplicationis & extensionis gratiae, quae illic versatur circa peccatores ex se & en in se damnationi obnoxios: hic verò circa homines innoxios & sanctos ad imaginem Dei creatos. Vel sic, gratia novi foederis est restitutionis à termino privatio: gratia veteris foederis est beatificationis, seu promotionis & deductionis ad beatitudinem à termino purè negativo.

III *Probl. An perfectio legis sit tantum umbra perfectionis ejus, quae est in Lege novâ,*

novâ, seu Euangelio? Resp. Falsò praesupponi videtur Romano-Sociniana opinio, de duplici lege; & sic Euangelium transformari in Legem, & foedus gratiae in foedus operum. Dicimus & Legem & Euangelium in suo genere esse perfecta: nec comparationem de disparatorum aut heterogeneorum perfectione esse instituendam. Quasi quis scil. quaereret, Papinianus an Galenus fuerit eruditior. Posset fortè pars affirmans excusari: [pag. 53] siquidem per legem veterem intelligeret dispensationem foederis gratiae & totius doctrinae salutaris sub V. T. & per Euangelium dispensationem ejusdem foederis & doctrinae salutaris N. T., atque ita Euangelium ad imitationem. *Rom.* 3. *v.* 29. vocaret legem; & legem sub N. T. propositam diceret *novam* 1 *Joh.* 2. *v.* 8. Quomodo cautè accipiendum & benignè exponendum illud in libro quaest. & respons. ad Orthodoxos (qui exstat sub nomine *Justini Martyris*), quaest. 101. Καὶ ὡς μὲν πρὸς τὴν μάθησιν, &c. *Et quantum quidem ad disciplinam pertinet, Euangelium nihil à lege differt: quantum verò ad promissionem & praestationem spectat, multum hoc illi interest. Quid enim est Lex? Euangelium praenunciatum? Quid Euangelium? Lex completa.* Sed praestat, imprimis post exortas & detectas tot haereses antiquas & recentes contra Euangelium, omnem ambiguitatem & ἀκυρολογίαν in hâc materiâ studiosè evitare.

IV. *Probl. An lex moralis, & obedientia Deo secundum illam tanquam directorium & normam praestanda sub N. T. sit mitior seu laxior, quam sub V. T. atque adeò major nunc libertas & immunitas? Resp. Neg.* Neque enim sub V. T. magis extensa fuit, quod ad aliqua praecepta ad quae sub N. T. nos non teneremur; necti etiam magis intensè tunc observanda, quam nunc: quasi scil. nos non teneremur nunc aeque ex toto corde, ex omnibus viribus Deum amare: & ἀκριβῶς περιπατεῖν (*Ephes.* 5. *v* 15.) ac fideles sub V. T. Immo quasi vinculum per gratiam peculiarem dispensationis foederis gratiae, nunc arctius non stringeret, & majora Dei beneficia majorem gratitudinem non exposcerent. Quantò autem majus sit beneficium quod in dispensatione novi foederis, post Christum exhibitum in carne nobis obtingit, colliges ex *Hebr.* 2. *v.* 3. ubi *tanta salus*, & *Matth.* 3. *v.* 2. ubi *regnum Coelorum* dicitur; eique *meliores promissiones* tribuuntur, *Hebr.* 7. *v.* 22. Et beati dicuntur oculi nostri *qui vident*, &c. *quod multi Prophetae & justi desiderârunt videre*, &c. *& non viderunt*, *Matth.* 13. *v.* 16. 17. Facessat ergo diluta illa & periculosa nimis adversus virtutes lege morali praescriptas exceptio, de strictâ obedientiâ fidelibus sub V. T. praestandâ, & de libertate atque immunitate ab omni ἀκριβείᾳ & praecisitate nobis sub N. T. concessâ. Confer longè eruditiss. & intimè practicam responsionem nostrae Catechesios ad qu. 115.

V. *Probl. An Decalogus legem moralem perfectè contineat? Resp. Aff.* quod ad summam, seu quasi paratitla ejus; sub quibus omnia alia tanquam specialia sub generalibus continentur, aut ex quibus per analogiam educuntur. Sunt ergo hic vitandae duae opiniones extremae: quarum *una* est Remonstrantium, qui cum Socinianis praecepta de abnegatione sui ipsius, de non diligendo mundo, de precatione, de gratiarum actione extra Decalogum [pag. 54] relegant, in *Catechesi quaest.* 68. & 71. In quo cum Photinianorum *Catechesi Racoviensi* proximè videntur convenire. Vide ibi. *Altera* est, qua Legem moralem cum ceremoniali ac forensi Mosaicâ, pariter in Decalogo collocare videntur. Quae καινοφωνία receptae apud omnes legis divisioni, in moralem, ceremonialem, forensem, tanquam in species disparatas,

 di-

directè repugnat. Horum enim sententia si obtineat, necessariò membra divisionis coinciderent, & tota divisio desineret in ineptam tautologiam. Sed de hoc aliàs, & alibi.

VI. *Probl. An accuratè & propriè dicatur à Pontificiis, legem novam à Christo datam continere triplicia praecepta, moralia, sacramentalia, & fidei? Resp. Neg.* Rationes ex hactenus dictis nullo negotio peti possunt.

VII. *Probl. An satis distinctè & accuratè dicatur, legis moralis in epitomâ in decalogi propositâ, foedus gratiae & Euangelium contineri? Resp. Petrus Baro Stempanus* theologiae in Academiâ Oxoniensi Professor in tractatu de divinae legis dignitate & praestantiâ anno 1586. ipso libri titulo hanc assertionem praescribit: *Varii*, inquit, *de lege errores refelluntur, & quomodo lex gratuitum cum hominibus foedus, ac Christum etiam ipsum comprehendat, fidemque justificantem à nobis requirat, explicatur.* Idem antea in tract. de fide a. 1580. edito hos conceptus proposuerat. Nos putamus abusu terminorum tenebras veritati offundi: & Euangelium cum lege videri confundi: quae satis *accuratè* à nostris theologis, speciatim etiam à commentatoribus *catecheticis ad quaest.* 4. 9. 19. 91. 92. 93. distincta, & contra quosdam communes adversarios defensa fuerunt. Pontificii, magna ex parte, & Sociniani in totum transformant Euangelium in legem: haec sententia ex adverso legem in Euangelium transformare videtur. Quod si vox legis distinguatur, in latè & strictè acceptam: & illâ foedus gratiae ac Christus contineri dicatur; jam nihil novi & antea non dicti profertur; Sed si per legem intelligatur ea lex moralis, cujus epitomen exhibet decalogus; jam videndum est, quo jure foedus gratuitum, & Christus ea contineri & gratuitae promissiones, justitiaque fidei eâdem describi dicantur. Baro in primâ acie collocat, proloquium illud; *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. quibus verbis foedus gratiae annui, ipsi indubium est. Rectè. Sed verba illa continent motivum, non formale praeceptum sive affirmativum sive negativum: uti etiam verba quinto praecepto adjecta. Quaestio hic est de decalogo, de decem verbis seu praeceptis. Atqui illud: *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. non est unum ex decem verbis seu praeceptis; consequenter non est pars legis officium homini praescribentis. Videantur distinctiones *Legis*, à politicis, Jureconsultis, scholasticis, nostris theologis hactenus allatae: Scriptura passim (1 *Corinth.* 6. 2. *Cor.* 3. & 7. 1 *Joh.* 1. & 3. *Ezech.* 20. *Luc.* 1. *Rom.* 12. [pag. 55] 1 *Petr.* 2.) legis praecepta adhibitis motivis Euangelicis proponit, eorumque observationem urget ac suadet. Unde tamen imperite inferretur, legem moralem propriè dictam esse Euangelium; aut Euangelium esse partem illius legis; aut eâ contineri.

Secundum quod pro suâ assertione adducit, est, Quod primo decalogi praecepto fides praecipiatur: Ergo, &c. Respondeo concesso antecedente supra nobis probato; negatur consequentia. Quamvis enim virtus seu actus fidei praecipiatur & contineatur primo decalogi praecepto; inde non sequitur Euangelium, seu annuntiationem novi foederis, seu promissiones Euangelicas eodem praecepto proponi, exponi, promulgari: aut per subsumtionem, particularis sub universali, aut per analogiam, aut quacunque aliâ ratione inde colligi & intelligi posse; ut secundum rem ibidem foedus gratiae, Christus. Euangelium sive virtualiter & eminenter, sive formaliter contineri dicendum sit. Fides enim & Euangelium forma, definitione, specie non tantum, sed & genere differunt: haut aliter ac visus, & corpus visibile, corpus natu-

tu-

turale & scientia physica. corpus humanum & ars medica, idem corpus quà effigiabile & ars εἰκαστικὴ, pictoria scil., Reliqua, quae à *Barone* pro opinione istâ adducuntur, & plurima theologorum nostrorum citata testimonia, non est operae pretium speciatim examinare: quòd elencho homonymiae, & abusu vocum laborent; uti hoc in plerisque à curiosis atque ambitiosis καινοδόξων & παραδόξων affectatoribus perpetuâ fere experientia compertum est. Qualis autem fuerit *Baro*, & quali innovandi pruritu laboraverit ex scriptis ipsius modo indicatis, & ex articulis Lambethanis ab ***Antonio Thysio*** cum aliis quibusdam in 8. editis, ut & ex secundâ orthodoxorum in Hollandiâ Contra-Remonstrantiâ anno 1617. colligi poterit.

VIII. ***Probl. An accuratè & distinctè dici possit, fideles & justificatos esse sub lege, & sub foedere operum seu legali: ratione scil. peccati inhabitantis, & peccatorum actualium, quae contra legem committunt? Resp. Neg.*** 1. *Quia* Scriptura exsertè hoc negat Rom. 6. v. 14. *Non enim estis sub lege, sed sub gratiâ* Galat. 5. v. 18. ***Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.*** Quamvis enim sint sub lege ratione convictionis de peccato, & ratione directionis in gratitudine per novam obedientiam, & sanctitatem Deo praestandâ: non tamen sunt sub lege, ratione imperandi juris ad vitam aeternam sub conditione perfectae legis obedientiae, juxta formulam: ***hoc fac & vives:*** nec sunt sub lege, quod ad peccati potestatem, vi legis per se, damnantem, & quod ad potestatem vi legis (sed per accidens) dominantem. 2. ***Quia*** vetus illud foedus operum irritum est & abolitum quod ad fideles: non sunt ergo sub foedere operum, & consequenter non sunt sub [pag. 56] lege, quae foederis illius instrumentum est, & quasi tabulae. 3. ***Quia*** fideles sunt in statu gratiae, sunt sub Euangelio, & sub novo foedere gratiae: ergo non sunt in statu naturae & reatus; non sunt sub lege, & sub foedere operum. 4. ***Quia*** fideles sunt liberati à lege: sunt justificati propter Christum, qui pro culpis ipsorum satisfecit, & omne jus legis pro illis implevit: consequenter lex ipsis est mortua, & ipsi legi sunt mortui. Non magis ergo sunt sub lege, quam mulier est sub lege mariti defuncti ***Rom.*** 7. ***v.*** 1. 2. 3. 5. ***Quia***, si fideles essent sub lege & sub foedere legali seu operum: multa sequerentur absurda, quorum *primum* est, eos adhuc sub maledictione & damnatione, juxta formulam, ***Maledictus, qui non manserit in omnibus***, &c. Deuter. 27. v. 27. Atqui hoc absurdum, ***Rom.*** 8. ***v.*** 1. & 33. ***Galat.*** 3. ***v.*** 13. & 4. ***v.*** 4. 5. ***Secundum*** est fidelium statum esse medium, sive negationis sive participationis extremorum; salutis scil. & damnationis, reconciliationis cum Deo & non reconciliationis, regenerationis seu vitae spiritualis, & irregenerationis, seu mortis in peccatis. *Tertium* est, Fideles esse amicos Dei, fratres & membra Christi, filios Dei, cohaeredes Christi: & simul esse filios irae, hostes Dei, filios & membra Diaboli, filios & haeredes gehennae. ***Quartum*** est, fideles esse liberos, & stare in libertate (uti appellant) Christianâ, cujus pars est libertas à lege: & simul esse servos, sub spiritu servitutis constitutos ad timorem, & per omnem vitam prae metu mortis servituti subjectos. Quae omnia absurdissima sunt: Absurda ergo antithesis, ex quâ haec absurdissima sequerentur.

Sed objicitur: 1. ***Objectio;*** Fideles ratione inhabitantis carnis, & peccatorum, in quae incidunt in se & per se sunt sub lege ejusque maledictione, sub irâ Dei, sub foedere legali; quamvis ratione Christi & propter Christum sint sub gratiâ Dei, sub foedere gratiae. Antecedens probatur, Quia peccata ipsorum sequitur aut co-

co-

comitatur reatus; reatus vero est obligatio ad poenam: ergo sunt sub irâ Dei, sub maledictione legis, &c. *Resp.* Distingue reatum in actu primo seu potentialem, à reatu in actu secundo, seu actuali. De illo concedimus: de isto negamus, ex Rom. 8. v. 1. *Non est condemnatio*, &c. v. 33. *Quis accusabit electos Dei*, &c. *Quis est qui condemnat.* &c. Omne peccatum fidelium aptum natum est (πέφυκε) fideles facere filios gehennae, subjicere irae Dei, sub legis maledictione constituere: sed ideo actu eos non facit filios gehennae, non constituit sub maledictione legis. Sicut trabs muris imposita πέφυκε deorsum ferri: sed non fertur per interventum muri quo fulcitur & sustentatur.

2. *Objectio:* Deus irascitur fidelium peccatis, eaque justè judicat & peccantes justè punit. Ergo ex parte & alio respectu sunt sub lege & foedere legali, sub irâ Dei, sub maledictione. *Resp.* Essent tales & in tali statu; nisi Christi satisfactio intervenisset, propter quam fidelibus actu non imputatur [pag. 57] peccatum: absque eâ alioquin imputandum. *Erat Deus mundum in Christo sibi reconcilians, non imputans ipsis peccata*, 2 Cor. 5.

3. *Objectio:* Sicuti Christus ab *Ambrosio* in *Luc.* 21. benedictus dicitur in suâ justitiâ & maledictus propter nos: sic etiam fideles dici possent maledicti in sese, hoc est, in statu damnationis esse propter peccata sua; & benedicti in Christo mediatore & sponsore suo; seu in statu gratiae esse propter Christum. *Resp.* Longè dissimilis est ratio: Christus propter debita nostra nondum tunc exoluta erat actu κατάρα, & debitor; atque adeo sub judicio Dei: ideo etiam dicitur נִגַּשׂ *niggasch* exactus est *Jes.* 53. *v.* 7. fideles autem, quorum debita à Christo actu exsoluta, & ipsis in justificatione per fidem actu remissa sunt, non possunt esse aut dici in sese actu maledicti: & actu sub maledictione, propter peccata sua. Quia peccata, quae non imputantur, & simul ac semel remissa sunt, habentur tanquam non commissa. Judicium enim Dei est secundum veritatem. Et implicat contradictionem, actu absolutum esse aliquem propter Christi satisfactionem ab obligatione ad maledictionem & poenam; & nihilominus eundem actu obligatum esse ac manere ad poenam, aut actu esse sub reatu ac maledictione. Quasi quis diceret eundem Titium captivum vinculis constrictum ac ligatum teneri in carcere sub potestate judicis & commentariensis constitutum: & simul, sed alio respectu, liberatum esse à vinculis, ex carcere dimissum esse & liberè ubique pro arbitrio ambulare. Per diversos respectus, qui finguntur, contradictoria haut minimè conciliari possunt: non magis, quam per ridiculam distinctionem Cardinalis Perroni conciliari poterant istae propositiones, Animae sanctorum quorundam actu quiescunt in pace, & actu purgatorii cruciatibus torquentur. Quiescunt scil. & dormiunt in somno pacis ratione vel respectu ecclesiae: eaedem nihilominus purgatorii cruciatibus torquentur, ratione seu respectu sui. Vide ridiculam hanc distinctionem explosam à celeberrimo Papatus antagonista *P. Molinaeo in Novitate Papismi.*

4. *Objectio*: Deus irascitur peccatis fidelium, eaque detestatur; ergo sunt sub irâ Dei & maledictione, quando & quotiescunque peccant; sunt sub lege, sub foedere operum, *hoc fac & vives*, Levitic. 18. *Maledictus qui non manserit*, &c. Deuter. 27. *Resp. Neg.* Consequentia majoris, per distinctionem irae & irae, justitiae & justitiae. Ira ejus & justitia puniens fideles, est abyssus misericordiae, est maximè salutaris est intima & paterna dilectio, est παιδεῖα parcens ac praeservans, ne cum mundo

pere:

pereamus 1 *Cor.* 11. *v.* 32. *Heb.* 12. De quo in Elencticis nostrorum de satisfactionibus humanis; & in practicis, tit. de cruce & afflictionibus piorum, de scholâ tentationum, de militiâ spirituali, de consolationibus. [pag. 58]

IX. ***Probl.*** *Quomodo legi dicitur ἀδύνατον quid, cum extra aut circa statum peccati non sit illi δυνατόν?* ***Resp.*** Legi impossibilis est impletio juris, & satisfactio justitiae divinae; per se scil. consideratae: quandoquidem soli gratiae divinae possibile est facere & operari in homine, ut faciat & legem impleat. Sed legi tanquam instrumento, συναιτίῳ, & medio externo foederis operum, tribui potest aptitudo & possibilitas, pro suâ parte impetrandi & merendi salutem aeternam: sicuti pennae bene aptatae, pro suâ parte & in suo genere, aptitudo & possibilitas seu potentia causae tribuitur, in ordine ad scriptionem. Impossibilitas vero legi tribuitur non per se; sed per accidens corruptionis nostrae; per quam lex in se bona, sancta, potens, apta (pro suâ parte), quam si quis impleret, per eam viveret, impoenitenti & infideli convertitur in absinthium, venenum, mortem, damnationis augmentum. Manet ergo lex divina semper causa seu concausa, & aptum atque idoneum instrumentum ad justitiam & salutem; nec hoc ab illâ tolli potest: est enim *Lex sancta*, &c. *Rom.* 7. *v.* 12. haut aliter ac calamus, aut malleus bene aptatus: sed actu non est causa aut potius concausa seu instrumentum Titio aut τῷ Δεῖνα, ad justitiam & salutem. Quaeris, unde? Respondet Apostolus, *quia infirmatur per carnem* Rom. 8. v. 3. *Et inventum est illud praeceptum quod ad vitam, mihi ad mortem. Nam peccatum occasione per illud praeceptum sumtâ, effecit in me totam cupiditatem*, v. 10. 11. *Ergo quod bonum, mihi factum est mors? Absit: immo peccatum*, &c. v. 13. *scimus enim legem esse spiritualem: at ego carnalis sum.* v. 14.

X. ***Probl.*** *An sub N. T. aliquis; & qualis usus sit legis ceremonialis, & forensis Mosaicae?* ***Resp.*** *Aff. pr.* Explicatur posterius 1. *part. Polit. Eccles. lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 2. *pag.* 344. Confer *Danei lib.* 5. *Politicae Christianae cap.* 2. *pag.* 412.

XI. ***Probl.*** *Quomodo legi tribuitur productio & augmentum peccati Rom.* 7. ***Resp.*** Non per se, sed per accidens inhabitantis peccati & corruptionis: ita ut ratione legis sit effectum per accidens, & lex sit causa per accidens; quippe antecedens & passiva occasio. Abusus vero legis & peccatum inhabitans sit causa per se istorum peccatorum actualium. Quod sequentibus conclusionibus distinctè declaramus. Sit ergo:

1. *Concl.* Lex non est peccatum, nec per se causa peccati, nec per se mala, noxia, mortifera *v.* 13. *quia* est sancta justa, bona *v.* 12. 16. *quia* per illam cognoscimus peccatum, *v.* 7. *quia* est ad vitam *v.* 10.

2. *Concl.* Corruptio nostra seu peccatum inhabitans est causa peccatorum actualium & mortis. *v.* 5. 8. 11. 13. 17. 18. 20.

3. *Concl.* Peccatum inhabitans *per Legem* dicitur augere & producere peccatum *v.* 5. 13. & peccatum per eam reviviscere *v.* 9. & lex esse seu cedere ad mortem *v.* 10. Non quod lex per se sit causa, medium, [pag. 59] concausa, instrumentum, causa procatarctica impellunt, irritant aut occasio activa: sed quod lex in se & per se apta sit tanquam objectum, & medium, & impulsivum, concurrere ad productionem bonorum operum. Per accidens vero corruptionis nostrae & peccati, abusus legis, quae in se & per se bona est, incitat ad peccatum; ita ut lex cognita aut proposita tantum sit occasio passiva & antecedens, ad quam (non ex quâ) interventu carnis & peccati inhabitantis sequitur peccatum. v. 11. *Nam peccatum occasione per illud*

prae-

praeceptum sumtâ seduxit me, & per illud occidit, & v. 8. *Sed peccatum occasione per illud praeceptum sumtâ effecit in me totam cupiditatem.* Non vero sit causa per se sive principalis sive minus principalis v. 7. *Quid ergo dicimus? lex peccatum est? absit.* v. 13. *Ergo quod bonum est mihi factum est mors? Absit: immo peccatum, ut manifestum fiat, quod peccatum mihi per id, quod bonum est, efficiat mortem.*

4. *Concl.* Per legem tanquam impulsivam per accidens seu occasionem passivam inhabitans nostra corruptio auget peccatum tum extensivè, tum intensivè. *Extensivè*, quia adveniente lege plura peccata actualia producit. v. 8. *Intensivè*. tripliciter dici potest augeri peccatum per advenientem legem; 1. *Primo;* quod ad reviviscentem; & abundantiorem ac vehementiorem ejusdem sensum, quem lex in nobis excitat, per detectionem peccati in conscientiis nostris. Rom. 5. v. 20. *Lex vero praeterea introiit, ut amplificaretur illa.* Et huc referri potest Rom. 7. v. 9. *Nam absque lege peccatum mortuum: ego vero vivus eram absque lege quondam: praecepti autem illius adventu peccatum revixit, ego vero mortuus sum.* 2. *Secundo*, quod ad reatum & poenalitatem, quatenus adveniente lege & tantâ convictione, gravius redditur debitum. *Luc.* 12. *v.* 47. 48. quae novit voluntatem domini sui, &c. caedetur multis, &c. Huc applica analogicè Joh. 15. v. 24. 3. *Tertio*, quod ad ipsam vitiositatem; ita ut peccatum sit consummatius, & *fiat admodum peccans per illud praeceptum.* v. 13. *effecit in me totam cupiditatem* v. 8.

5. *Concl.* Lex proposita & percepta ab homine corrupto duplici respectu excitat, producit & auget peccatum, quod ad vitiositatem; quatenus scil. notificat, & quatenus obligat ad sui observationem; atque adeo pro parte suâ coërcet ac reprimit peccatum, eique obsistit: haec enim duo sunt officia legis. *Priori respectu* lex cognita cognitum nobis facit peccatum aliquod, quod lege prohibetur; antea nobis ignotum; & sic per accidens nostrae corruptionis facit nos cupere illud peccatum, atque in illud ferri. Ignoti enim nulla cupido. Sicuti lux solis, aut candelae accensae detegens homini formosam mulierem, illi est ἀφορμὴ occasio eam inordinatè aspiciendi & concupiscendi: juxta illud vulgatum, *Ex aspectu nascitur amor;* [pag. 60] &: *Mars videt hanc visamque cupit, potiturque cupitâ.* Et sicuti detegens atque ostendens quis homini corrupto thesauros & cimelia sua, occasio est invidiae, aut pravae concupiscentiae. Et sicuti exempla eximiae virtutis in aliquâ muliere ab aliquo conspecta, & inde enatus in illo amor illius mulieris, (hoc est appetitus desiderii, complacentiae, & benevolentiae) per accidens corruptionis ducit ad amorem carnalem ejusdem mulieres, aut saltem inordinatos motus primò primos excitat; & facit purum honestum ac spiritualem amorem degenerare in carnalem & impurum. Huc facit vulgatum nostratium Proverbium: **Hoe Geleerder hoe Verkeerder**/ id est, *quo quis doctior eo magis perversus.* Docet experientia, & sacra scriptura quaedam peccata non intimè cognoscendo, aut funditus scrutando, aut turpitudinem ad vivum resecando, vivis coloribus depingendo: nec multum cogitando, & directè intuendo eique directè occurrendo ac resistendo, tutissimè evitari, aut superari posse: sed fugiendo, & mentem ac cogitationes ab iis avertendo, ac per diversionem (uti in bello dici solet) hostem illum oppugnando ac vincendo. Talia sunt e. gr. horrendae cogitationes & tentationes atheisticae, aut blasphemae; & impurae cogitationes ac tentationes contra septimum decalogi praeceptum. De prioribus monemus in *exercitiis pietatis cap.* 19. ubi *pag.* 484. Idem ante me praestiterat ex nostris eruditiss.

practi-

practicus *Joh. Downamus in Militiâ Christianâ part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 22. *& lib.* 3. *cap.* 11.

De posterioribus etiam monui in *Exercit. pietatis cap.* 5. ubi de praxi resipiscentiae *pag.* 192. & *seqq.* Quae hic non repeto, quamvis peculiaris & necessariae sint observationis, ad prudentiam justorum: ne ex operosâ, plenâ atque accuratâ peccatorum istorum, cum omnibus cirsumstantiis, occasionibus, consequentibus consideratione, intuitu, descriptione, & quasi ante oculos picturâ, aut ipsi, aut alii audientes ac legentes in pravas imaginationes, puncturas, vellicationes incidant. Ratio est, quia peccata illa magis sunt εὐπερίστατα, quam alia, ut homicidium, furtum, &c. Haec enim extra corpus, sed illa in proprio corpore peraguntur. 1 *Cor.* 6. *v.* 18. Unde etiam nominanda non sunt, nisi cautè & ex necessitate. *Ephes.* 5 *v.* 3. 4. & 12: saepe enim peccata, & artes peccatorum, cum dicuntur, docentur. Uti ab omni sensuali imaginatione nos aliosque abducere aut retrahere debemus, & in abstractis ac generalibus mentis conceptibus tanquam rerum istarum (cum necessario de iis cogitandum est) signis materialibus, subsistere: sic etiam ab omnibus phrasibus (cum necessario de iis dicendum est) obscoenis, aut significantibus & actus turpes exprimentibus, tanquam repraesentamina & signa (si ita loqui liceat) formalia. Vide quo stylo usus sit Apostolus Romanis & Corinthiis necessariò de non nominandâ alioquin turpitudine, [pag. 61] locutus *Rom.* 1. & 1 *Cor.* 6. Non sine ratione ergo, prudentes concionatores, aliter ac Pontificii Casuistae anatomiam istarum turpitudinum quasi in theatro instituentes, generalibus vocabulis *turpitudinis*, aut *sordium*, aut *abominationis*, peccata aliqua non ita hic nota perstringunt; aut, si textus scripturae speciale aliquod indigitet & necessitas cogat illud silentio non praeterire, non nisi paucis & conceptis vocibus, sed quantum fieri potest, maximè generalibus, & ab omni turpitudinis, obscoenitatis, levitatis specie abstractis.

Posterioris respectu lex excitat & auget peccatum: quia & quatenus opponitur & repugnat peccato, illud prohibendo & ad ejusdem omissionem homines obligando, inhaerentem corruptionem ejusque eruptiones forinsecus coërcendo, constringendo, inhibendo. Tunc enim peccatum à lege, capitali hoste suo, obsessum, cohibitum, pressum, in se exasperatur, irritatur, & acrius erumpit, nequidquam obtenditur umbra: haut aliter ac in moralibus dici solet, *virtutem adversario crescere:* & in naturalibus apud physicos in meteorologiâ, calorem aut frigus cum à contrario suo undique obsidentur, per ἀντιπερίστασιν in se intendi, augeri, & corroborari: & elephantiasin aut cancrum applicatione medicamentorum, promoveri atque augeri: & optimum cibum ac salutaria medicamenta, per accidens mali stomachi aut morbi pertinacis ac maligni, cedere in morbi alimentum atque incrementum; quomodo αἱμοῤῥοοῦσα *Marc.* 5. *v.* 26. multum medicando pejus habuisse dicitur. Quò facit illud Poëtae,

Curando fieri quaedam pejora videmus
Vulnera

Denique ut in animalibus equus ferox & refractarius, quo magis fraeno retrahitur, eo magis contra nititur, & violenter se movit. *Augustinus de spiritu & liberâ cap.* 4. „Sicut aquae impetus, si in eam partem non cesset influere, vehementior fit obice „opposito, cujus molem cum evicerit, majore cumulo praecipitatus, violentius per „prona provolvitur. *Chrysologus serm.* 112. & 115. duo habet similia: sicuti lux excellens hebetat visum, & coecitatem quasi inducit, & sicuti spinae securi decurtatae

tatae magis excrescunt. Adhiberi etiam potest comparatio Christi & Euangelii praedicati: Ille dicitur ruina multorum *Luc.* 2. istud, odor mortis ad mortem 2 *Cor.* 4.

Esse autem legem hoc posteriori respectu jam explicato occasionem excitationes & augmenti peccatorum, praeter scripturam *Rom.* 7. docet experientia & ratio: cujus dictatum exhibet illud Poëtae:

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata;

Et vulgatum Belgarum proverbium, *Quidquid infantibus aut pueris prohibes, hoc ii s mandas.* Sic legibus & interdictis magistratuum aut dehortationibus [pag. 62] & consiliis parentum, tutorum, praeceptorum, concionatorum, dormiens aut repressa & coërcita concupiscentia hujus aut illius peccati saepe excitata reviviscet, & acrior erumpit: haut aliter ac ignis coërcitus; & ut

Strangulat inclusus dolor, ac magis aestuat intus.

Homines nonnunquam impudenter profitentur, se jam hoc vel illud dilectum peccatum facturos; quia monitores, praesertim concionatores illud perstringunt, & quo magis ac vehementius prohibent, eo magis elatâ manu, se illud perpetraturos. Nec desunt qui odio & amolitione servitutis & jugi ecclesiastici (uti praetexunt,) & ad ostendendam ac defendendam libertatem suam Christianam, aliqua apertè nunc faciunt, quae antea vix aut saltem apertè facere non solent. *Dirumpamus vincula eorum*, &c. Psal. 2. v. 3. *In verbo quod locutus os ad nos in voce domini, non paremus tibi. Sed faciendo faciemus omne verbum, quod egressum est de ore nostro*, &c. Jerem. 44. v. 16. 17. *Impio autem dixit Deus, quid tibi ut enarres instituta mea & assumas pactum meum in ore tuo. Tu vero odisti disciplinam, projecisti verba mea post te.* Psalm. 50. v. 16. 17. Haec mysteria perversi cordis, & propriae deceptionis *Jerem.* 17. v.



INDEX.

Praefatio. . . . . I—XXIII

Disputatio I. De ratione humana in rebus fidei 1

Disputatio II. Quousque se extendat auctoritas Sacrae Scripturae. . 10

Disputatio III. De iure et iustitia Dei 25

Disputatio IV. De necessitate et utilitate dogmatis de S. S. Trinitate 74

Disputatio V. An Christus qua Mediator sit adorandus 116

Disputatio VI. De propagatione peccati originalis 141

Disputatio VII. Problemata de merito Christi 173

Disputatio VIII. De persona Christi Mediatoris. 218

Disputatio IX. De statu electorum ante conversionem 247

Disputatio X. De regeneratione 271

Disputatio XI. De Sabbatho et Festis 299

Disputatio XII. De Lege et Euangelio 341

Index 378

FINIS.

BIBLIOTHECÆ REFORMATÆ iam antea in lucem prodierunt

Vol. I. D. FRANCISCI JUNII OPUSCULA SELECTA, CURIS D. A. KUYPER, A. MDCCCLXXXII.

Vol. II. D. GYSBERTI VOETII TRACTATUS POL. ECCL., FASC. PRIMUS, CURIS D. F. L. RUTGERS, A. MDCCCLXXXV.

Vol. III. D. GYSBERTI VOETII. EIUSDEM OPERIS FASC. SECUNDUS, CURIS D. PH. J. HOEDEMAKER, A. MDCCCLXXXVI.

